ANNO XXIX. - N. 1 [illegible] 1915

22

EPHEMERIDES LITURGICAE

PUBLICATIO MENSILIS

CURA ET STUDIO PRESBYTEROR. CONGREGATIONIS MISSIONIS

P
LIBRARY
EL
California

PRETIUM SUBNOTATIONIS ANNUAE
Pro Italia, Lib. 10 — Pro exteris regionibus, Lib. 11
Pro unoquoque numero, Lib. 1.

Fili hominis, pone cor tuum et [illegible] tuis audi omnia, quae ego loquor ad te, de universis caeremoniis domus Domini, et de cunctis legibus eius.
[illegible] 44, 5.

Tanti vero ut, quae fiunt [illegible] in sacra Liturgia [illegible]
[illegible] Pp. XIII. [illegible]

Directio et Administratio

Roma - 49 Piazza di S. Apollinare 49.

41144

= SUMMARIUM =

Acta sanctae Sedis sacram Liturgica spectantia:
S. Congregatio Rituum:
I. Sagien. Dubia cum commentario . . . . pag. 9
II. De collecta pro re gravi inspirata. Dubia. . . . . . . » 10
III. De vi adprobationis Officiorum quae in Propriis particularibus inscribuntur: *Commentarium*. . . . . » 17
IV. De approbationis breviari typici vaticani: *Commentarium* » 19
S. Congregatio Concilii:
Papien. Circa Missam de populo. Dubia, cum commentario . » 22
Acta Academiae Liturgicae Romanae: De actionibus quae in Ecclesiis permitti possunt . . . . » 28
Archaeologia liturgica: De osculo pedum Romani Pontificis . » 36
Consultationes Liturgicae . . . . » 46
Breviora responsa. . . . . » 48
Theologia liturgica . . . . » 55

" VERBUM DEI "

Periodico Settimanale di Sacra Predicazione

Esce in Torino il **SABATO** in fascicoli di 28 pagine

Abbonamento annuo: **Italia L. 7,50 - Estero L. 10.**

Direzione ed Amministrazione presso la Libreria del Sacro Cuore, TORINO, Via Garibaldi, 18

Direttore: Sac. Teol. **Eugenio MASCARELLI** Vice-Rettore e Prof. di S. Eloquenza nel Seminario Metropolitano di Torino.

Il VERBUM DEI si propone di agevolare al R. Clero l'ordinario ministero della parola, procurandogli materiali sicuri, sostanziosi e pratici, secondo lo spirito della Lettera Circolare sulla Sacra Predicazione emanata dalla S. C. dei VV. e RR. (13 luglio 1894).

Pubblica settimanalmente: 1. Una spiegazione di Vangelo; 2. Un'istruzione parrocchiale; 3. Un Panegirico oppure un discorso d'occasione - (ogni svolgimento è preceduto dallo schema); 4. Un riassunto schematico tratto dagli oratori classici.

Pubblica saltuariamente e secondo le circostanze: 1. Prediche varie, discorsini, fervorini, schemi brani scelti, citazioni, ecc.; 2. Articoli riguardanti la S. Predicazione; 3. Una rubrica bibliografica dei libri degni di essere raccomandati per formare una utile e soda biblioteca sacerdotale; 4. Atti della S. Sede che più direttamente interessano il clero secolare.

Sommario dei fascicoli di:

GENNAIO

Corso di Vangelini - (Can. Reyna). Per la festa de' Santi Innocenti. - Dom. infra oct. 1ª dopo l'Epif.: le nostre ricerche - Dom. 2ª le Nozze di Cana - Dom. 3ª il lebbroso e il servo del centurione guariti - Dom. di settuag. lamenti ingiusti.

Corso di istruzioni parrocchiali - (Can. Poey). Istruz. 6ª la coscienza; 7ª. le passioni; 8ª. la legge in generale: 9ª. il decalogo; 10ª. 1° comandamento.

Vangelini di rito ambrosiano. Dom. 6ª d'avvento - Dom. fra l'ott. della natività - Dom. 3ª dopo l'epifania.

Schemi di un discorso per il S. Natale, - Per la fine dell'anno - Per la festa della Circoncisione - Per la solenn. dell'Epifania - Per il SS. Nome di Gesù - Per S. Antonio abate - Per la conversione di S. Paolo.

Istruzione sulla fanciullezza di Gesù e la semplicità.

Discorso morale per la festa di S. Francesco di Sales, sulla sua mitezza.

ANNO XXIX. - N. 1 | Die 15 Ianuarii 1915

EPHEMERIDES LITURGICAE

PUBLICATIO MENSILIS

CURA ET STUDIO PRESBYTEROR. CONGREGATIONIS MISSIONIS

PRETIUM SUBNOTATIONIS ANNUAE
Pro Italia, Lib. 10 — Pro exteris regionibus, Lib. 11
Pro unoquoque numero, Lib. 1.

Fili hominis, pone cor tuum et ... auribus tuis audi omnia, quae ego loquor ad te, de universis caeremoniis domus Domini, et de cunctis legibus eius.
EZECHIEL. 44. 5.

Tanti refert ut, quae Ecclesia de sacra Liturgia decernit, probe cognoscantur et observentur, quanti ut sancta sancte tractentur, et fidelium pietas sacrorum maiestate augeatur.
Br. Leonis Pp. XIII. 10 Maii 1895.

Directio et Administratio

Roma - 49 Piazza di S. Apollinare 49.

Acta Sanctae Sedis
sacram Liturgiam spectantia.

S. CONGREGATIO RITUUM

SAGIEN.

DUBIA

Hodiernus Episcopus Sagien. a sacra Rituum Congregatione humillime postulavit sequentem dubiorum solutionem; nempe:

I. Utrum, quando ob occursum festi Duplicis I classis, officium alicuius Summi Pontificis vel Doctoris Ecclesiae perpetuo vel etiam accidentaliter simplificatur ita ut tantum in Laudibus commemoratio fiat de eo, usurpandae sint pro hac commemoratione Antiphonae magis propriae de secundis Vesperis *Dum esset* vel *O Doctor*, an potius Antiphona communior *Euge, serve bone?*

II. Utrum deinceps omittendae sint, tum commemoratio Omnium Ss. Apostolorum in officio Ss. Petri et Pauli (29 iun.), tum commemoratio Omnium Ss. Martyrum in officio S. Stephani Protomartyris (26 dec.), quum in novo Kalendario proprio dioecesis Sagiensis non fiat mentio harum commemorationum?

III. Utrum in Officio Dominicae anticipatae ad horas minores adhibenda sint capitula et responsoria Dominicae?

IV. Utrum omnia *Initia* Epistolarum S. Pauli debeant quotannis recitari, etiam quando prorsus omittuntur, ante Septuagesimam, officia Dominicarum IV, V et VI post Epiphaniam?

V. Utrum, in Missa feriali quae coram Ss.mo Sacramento celebratur, debeat omitti Oratio *Fidelium,* etiam quando a Rubrica praescribitur in Feria secunda vel in prima die libera mensis?

VI. Utrum, in festo Omnium Ss. Episcoporum et aliorum Sanctorum dioecesis Sagiensis, color paramentorum sacrorum debeat esse *Albus* an potius *Rubeus* quia aliqui horum Sanctorum sunt Martyres?

VII. Utrum uti liceat novis Officiis communibus plurium Confessorum Pontificum et non Pontificum, et plurium Virginum et non Virginum, non tantum in festis particularibus, sed etiam in festis Ecclesiae universalis, nempe Ss. Cyrilli et Methodii, Ss. Septem Fundatorum Ordinis Serv. B. M. V. et Ss. Perpetuae et Felicitatis?

Et sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, propositis dubiis ita respondendum censuit:

Ad I. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam, iuxta editionem typicam Breviarii Romani.

Ad II. Standum Kalendario approbato.

Ad III. Provisum in Rubricis novissimis Breviarii Romani.

Ad IV. Negative iuxta Rubricas.

Ad V. Negative.

Ad VI. Servetur in casu consuetudo.

Ad VII. Negative, etiam attentis decretis 22 maii et 7 augusti 1914, ad III.

Atque ita rescripsit. Die 11 decembris 1914.

SCIPIO Card. TECCHI, *Propraefectus.*

L. ✠ S.

† PETRUS LA FONTAINE, Ep. Charystien., *Secret.*

Commentarium

Ad I. Procul dubio Rev.mus Episcopus Sagiensis primum hoc dubium proposuit, eo quod alias S. R. C. declaravit, si aliquid ommitti debèat in officiis quibuslibet, illas partes potius esse omittendas, quae minus sunt propriae. Ita ex. gr. si festum s. Mariae Magdalenae careat primis et secundis vesperis, ideoque dici non possit hymnus *Pater superni luminis,* tunc ponitur ad matutinum, omittendo alium breviorem hymnum *Maria castis osculis,* quod enim magis sanctos honorat, praeferri debet.

Hoc ergo principio admisso, videbatur Episcopo exquirenti, quod si de aliquo sancto doctore, vel summo pontifice, recitari nequeat antiphona propria *O Doctor,* vel *Dum esset summus pontifex,* in casu ad laudes poni deberet, uti magis propria.

Attamen aliud censuit S. R. C., quae in casu respondit, *negative,* scilicet nullam mutationem esse faciendam. Ratio est, quia in novissimo breviario typico die 7 octobris pro commemoratione s. Marci Papae Conf. ad laudes, ponitur solita antiphona *Euge, serve bone,* et non *Dum esset.* Itaque a pari, si in duplici I classis aliquibus locis commemorandus sit vel sanctus pontifex, vel sanctus doctor, ad instar simplicis, retinet commemorationem quae habetur in Communi ad laudes.

Ad II. Quando, maxime sub pontifice Pio vij, abrogata fuere nonnulla festa in foro, statutum fuerat aliquibus pro locis, ut in festo ss. Petri et Pauli concelebraretur quoque

festum omnium apostolorum, de quibus agenda erat commemoratio. Item commemoratio ss. Martyrum in festo s. Stephani. Huiusmodi autem commemorationes, licet satis diffusae, non tamen ubique locorum concessae fuerant, imo nec cum iisdem antiphonis et orationibus.

Nonnullis tamen in regionibus, cum submittebatur S. Sedi nova dispositio calendarii perpetui pro adprobatione, huiusmodi commemoratio apostolorum et martyrum omissa fuit. Hoc praesertim factum est in ultima revisione calendariorum, quae iuxta novissimas rubricas ad normam *Motus proprii* Pii X a S. R. C. facta est.

Hodie ergo standum est omnino calendario a S. Sede adprobato: ideoque illis in locis in quibus desideratur dicta commemoratio, omitti prorsus debet: paucissimis vero in locis, in quibus forsan, et peculiaribus ex causis, servata fuit in calendario, facienda erit. Hic ergo sensus responsi: *Standum Calendario adprobato.*

Ad III. Vi novissimae rubricae specialis quae legitur in breviario typico ante dominicam II post Epiphaniam, quando aliqua dominica anticipatur in praecedenti sabbato, fit officium semiduplex, cum tribus nocturnis et novem lectionibus. Psalmi vero cum suis antiphonis sumuntur ex sabbato ipso, lectiones vero et responsoria et antiphona ad *Benedictus*, nec non capitulum ad primam, dicuntur de dominica.

Haec aperte tradit novissima rubrica, ergo nil est mutandum circa capitula et responsoria brevia ad horas minores, quae ideo dicuntur de sabbato ut in psalterio.

Ad IV. Rubrica superius citata de dominicis anticipandis, quod attinet ad lectiones I nocturni, haec habet: *In I autem nocturno ponuntur lectiones de Initio epistolarum b. Pauli, quae in dominica anticipata et duabus etiam ex sequentibus feriis occurrant: et Initia epistolarum sequentibus feriis et dominicis assignata penitus omittuntur.*

Ergo, recte responsum fuit *negative,* quod responsum dandum erat etiam sub imperio antiquarum rubricarum,

nam, iuxta Gavantum (VIII, 8, 6) Ecclesia, quoad officium divinum, considerat epistolas s. Pauli apostoli, quae leguntur dominicis post Epiphaniam, veluti unum librum; ideoque epistolae impeditae eo anno omittuntur; sicut omitti debent capita sacrorum librorum quae supersunt.

Novissima vero rubrica nonnulla ad rem disponit, quae illustrationem aliquam merentur: praescribit enim, ut in dominica anticipata dicantur lectiones I nocturni, non de sabbato, sed de ipsa dominica. Quod si infra hebdomadam, ad quam pertinet eadem anticipanda dominica, alia Initia epistolarum b. Pauli habeantur, tunc in officio dici debent unum vel duo vel tria Initia eiusdem hebdomadae.

Itaque si anticipatur dominica II, tunc in I nocturno dicuntur tres lectiones ipsius dominicae, scilicet solummodo *Initium epistolae secundae ad Corinthos,* quia per hebdomadam II post Epiphaniam non aliud habetur Initium.

Si anticipatur dominica III, tunc dicuntur prima et secunda lectio de *Initio epistolae ad Galatas,* et tertia lectio *Initium epistolae ad Ephesios,* de feria IV sequenti.

Si anticipatur dominica IV leguntur tria Initia, scilicet *epistolae ad Philippenses,* de dominica, *ad Colossenses* de feria III, *ad Thessalonicenses primae* de feria V, ideoque illo anno omittitur *Initium epistolae ad Thessalonicenses secundae,* de sequenti sabbato.

Si anticipatur dominica V, leguntur periter tria Initia, scilicet *epistolae ad Timotheum primae,* de ipsa dominica anticipata, *epistolae ad Timotheum secundae,* de feria IV, et *epistolae ad Titum* de feria VI, omittendo initium epistolae ad Philemonem (1).

Si vero anticipanda sit dominica VI, tunc leguntur tres lectiones de dominica ipsa, quia non alia habentur Initia infra sextam hebdomadam.

(1) Forsan aliquibus magis placeret in casu, quod, omisso *Initio epistolae secundae ad Timotheum,* potius in casu diceretur *Initium epistolae ad Philemonem,* accipiendo quasi unum librum binas epistolas ad Timotheum.

Ad V. Ratio huiusce dubii in eo sita est, quod ante Ss. Sacramentum expositum missa de Requiem cantari nequit, ideoque visum est Episcopo Sagiensi quod et oratio *Fidelium* a Rubrica praescripta omitti in casu deberet. Aliud tamen censuit S. R. C., et bene: nam aliud est missa pro defunctis in paramentis nigris, quae non congruit cum Sacramento publice exposito, aliud est oratio pro defunctis, quae in missa pro vivis in paramentis non nigris praescribitur a rubrica. Orare pro mortuis non prohibetur etiamsi expositum sit Ss. Sacramentum, nam Dominus noster Iesus Christus, caput est totius ecclesiae, militantis in terra, regnantis in coelo, et poenantis in Purgatorio: nil porro incongruum est, ut inter alias preces, etiam pro defunctis fundantur, alioquin in festo Ss. Corporis Christi horae canonicae terminari non deberent cum ℣. *Fidelium animae etc.*

Ad VI. Forsan dubium istud propositum fuit eo quod S. R. C. per suum decretum, die 6 decembris 1912 ad IX editum, recognovit, nec reprobavit, consuetudinem romanam celebrandi festum omnium Summorum Pontificum in paramentis rubris: sed opportunissime dubio respondit sacrum tribunal servari consuetudinem. Itaque, si consuetudo est ut in festo omnium sanctorum Episcoporum dioecesis adhibeatur color albus, haec servari debet, quod etiam magis est consonum naturae et fini huiusmodi festivitatis; in ea enim honoratur pontificatus Episcoporum, et sicut in festis utriusque Cathedrae s. Petri utimur colore albo, quia celebratur sanctus apostolus tamquam pontifex, et officium recitatur de communi confessorum pontificum, ita in casu nostro, melius adhibetur color albus.

Ad VII. Officia nova plurimorum Confessorum et plurimarum mulierum adprobata fuere a S. R. C. maxime post adprobationem proprii pro Clero romano, in quo non pauci ex Pontificibus una simul honorantur eadem die. Ut autem ait primus ex officialibus eiusdem Congregationis, huiusmodi officia concessa fuere, non tantum pro Clero romano, sed etiam pro illis dioecesibus in quarum calendariis plures

simul Confessores vel Virgines una die celebrantur. Hoc autem factum est potius ad experimentum, et ideo in corpore breviarii romani inducta non fuerunt. Qua de causa ad quaesitum vij responsum est non posse ab Episcopo imponi clero suae dioecesis ut in festis ecclesiae universalis 12 februarii, 6 martii et 7 iulii, in quibus occurrunt respective festa Ss. Septem Fundatorum, Perpetuae et Felicitatis, Cyrilli et Methodii, usus officiorum de quibus agitur in decretis 22 maii et 7 augusti elapsi anni 1914.

De collecta pro re gravi imperata

DUBIA.

Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia, pro opportuna solutione, nuper proposita sunt; nimirum:

Ex decreto S. R. C., n. 3365, *Clodien.*, 7 augusti 1875, ad III, Episcopus potest praecipere, ut collecta *pro re gravi*, si revera sit *pro re gravi*, dicatur etiam in duplicibus primae classis; quaeritur:

I. Quando Episcopus praescribit collectam *pro re gravi* etiam in duplicibus pcimae classis, collecta dicendane erit in omnibus et singulis duplicibus primae classis?

II. Si Episcopus collectam *pro re gravi* simpliciter praecipiat absque ulla mentione duplicium primae classis, quibus diebus collecta omittenda erit?

Et sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, re sedulo perpensa, propositis quaestionibus ita respondendum ceusuit:

Ad I. Affirmaiive, exceptis sequentibus diebus; nempe: Nativitas Domini - Epiphania Domini - Feria V in Coena Domini - Sabbatum Sanctum - Pascha

Resurrectionis - Ascensio Domini - Pentecostes - Festum Ss.mae Triuitatis et Festum Ss.mi Corporis Christi.

Ad II. In omnibus duplicibus primae classis, in vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes, et in Dominica Palmarum.

Atque ita rescripsit ac servari mandavit, die 23 decembris 1914.

SCIPIO Card. TECCHI, *Pro praefectus.*

L. ✠ S.

† PETRUS LA FONTAINE, Ep. Charystien., *Secret.*

Commentarium.

Omnes norunt, vocari communiter collectas, orationes illas, quae nullam habent relationem cum missa diei, et dicuntur, non vi rubricarum, sed tantummodo ex praecepto speciali Superioris.

Licet enim verbum *Collecta* antiquitus, et etiam hodie, indicet orationem quae super populum dicitur, nihilominus communiter ea voce utimur, pro exprimenda oratione illa quae a Superiore imponitur in missis dicenda, post alias orationes a rubricis praescriptas.

Nomine vero Superioris hac de re, venit tantummodo Summus Pontifex et Ordinarius loci, ideoque Episcopus, vel sede vacante, Vicarius Capitularis; itemque Abbas qui iurisdictionem habeat etiam in populo, non vero Superior religiosae alicuius familiae, uti declaravit S. R. C., d. 27 martii 1779, n. 2514. Cum autem idem decretum expresse dicat, quod Superior Regularis imperare nequit collectam in missa, sine licentia Episcopi, bene argui potest quod, accedente licentia huiusmodi, potest tunc Superior regularis imponere collectam, eo quod in casu, non ipse, sed Ordinarius loci revera imponit, pro ecclesiis Ordinis quae sunt in sua dioecesi. Ratio huius est, quia ex Decreto Ss. Concilii Triden-

tini, Episcopi est, ritus et solemnitates externas, etiam in ecclesiis Regularium suae dioecesis, invigilare et disponere, ideoque Regulares, hac de re, Episcopo loci subesse videntur.

Iuxta plurima decreta S. R. C., praesertim sub nn. 2461, 2597 et 3009, collectae ab Ordinario imperatae dici potesunt omnibus diebus per annum, exceptis duplicibus 1 classis, Vigiliis Nativitatis et Pentecostes, ac Dominica Palmarum; item exceptis missis in cantu duplicium 2 classis. Iuxta vero rubricas novissimas, quae leguntur post Constitutionem « Divino afflatu » (tit. xj) Collectae ab Ordinariis imperatae, *deinceps prohibentur (nisi sint pro re gravi) non tantum in vigiliis Nativitatis et Pentecostes, et in duplicibus 1 classis, sed etiam in duplicibus 2 classis, in dominicis maioribus, infra octavas privilegiatas, et quandocumque in missa dicendae sint plus quam tres orationes a rubrica eo die praescriptae.*

Quapropter vi huiusmodi rubricae, limitata nunc est facultas Ordinariorum imperandi collectas in missis. Attamen notandum est, quod in imperandis collectis, bene potest Ordinarius prohibere ne aliis diebus dicantur. Ex. gr., alicubi Episcopus non admittit collectas in missis cantatis quibuscumque; alibi excluduntur collectae infra quaslibet octavas; quod accidit, non quasi aliquid possint Episcopi praescribere contra rubricas, sed quia facultas illi concessa a S. Sede imperandi collectas, hoc importat, quod possint eas imperare diebus et missis pro eorum libitu, dummodo excipiantur dies ac missae in superiori rubrica exceptae.

Aliis verbis, Episcopus, non potest umquam (nisi pro re gravi) imponere collectam in duplicibus 2 classis, sed optime potest excludere in suo praecepto aliquos dies et aliquas missas, in quibus, vigore legis generalis, ipse orationem imperare posset; quia facultate sibi collata minori mensura uti optime potest.

Aliud siquidem est, limites facultatis excedere, aliud non omni facultate uti. Nihilominus Ordinarii locorum imperare debent huiusmodi collectas cum aliqua sobrietate, nempe

unam tantum ex propria auctoritate, et ad summum, duas, si aliquod commune bonum id postulet (Cf. Ephem. Lit., 1887, pag. 611).

Quod si ex. gr., Episcopi alicuius provinciae in synodo coacti, collectam quamdam imperant, et postea Episcopus pro sua dioecesi aliam praescribendam simultanee censet, tunc alicubi, ita distribuuntur plures collectae, ut alternatim in dies dicantur, ne in missa collectae unquam sint plusquam duae. Hoc exigit spiritus Ecclesiae, maxime in ultima reformatione rubricarum, in quibus brevis oratio commendatur, ideoque unum tantum suffragium praescribitur, suppressae sunt officia addititia, non amplius praesentibus choralibus celebratur secunda missa a rubricis aliquando praescripta, et prohibentur collectae, quando plusquam tres orationes a rubricis praescribuntur. Ergo nonnisi ex causa probata et satis gravi, lato sensu, Ordinarii collectas imperent in missis. Nunc autem ad collectam *pro re gravi,* proprie dicta, deveniamus.

Res gravis, iudicante Episcopo, illa dicitur quae respicit aliquod bonum urgens obtinendum a tota populo, aut malum arcendum: ex. gr. tempore belli, tempore terraemotus, et similia.

Pius IX suis litteris apostolicis in forma Brevis diei 11 aprilis 1869 Urbi et Orbi indixit missam de Spiritu Sancto, ad obtinenda lumina pro Concilio universali, atque collectam eiusdem in omnibus missis, quae proinde habita est tamquam *pro re gravi.* Cum autem exquisita fuisset S. R. C., an huiusmodi collecta de Spiritu Sancto omitti deberet in duplicibus 1 et 2 classis; respondit (3 iulii 1869, n. 3211 ad VIII) *Negative,* et in festis 1 classis dici debet sub unica conclusione.

Antiquitus, ut notat Gardellinius (S. R. C. decreto, vol. IV, pag. 189) collecta a superioribus imperata etiam *pro re gravi,* omittenda erat in duplicibus 1 classis, nam decreto 7 augusti 1627 ab ipso citato, ad dubium: « an oratio *Deus refugium* quando Sanctissimus eam *pro re gravi,* dicendam iubet, dicenda sit etiam in festis 1 classis »? re-

spondit: « non esse dicendam ». Quod tamen alia decreta revocarunt.

Hisce autem diebus, in quibus bellum immane totam turbat Europam, et tot mala in nationes producit, Episcopi ubique collectam pro Pace imperarunt. Cum autem alicubi collecta ipsa tamquam *pro re gravi* prascripta fuerit, dubium ortum est, an Episcopi possint illam imperare etiam in festis duplicibus I classis.

S. R. C. suo decreto 1 augusti 1875, n. 3365 ad iij, iam rem declaraverat, dicens, quod Episcopus praecipere potest collectam, etiam in duplicibus I classis, si agatur revera de *re gravi*.

Cum autem aliquibus non congruum videretur ut Episcopi possint praescribere orationem, etiam in festis solemnissimis Ecclesiae, provocata fuit aliqua declaratio ad rem istam, et S. R. C. per decretum istud mentem suam aperuit, declarans:

I. Quando Episcopus praescribit collectam pro re gravi, etiam in duplicibus I classis, dicenda erit tantummodo in aliquibus duplicibus I classis, non vero in Nativitate Domini, in Epiphania, in Feria V in coena Domini et in Sabbato sancto, in Paschate Resurrectionis, in Ascensione, in Pentecoste, in festis Ss. Trinitatis et Corporis Christi.

II. Quod si Episcopus imperat collectam quidem pro re gravi, absque tamen ulla mentione duplicium I classis, tunc erit omittenda in omnibus duplicibus I classis, nec non in vigiliis Nativitatis et Pentecostes atque in dominica Palmarum.

Argumentum istud de Collectis deserere nescimus, quin aliquid adiungamus de modo et de ordine illas dicendi.

Quoad modum, ut vidimus supra, in decreto 3211, in duplicibus I classis dicenda est collecta *pro re gravi* sub unica conclusione; scilicet, adiungenda est orationi missae, prout coniunguntur commemorationes quando sunt plures, post primam. Hoc procul dubio statutum est, ne solemnitas I classis, suam dignitatem imminutam haberet, cum unica

oratio sit indicium magnae solemnitatis; ideoque, ex una parte oratio *pro re gravi* non omittitur, et ex alia, unica tantum oratio quodammodo dicitur, cum unica sit conclusio.

Quod si in missa festi I classis facienda sit aliqua commemoratio, puta dominicae occurrentis, tunc collecta adiungitur huic commemorationi, prout declaravit S. R. C. (7 augusti 1875, n. 3365).

Quoad autem ordinem dicendi collectas, quando plures sint imperatae, non una est sententia doctorum: aliqui docent esse dicendas ordine temporis quo praescriptae sunt; aliqui vero ordine quo in missali describuntur; alii denique iuxta gravitatem gratiae obtinendae, ita ut gratiae spirituales praeferendae sint gratiis temporalibus; et si agatur de orationibus Mysteriorum aut Sanctorum, iuxta notum ordinem dignitatis Personarum.

Attamen, hac de re aliud criterium praeferentiae est attendendum: quia aliquae collectae imperatae nobiliores sunt censendae, non ex dignitate personae, neque ex gravitae intrinseca gratiarum, quae postulantur, et multo minus ex ordine quo inscribuntur in missali vel ex tempore quo praescriptae fuerunt, sed alia ratione.

Cum enim collectae *pro re gravi* dici debeant diebus etiam solemioribus, et aliae diebus tantum minus solemnibus, quodammodo collectae ipsae distinguendae sunt etiam quoad ritum: scilicet, illae quae dici debent in duplicibus etiam I classis, sunt nobiliores ritu, quam aliae, quae proinde censendae sunt tamquam ritus inferioris.

Sicut enim, iuxta notissimas rubricas breviarii romani (tit. vij), quando plures faciendae sint Commemorationes, seu in officio seu in missa, ordo servandus est iuxta nobilitatem ritus, ita hoc idem est agendum, quando plures sint dicendae collectae. Itaque, collectae *pro re gravi,* ad quemcumque ordinem pertineat, scilicet, sit pro gratia spirituali, sit pro temporali, nobilior iudicanda est, quia locum habet in solemnioribus festis. Aliae collectae, quae non sunt *pro re gravi,* quia dici nequeunt nisi diebus minus solemnibus,

minus nobiles sunt censendae, licet ratione gratiae postulatae, ceteris paribus, praeferri deberet.

Hoc principio admisso, de quo implicite iam locutae sunt Ephemerides Liturgicae (anno elapso, 1914), sequitur quod nostris hisce diebus, collecta pro Pace, dicenda est ante collectam pro Papa. Reliqui praeferentiae ordines, nempe ordo temporis quo collectae praecipiuntur; ordo quo inscribuntur in missali; et ordo dignitatis personalis, si agatur de orationibus Mysteriorum aut Sanctorum, vel dignitatis intrinsecae, habita ratione gratiae postulatae, ex qua collecta pro spirituali praeferenda est collectae pro temporali, omnes ordines isti praeferentiae, considerandi sunt semper quando praeceptum est eiusdem naturae, nempe si omnes sint *pro re gravi,* nel omnes non sint.

Notandum denique est, quod ordo quo orationes in missali inscribuntur, rigorose non est accipiendum: siquidem, ordo duodecim missarum votivarum, quae dici possunt loco conventualis quibusdam diebus iuxta rubricas, disponitur secundum dies hebdomadae, quibus dici possunt: ordo aliarum missarum tredecim a prima *pro eligendo pontifice,* usque ad illam ultimo loco, *pro Sponsis,* disponitur iuxta gravitatem et relevantiam gratiarum quae in missis iisdem postulantur: ordo vero triginta quinque orationum, quae habentur in missali post missas votivas, ita disponuntur, ut gratiae spirituales implorandae, inveniantur post orationes pro gratiis temporalibus.

Ex. gr. Oratio *Tempore famis, pro peste animalium, ad repellendas tempestates* etc. ponuntur ante orationes *pro remissione peccatorum, ad postulandam continentiam,* etc. Hinc, nostro iudicio, non sunt audiendi scriptores illi qui docent, esse sequendum ordinem, quo orationes istae referuntur in missali, nam, iuxta spiritum Ecclesiae, gratiae spirituales, ceteris paribus, graviores sunt et nobiliores quam gratiae temporales: ideoque prius dicendae collectae pro spiritualibus, et postea pro temporalibus: iuxta illud: *Quaerite primum regnum Dei, et haec omnia adiicientur vobis.*

Concludimus ergo dicendo, quod inter collectas, si plures sint dicendae eadem die, prius dicitur illa quae est *pro re gravi*, cuiuscumque sit generis, postea illa quae non est *pro re gravi*.

Hinc nostris diebus, ut supra innuimus, prius dicenda collecta *pro Pace*, et postea *pro Papa*. Ceteris paribus ordo dignitatis sequendus, ita ut gratiae spirituales querantur ante temporales. Ex. gr. prius *pro Papa*, et postea *ad repellendas tempestates*.

In decretum S. R. C. d. d. 28 Novembris 1914

De vi adprobationis Officiorum quae in Propriis particularibus inscribuntur

(Vid. *Ephemerides Liturgicae*, 1914, n. 12)

Commentarium.

De Sanctis qui publico cultu gaudent quibusdam in locis, eorum tamen nomen in Martyrologio non inscribitur, dummodo antiquum sit, et numquam cessatum, Apostolica Sedes benigne tolerat ut de iis festum agatur, et in officio legantur historicae lectiones. Item de Beatis, qui simili cultu fruuntur, praestito saltem centum per annos continuos ante Urbanum viij.

Quia vero consueverunt Episcopi et Superiores Ordinum Regularium, pro recta ordinatione Calendarii perpetui suarum ecclesiarum, calendarium ipsum adprobationi S. Rit. Congregationi submittere, in quo quandoque nonnulla festa inscribuntur de dictis Sanctis vel Beatis, eadem sacra Congregatio ex huiusmodi Calendarii adprobatione, numquam intellexit aliquid addere ad cultum ipsorum Sanctorum vel Beatorum.

Item, quando ad Apostolicam Sedem recursus fit pro adprobatione lectionum historicarum alicuius ex dictis Sanctis vel Beatis, tunc S. R. C. illas non admittit ad examen

et ad trutinam, et multo minus adprobat, nisi post recognitum cultum modis et formis prout tradit Benedictus xiv.

Huiusmodi praxis sapientissima iugiter ac rigorose servata est a S. R. Congregatione, et adhuc inviolabiliter servatur; agitur enim de re gravissima, scilicet de cultu erga servos Dei, quem nemo praestare potest, nisi sub conditionibus et regulis a Sancta Sede praescriptis.

Cum vero nostris temporibus, ac praesertim elapsis annis 1913 et 1914, non solum porrectae fuerint preces ad S. R. C. pro meliori ordinatione calendariorum tum dioeçeseon, tum Ordinum Regularium, ad normam decreti generalis eiusdem Congregationis diei 28 octobris 1913, sed etiam pro adprobatione libellorum, in quibus continentur officia propria dioecesis vel Ordinis, necessarium fuit, ut praxis de qua loquimur, in mentem revocaretur, prout revocatur per decretum istud 28 novembris 1914.

Porro, si inter alia officia propria inveniuntur etiam officia, vel saltem lectiones historicae propriae, de aliquo Beato, cuius cultum nondum apostolica Sedes adprobaverit, vel de aliquo sancto cuius nomen in Martyrologio non est inscriptum, si agatur de lectionibus antiquis et iam in usu, in eodem statu quo iacent admittit Sacra Congregatio, nil addito vel mutato; si vero novae exhibentur lectiones pro adprobatione, tunc, uti diximus, eas non examinat, non enim aliquid novi moliri vult Sancta Sedes circa cultum huiusmodi Sanctorum vel Beatorum.

Hoc ergo intendit et declarat per hoc suum decretum sacra Congregatio, ubi dicit: « Per huius adprobationem, praesertim Lectionum secundi nocturni, nullo modo intelligi ac dici posse diremptas quaestiones historicas circa res gestas in iisdem Propriis et lectionibus commemoratas ».

Itaque, nemini licebit invocare novam hanc adprobationem officiorum vel lectionum historicarum, ad probandum aliquid, circa cultum a S. Sede acceptum vel non, alicuius Sancti aut Beati; cultus enim in eodem statu permanet, ac si dicta adprobatio non existeret.

Addit autem idem decretum haec verba: « ...ac potissimum circa Sanctorum vel Beatorum, maxime antiquioris aevi, monachatum eorumque pertinentiam ad unum vel alium Ordinem ». Cum enim notae sint plurimae exortae quaestiones, et adhuc agitatae, non tantum circa Regulam, quam est secutus aliquis sanctus vel beatus, sed etiam circa ipsam formam vel colorem habitus, quaestiones istae diremptas esse nemo iudicare potest ex eo, quod lectiones, prout fuerunt propositae, admissae sunt a sacra Congregatione.

Nil mirum ergo, si forte in Proprio ex. gr. Monachorum s. Benedicti dicatur quod talis sanctus regulam ipsius s. Benedicti sit professus, et in Proprio Canonicorum Regularium legatur, quod idem sanctus inter ipsos Canonicos vitam duxerit. Res igitur manent in eodem statu, quin Sacra Congregatio aliquid novi decrevisse et declarasse dicatur.

In decretum S. R. C. datum die 25 martii 1914

Adprobationis breviarii typici vaticani

Commentarium.

Quum Pius Papa X b. m. mense maio anni 1911 audita relatione unius ex ecclesiasticis viris, qui postea commissionem Pontificiam constituerunt, iuxta Chirographum diei 2 iulii sequentis, constituit, ut psalterium breviarii romani, novo ordine disponeretur, mentem suam aperuit, volens ut nova editio typica breviarii debito tempore fieret in vaticana Typographia, et interim psalterium ederetur separatim, pro usu simultaneo cum antiquo breviario.

Persolutis postea studiis circa novum psalterium, et circa novas rubricas, quibus nonnullae maximi ponderis variationes inductae sunt, uti ex. gr. antiquus honos restitutus diei dominicae, sublatae translationes duplicium etiam maiorum; unum tantum suffragium praescriptum; preces,

quando duplex aliquod commemoratur, suppressae; octavae duplicium 2 classis iuxta antiquum ritum simplicem reductae, et alia non pauca, per bullam « Divino afflatu », reformationem breviarii Urbi et Orbi promulgavit solemniter, et postea, per aliud decretum motu proprio latum die 23 octobris anni 1913, reformationem breviarii explevit atque adprobavit.

Tunc porro Typographia polyglotta Vaticana editionem coepit breviarii romani, cum omnibus novissimis rubricis, iuxta ultimas S. R. C. declarationes et decreta, ceterisque rite recteque dispositis; quam editionem, per decretum istud S. R. C. Typicam esse declaravit, et sic deinceps editiones omnes huic omnino erunt conformandae.

Iuxta ergo dispositiones Urbani viij, et decreta Leonis xiij circa libros prohibitos, quisque loci Ordinarius, in quo nova editio breviarii imprimi debeat, eam adprobare poterit, dummodo ipsi constet, per declarationem deputati, editionem ipsam omnino conformem esse in omnibus, tum circa textum, tum circa rubricas, editioni typicae vaticanae.

Poterit quidem ex. gr. editor ita psalterium cum ordinario divini officii disponere, ut unum et idem quodammodo constituat, prouti fecit editor Ratisbonensis in sua editione amplificata psalterii; hoc enim difformem non reddit editionem a typica; sicut enim edi possunt officia festivitatum, verbi gratia Nativitatis, Epiphaniae, maioris hebdomadae, Paschatis, Pentecostes et Corporis Christi etc. per extensum, cum psalmis ad omnes horas rite dispositis, ita nil prohibet, ut in psallentium commoditatem psalterium cum ordinario simul unaquaque die coniungatur.

Animadvertendum est autem ad verba quae sequuntur, in isto adprobationis decreto, nempe: Editio ista Typica *in posterum prorsus immutata manebit, donec praesidio optimorum codicum et veterum monumentorum absolutis omnibus, quibus perficiendis longius tempus requiritur, nempe textu sacro recognito etc.* ».

Quibus verbis sacra Congregatio removendum curat

dubium illud, quod nunnulli, non malo forsan animo, sed non minori levitate et formidine, exprimunt, de novis variationibus vel additamentis in breviarium inducendis. Nil umquam magis contrarium veritati dictum fuit in materia editionum liturgicarum.

Reformatio breviarii a Pio X peracta nunc expleta est, nec aliud addi debet amplius, vel minui, vel mutari: hoc expresse declarat sacra Congregatio, ideoque, quamlibet formidinem in contrarium submovere omnes debent ex animo, et tuti esse possunt, quod Breviarium romanum, illud ipsum erit, quod nunc in editione Vaticana habetur, et in omnibus aliis editionibus, quae cum Vaticana conveniunt.

Additur postea promissio de futura revisione breviarii facienda quando commissio pontificia a Pio X instituta pro textu Sacrorum Bibliorum noviter recognoscendo munus suum expleverit. Ecclesia hanc sacri textus revisionem praestolatur et instanter ad quam diligentissimis studiis et curis innumeris dant operam monachi nonnulli S. Benedicti, sub praesidentia et sapienti vigilantia eminentissimi viri Diaconi Cardinalis Aydani Gasquet.

Hoc autem opus gravissimum, non brevi tempore expleri potest, ideoque remotum est omnino periculum, ut paucos post annos, nova editio breviarii exeat in vulgus, ab hac vaticana, etiam in minimis, diversa.

Sed tria alia notatu digna promittit sacra Congregatio post recognitionem textus Bibliorum sacrorum,nempe « I. *Historicis lectionibus emendatis;* II. *hymnisque revisis, et* III. *Patrum et Doctorum homiliis et sermonibus ad veram lectionem revocatis* ».

Quod lectionum historicarum emendationem attinet, norunt omnes desiderata et vota Episcoporum Concilii Vaticani, qui huiusmodi emendationem postularunt a sancta Sede, et viri peritiores ac docti iam a saeculo xvij et xviij provocarunt. Quando ergo dicta emendatio facienda erit, tunc calendarium quoque ecclesiae universalis ordinandum, ita ut nonnulla festa sanctorum iuxta doctrinam Benedicti xiv

(de Canoniz. Ss., IV, p. 2, xiv), sint expungenda, vel ritu minuenda vel cum aliis sanctis eadem die coniungenda.

Circa Hymnorum revisionem quam promittit sacra Congregatio, vide quae scripsimus in nostris Praelectionibus Liturgicis (num. 49), multi enim viri, in re liturgica atque in christiana antiquitate perdocti, summopere desiderant ut hymni breviarii ad antiquam formam revocentur, prout retinuerunt breviaria Capituli Vaticani, Monachorum S. Benedicti, ac Fratrum Carmelitarum et Praedicatorum.

De homiliis et sermonibus sanctorum Patrum et Doctorum, quae habentur in breviario, ad veram lectionem revocandis, dicendum est, cum Baumer (II, pag. 625), quod nonnullae ex iis spuriae sunt procul dubio, uti facile nunc probatur post nova studia; nonnullae vero emendandae erunt iuxta probatas et genuinas editiones.

Nos haec nunc scribentes, expletam breviarii reformationem et emendationem istam non videbimus certo, nam vita suos dies numeratos habet, et ad exitum declinamus; iuvenes vero discipuli nostri, post absolutum negotium istud summopere gaudentes videbunt in praxi deducta tot vota sapientium virorum, a Benedicto xiv, et Grancolas, usque ad Gueranger, Batiffol et Cabrol, aliosque plurimos sacrae liturgiae antiquae studiosos. Tunc enim omnes gratulantes laudabunt opus felicis recordationis Pii Papae X, et cum citato Batiffol clamabunt: *Post reformationem breviarii a Pio v inductam, novam ac meliorem excogitare Pius x non poterat, quae est problematis solutio de qua Benedictus xiv aliquando desperaverat: solutio, inquam, quae officia de Tempore instaurat, quin minuat officia Sanctorum; solutio ut ita dicam, audax, elegans, et Deo adiuvante definitoria.*

Gaudendum est igitur de hac nova editione vaticana romani breviarii, Typica declarata, ac summopere laudanda ut opportune scribit Ephemeris *La Civiltà Cattolica* (2 ian. 1915, pag. 84).

Recentissima editio typica Vaticana romani breviarii, summopere desiderata, communem expectationem superavit.

Breviarium hoc, in forma quam vocant *Totum*, quamvis constet paginis 1776, nihilominus tale est, ut facile tractabile evadat, ac levissimi ponderis singularem in modum, ob chartam exilem, nec tamen translucidam, quae indica dicitur. Typi quoque elegantis formae competentis crassitudinis nitfdissime impressi, facillime leguntur, ideoque perquam commode hoc breviario uti poterunt, qui ad horas Canonicas sunt adstricti. Insuper hac quoque pollet qualitate, ut omnia per extensum propris locis disposita sint, praesertim Responroria post lectiones, ut nonnisi rarissime lectores ad alias paginas rimittantur.

Praeter speciosam imaginem, coloribus et auro exornatam, in principio voluminis positam, exprimentem Caelestes Deum Trinum et Unicum collaudantes, quibus nos in terris psallentes coniungimur aliae extant imagines in capite paginarum, in quibus Officium incipit alicuius ex solemnioribus festivitatibus.

Editio ista diligentissime curata est, ita ut sine mendis vel levissimis in publicum exeat; itaque typographia Vaticana, habita etiam ratione tenuitatis pretii, quo Breviarium istud prostat venale, laudabilem operam praestitit in utilitatem cleri, qui nostris hisce temporibus ut plurimum, praesertim apud pagos et villas, in gravi egestate invenitur.

SACRA CONGREGATIO CONCILII

PAPIEN.

Circa Missam pro populo.

DUBIA.

Ordinarius Papiensis haec dubia, de Missa pro populo applicanda, ad sacram Congregationem Concilii pro opportuna solutione detulit, nimirum:

I. Utrum, post immutationes inductas, obligatio pro parochis adhuc maneat applicandi missam pro po-

pulo sequentibus diebus: die 19 martii in festo S. Iosephi, feria IV ante dominicam tertiam post Pascha in festo Patrocinii eiusdem S. Iosephi, feria quinta post dominicam primam post Pencosten in festo Ss.mi Corporis Christi, et die 24 iunii in festo S. Ioannis Baptistae?

II. Utrum, quum in dioecesi Papiensi festum S. Bartholomaei Ap., ob perpetuum impedimentum ex festo Dedicationis ecclesiae cathedralis die 24 augusti occurrente, perpetuo, tamquam in sedem propriam, in posteram diem 25 augusti fuerit translatum, missa pro populo hac ipsa die applicari debeat, an potius die 24 augusti?

III. Utrum, attento quod in Papiensi dioecesi, diebus festis suppressis, missa pro populo celebranda ex apostolico indulto, ad mentem Episcopi applicatur, tolerai i possit quod parochi, non ipsa die qua tenerentur, neque per se, sed per alium sacerdotem, missam ut praefertur applicandam celebrent?

Et sacra eadem Congregatio, die 16 decembris 1914, ad proposita dubia rescripsit:

Ad I. Affirmative, excepta feria IV ante dominicam tertiam post Pascha, qua festum Patrocinii S. Iosephi celebratur.

Ad II. Missam pro populo, in casu, celebrandam esse die 25 augusti.

Ad III. Affirmative.

O. Giorgi, *Secretarius*.

Commentarium.

Ad I. In nostro Commentario in novissimas Rubricas (Ephem, Liturg., 1914, pag. 568) arguendo iam docuimus, quod solemnitas s. Ioseph, quae celebratur feria iv ante do-

minicam iij post Pascha, non inducit obligationem applicandi missam pro populo; quam tamen retinent tam Nativitatis s. Ioannis Baptistae in sua antiqua die 24 iunii, quam festum Corporis Christi. Nunc sententia haec nostra solemniter confirmata est per hoc decretum s. Congregationis Concilii.

Ratio est, quia mens non fuit Legislatoris ut onus parochorum, circa applicationem missae in festis augeretur; ideoque si huiusmodi applicatio, uti declaravit eadem Congreg. Concilii, fieri debet a parochis in die antiqua 19 martii, nunc in solemnitate praedicta s. Ioseph, missam applicare non tenentur.

Ratio est, quia dominica iij post Pascha, in qua antiquitus recolebatur Patrocinium ipsius s. Patriarchae, missa applicabatur pro populo, non ob istam festivitatem, sed propter diem dominicam ipsam; ideoque solemnitas, nunc assignata in feria iv praecedenti, secum onus huiusmodi applicationis, quod non habebat, ferre non potest (Cf. etiam quae scite scripsit P. V. ab A. in eodem num. Ephem. Lit., pag. 618).

Forsan dubium propositum a Rev.mo Episcopo Papiensi ortum habuit, eo quod solemnitas s. Ioseph prius reposita fuerat in dominicam iij post Pascha; et quia festa sic assignata ut dominicae feriatione gauderent, si ex dominica auferuntur, nefas esse videtur feriatione privari, aliqui censuerunt onus applicandi missam pro populo adhuc permanere in solemnitate praedicta s. Ioseph. Opportune ergo per hoc decretum dubium e medio ablatum est omnino.

Quod autem attinet festa Nativitatis s. Ioannis Baptistae et Corporis Christi, res facilius intelligitur; nam, in primo decreto reductionis festorum, utrumque festum in dominica celebrandum erat (et tunc die 24 iunii, et feria v post Trinitatem onus applicandi missam pro populo parochi non amplius habuissent) atque cum unica applicatione (cf. decr. S. Congr. Conc. 24 apr. 1875) parochi duobus oneribus satisfaciebant applicandi missam, et pro festo reposito in do-

minica, et pro ipsa dominica; prout fit quando per accidens festum aliquod feriatum in dominicam incidat.

Porro, suos in dies redeuntibus festis s. Ioannis et Corporis Christi, duo onera denuo sunt separata, et ideo tam die 24 iunii, quam feria iv post Trinitatem adhuc extat onus praedictae applicationis missae, sicut inest in reliquis festis suppressis.

Ad II. Ex hoc secundo responso videtur quod in dioecesi Papiensi antiquitus celebrabatur cum feriatione festum s. Bartholomaei die 25; quo posito, patet responsionis ratio; scilicet, in dioecesi Papiensi, sicut Romae, festum s. Apostoli huius recolebatur die 25 cum feriatione, qua sublata, mansit ea die onus parochorum applicandi missam pro populo, sicut manserat pro parochis Urbis Romae, non vero die 24 augusti.

Quod si aliter res se haberet, nempe, si in dioecesi Papiensi feriatio pro s. Bartholomaeo antiquitus habebatur die 24, et eius tantum officium celebrabatur die 25, tunc onus applicandi missam in dicta die 24 mansisset, sicut, ex. gr. manebat Florentiolae Placentinae dioecesis, quando die 19 martii celebrabatur translatio s. Florentii cum feriatione in honorem s. Ioseph, et officium huiusce s. Patriarchae die 20 reponebatur.

Ad III. Applicatio missae pro populo, est onus personale et locale; ideoque per se, semper debet per ipsum parochum adimpleri, adstante populo suo in diebus festis. Quod si agatur de applicatione missae in diebus non amplius feriatis, tunc quia populus adesse non iubetur, nimio cum rigore lex praedicta non est accipienda. Hinc bene potest parochus, iusta ex causa, alii sacerdoti munus applicandi missam delegare, itemque, ut hic declarat s. Congregatio, alia die ipsam applicationem admittere.

P. Piacenza.

Acta Academiae Liturgicae Romanae.*

Die 5 novembris 1914.

In Aedibus Eminentissimi D. Cardinalis Urbis Vicarii habitus est coetus consiliaris Academiae, Praeside Eodem Viro Eminentissimo, ad novos eligendos, pro more, Consiliarios, exeuntibus, exacto quadriennio, R. P. D. Petro La Fontaine et R. D. Aristide Gasparri, itemque Secretarium cum Pro-Secretario, cessantibus post quadriennium Secretario R. P. D. Antonio Cani et Pro-Secretario D. Iosepho Candidori:

Electi Consiliarii:

R. P. D. Antonius Cani.

R. P. Vincentius M. Egidi.

Electus a Secretis:

R. D. Ioannes Bapt. M. Menghini.

Electus Pro-Secretarius:

D. Carolus Grano.

Item novi Censores sunt additi:

Declaratus lege statutorum:

D. Iosephus Candidori.

Electus:

R. P. Iosephus a Persiceto, O. M. Cap.

Inter Academicos cooptati sunt Sacerdotes sex, quorum hic subiiciuntur nomina:

P. Antonius Minetti, C. F. M.

P. Ianuarius Moretti, O. Minim.

D. Stephanus Makkay.

D. Marius Bondini.

D. Iosephus Acquarone, C. F. M.

D. Eugenius Gerbaldi.

Tandem E.mus Praeses Commissionem creavit R.morum DD. Angeli Martorelli, Academiae Moderatoris, Ioannis B. M. Menghini et Aristidis Gasparri, ad iudicium ferendum de solutionibus quaestionum in ordine ad praemia, quae dignioribus deferri solent.

Die 18 novembris 1914.

Habitus est primus conventus anni academici 1914-1915, ad S. Apollinaris, apud Presbyteros Congregationis Missionis, in quo quaestionem propositam resolvit D. Aloisius Traglia, Almi Collegii Capranicensis alumnus, quam excepit, post Censorum varias animadversiones, Epitome habita per R. P. D. Philippum M. Difava, S. R. C. Substitutum, ex Censoribus.

Exinde E.mus ac R.mus D. Cardinalis Basilius Pompilj, Urbis Vicarius, Praeses fuit in distributione praemiorum, quae fieri solet ex munificentia Summi Pontificis inter eos, qui anno academico praecedenti digni sunt habiti qui eis honestarentur, sive ob meritum solutarum quaestionum, sive ob frequentiae laudem.

In fines sessionis huius, E.mus Praeses opportuno, efficacique sermone Academiam allocutus est, ad maius Liturgiae, tum theoreticae tum practicae incrementum.

Praemiorum distributio

Inter solutores

Praemio digni per appositam Commissionem sunt habiti, illudque consecuti sunt:

I^{um} cum peculiari laude: P. Ianuarius Moretti, O. Min.;

II^{um} R. D. Carolus Grosso, qui R.dis Iosepho Stefanini et Stephano Makkai merito aequiparatus est;

III^{um} R. Aloisius Traglia, ex Almo Collegio Capranicensi, qui R.do Eugenio Gerbaldi par merito iudicatus est.

IV^{um} R. Thomas Sasso, ex almo Collegio Capranicensi, qui cum R.dis Iosepho Acquarone, e Congr. Fil. Mariae,

et Mario Bondini, e Seminario maiori Later., meruit comparari.

Inter frequentatores.

Praemium tulerunt, diligentiores magisque assidui, singuli tres Sacerdotes qui sequuntur:

P. Richardus Pasquini, e Congr. S. Mariae.

R. Ioannes Traversa.

R.mus Thomas Frioni.

Quartum praemium hi, qui prioribus accesserunt, sortiti sunt:

R.mus Petrus Capo.

R. Iosephus Aquilina.

R. Michael Roxas.

R. Angelus Ferroni.

R. Raymundus Antimilas.

P. Antonius Minetti.

Tulit R. Iosephus Aquilina.

Quaestio proposita.

I.

De actionibus quae in ecclesiis permitti possunt.

Gerardus, viceparochus, qui studia perfecit in magna civitate, ubi viderat societates catholicas multa moliri pro iuventute educanda, facultatem obtinet a suo parocho illustrandi sermones catechisticos per proiectiones cinematographicas, quas tenet in ipsa ecclesia parochiali, ut frequentior populus intervenire possit, et reapse, non parvae utilitates ex huiusmodi illustrationibus in populum derivantur. Tempore autem hiemali, ne fideles theatra profana frequentent, scenicas actiones cum pueris et puellis, tenendas curat

in subterraneo ipsius ecclesiae. Ut vero pueri ad Catechismum magis per annum alliciantur, mense novembri, mutata ecclesia parochiali in quandam aulam, solemniter cum musicalibus instrumentis, et cum declamationibus et canticis, moralibus quidem, non vero liturgicis, praemiorum distributionem celebrat, cum interventu virorum et mulierum qui valde laudant zelum Gerardi. Parochus ipse multum gaudet de bonis fructibus, qui ex his colliguntur, attamen, cum in paroeciam ad predicandum verbum Dei venisset quidam vir religiosus, qui haec omnia ait non esse admittenda in templis, tunc parochus, timens, nimiam libertatem concessisse vicario suo, quaesivit:

1. *Quid vetus, quid hodierna Ecclesiae disciplina statuant de locis Deo dicatis?*

2. *Utrum proiectiones cinematographicae permitti possint in ecclesiis, et actiones scenicae in locis, quae sub ecclesiis habentur libera?*

3. *Utrum academiae sacrae et praemiorum distributio cum musicalibus istrumentis, etc. ut in casu, celebrari queant in ecclesiis, quasi in aulas immutatis?*

Solutio.

I. Quid vetus, quid hodierna Ecclesiae disciplina statuant de locis Deo dicatis?

Sub naturae lege, Noe, Abraham, Iacob erexerunt altaria Deo. Sub lege scripta, Dei iussu aedificavit Moyses tabernaculum ea magnificentia, qua maiestate Domini dignum esset. Quod si Iacob, postquam Altissimum in aprico exoravit, Moyses apud mare et Salomon in secreto cubiculi, ipsimet opportunum iudicarunt preces cum odore incensi coram altaribus, tabernaculis et in templo interponere,

consentaneum sane erat, quod Evangelii sectatores in Dei honorem oratoria, sacella et magnificas erigerent ecclesias. Hisce aliisque considerationibus permoti, sancti Apostoli, quemadmodum in dies spiritualem aedificabant ecclesiam, verbi Dei praedicatione, ita et materialiter augebant, delectis et sanctificatis aulis divitum, ut primitiae christianorum ibi coadunatae cor unum et anima una efficerentur.

Aedificatis consecratisque Deo ecclesiis primaevi christifideles utebantur, tamquam Dei domibus, ad cultum, neque sinebant in eis quidquam peragi, nisi ad fovendam pietatem conduceret. Quoties christiani ecclesiam ingrediebantur, manus et vultum lavabant (Chrysost., Hom. 42 in Matth.) et inclinabantur, orientales praesertim, verba publicani proferentes: « Deus, propitius esto mihi peccatori ». Praeterea passim legitur in Ambrosii operibus, christianos, in amoris reverentiaeque signum, columnas, postes et parietes templi osculari consuevisse.

Reges et imperatores, templum ingressuri, non modo milites prohibebant intrare, sed et propria arma necnon ipsum diadema deponebant, regi regum Domino obsequentes, eundemque pacis principem affirmantes. Ita omnes templum ingrediebantur tamquam magni Regis palatium, cui serviebant Angeli, vel coelum ipsum, ubi Christus in suo solio fulgebat.

Sed et Auctoritas Ecclesiae severius istam custodiebat sanctitatem. In templis, ut ait Bingham (c. 10, § 1), coetus pios habebat, Episcopos clericosque eligebat, concilia adunabat, catechesim docebat, disputationes religiosas admittebat: nil tolerabat, quod fideles distrahere a coelestibus et supernaturalibus potuisset.

Ut iam in templo Hieroslymitano loca occupabant separata sacerdotes et populus, viri et mulieres, sic in ecclesiis christianorum idem tenebatur ordo. Docet S. Clemens (Const. l. 2, c. 61), ecclesias fabricari consuevisse ad instar navis, medius sedebat Episcopus, circumdatus clero, ex uno latere viri, ex altero mulieres manebant. Pauperes mendi-

cabant ad ianuam, uti apud Hebraeos, cum eis non liceret ingredi, ceteros fideles ne distraherent.

Permittebatur quidem ut fideles integras noctes in ecclesiis transigerent, at vigiliae huiusmodi necessarium erant consectarium divini cultus, iis locis eoque tempore, quibus publica officia celebrare non licebat. Cum autem alicubi, sub orationis praetextu, quaedam committerentur decori sacri loci non consentanea, vetitum est mulieribus vigilias ducere in ecclesiis.

Perseverabat usus in ecclesiis, ut fideles (quod in postrema coena Christus gesserat) in ecclesia coadunati, una simul coenarent, eodemque tempore S. Communionem susciperent. Triplicis speciei, ait Gregorius Nazianzenus, erant christianorum convivia publica: ad nuptias, quae appellabantur « connubialia », ad festum alicuius Martyris celebrandum: « agapes natalitiae », in respectiva ecclesia, testantibus Augustino (C. Faustum, l. 20, c. 4, § 29) et Theodoreto (De evangeliorum veritate, l. 8, in fine), ac tandem ad exequias: « agapes funerariae », quae interdum in ecclesiis habebantur, uti eruitur ex Origene (In Iob, l. III), S. Ioanne Chrysostomo (In Matth., Hom. 32), S. Hieronymo, etc. Nec mirum, testis enim est Tertullianus de severitate ritus et de rectitudine morum quae in coenis huiusmodi servabantur (Apol., c. 39, in fine): « Nihil vilitatis nihil immodestiae admittit, non prius discumbitur quam oratio ad Deum praegustetur, editur quantum esurientes cupiunt, bibitur quantum pudicis est utile. Ita saturantur ut qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum sibi esse. Ita fabulantur ut qui sciant Dominum audire..... Aeque oratio convivium dirimit; inde disceditur non in catervas caesionum, neque in classes discursationum, nec in eruptiones lasciviarum, sed ad eandem curam modestiae et pudictiae, ut qui non tam caenam caenaverint quam disciplinam ».

Sed paulatim, invalescentibus abusionibus, prohibuit Auctoritas haec convivia in ecclesiis, ac tandem penitus abolevit. Patres et concilia, saeculis III et IV, rem lamenta-

bantur. Ambrosius ecclesiae Mediolanensi abusus repressit, quae in conviviis inoleverant. Augustinus Ambrosii zelum aemulatus est, ac vehementer in ecclesia Hipponensi pessimosmores reprehendit. Concilium Laodicenum an. 343, et Hipponense an. 393 opportunos edidere Canones, ne in ecclesiis amplius permitterentur agapes, nisi (Conc. Hippon., can. 29) id necessarium fuerit ad peregrinos reficiendos, excluso tamen populo.

Semel Deo dicatis ecclesiis, non amplius licebat eas ad alios usus convertere, multoque minus haereticis tradere. Ambrosius respondit Valentiniano petenti in favorem Arianorum quandam ecclesiam Mediolanensem, se potius paratum esse mori, quam tradere illam ecclesiam.

Prohibebantur insuper mulieres ne in ecclesiis canerent. Concilium Antissiodorense, an. 690, can. 9, ait: « Non licet in ecclesia choros saecularium vel puellarum cantica exercere, nec convivia in ecclesia praeparare, quia scriptum est domus mea domus orationis vocabitur ». Et Concilium Caletanum anni 694, can. 19, dicit: « Multa quidem eveniunt quae dum leviter corriguntur saepius maiora consurgunt. Valde enim omnibus noscitur esse indecorum quod per dedicationes basilicarum, aut festivitates Martyrum, ad ipsa solemnia confluentes choros femineos, turpia quidem et obscaena cantica decantare videntur, dum aut orare debeant aut clericos psallentes audire. Unde convenit quod Sacerdotes loci, talia a septis basilicarum vel porticibus ipsarum ac etiam ab ipsis atriis vetare debeant et arcere. Et si voluntarie noluerint emendare, aut excommunicari debeant aut disciplinae eculeum substinere ».

Haec est disciplina de locis Deo sacratis in veteri Ecclesia servata; nunc veniamus ad recentiorem ac vigentem.

Loca Deo dicata privilegio gaudent immunitatis, quae duo importat: 1° ne ibi exerceantur actiones non sacrae; 2° ut quibusdam determinatis delinquentibus in iis confugientibus detur asyli libertas. Primum tantum nos respicit. Sunt quaedam ex natura rei in ecclesiis prohibita, alia vero,

quamvis ex rei natura non repugnent, prohibentur tamen ex speciali ecclesiastica lege. Actus profani in iure vetiti sunt: « Non oportet in ecclesiis agapen facere et intus manducare et accubitus sternere. Nullus in eisdem locis in quibus cum pace et quiete vera convenit celebrare seditionem excitet, conclamationem moveat, impetumve committat. Cessent in locis illis societatum et universitatum quarumlibet concilia, conciones et publica parlamenta. Cessent vana et multo fortius foeda et profana colloquia. Cessent confabulationes quaelibet, sint postrema quaecumque alia quae divinum possunt turbare officium aut oculos divinae offendere maiestatis ».

Unde prohibentur: 1° iudicia saecularia, criminalia et civilia; 2° mercatura, nundinae et contractus; 3° repraesentationes theatrales; 4° publici conventus societatum laicalium; 5° convivia; 6° profanae conferentiae; 7° musica profana; 8° usus habitationis, et asservationis profanarum rerum, nisi necessitas excusaverit (Wernz, *Ius decretalium*, t. III, p. 426). Praeterea Ss. Concilium Tridentinum, sess. 22, in decreto de evitandis et observandis in celebratione Missae, ait: « Ab ecclesiis vero musicas eas ubi sive organo sive cantu lascivum aut impurum quid miscetur, etiam saeculares omnes actiones, vana atque adeo profana colloquia, deambulationes, strepitus, clamores, arceant, ut domus Dei vere domus orationis esse videatur ac dici possit ».

Episcopi, ait P. Wernz, sive in Synodis dioecesanis, sive in Conciliis particularibus, ius habent servandi in ecclesiis ordinem legitimum, et compescendi novos abusus, nec non exigendi ut parochi, in casibus dubiis et a generalibus constitutionibus seu consuetudine non consideratis, ad eos recurrant. Huiusmodi essent musicae religiosae quidem, sed ad cultum non ordinatae, congressus catholici, academiae etiam argumenti sacri, praemiorum distributiones etc. Sed de his inferius.

Nunc ad reliquas propositas quaestiones de veniamus.

II. A. Utrum proiectiones cinematographicae permitti possint in ecclesiis?

3

Quando agitabatur quaestio de sacris repraesentationibus, an liceret haberi in ecclesiis, anteacto tempore, diversimode solvebatur. Barbosa affirmabat (ad can. Cum decorem, n. 6). Concilium Toletanum XXII, can. 19, vetabat, sed nequibat vim legis habere pro ecclesia universali. Ursaya (Inst. Crim., l. 3, t. 4, n. 29), hunc locum commentans, ait: « Per hoc tamen honestas et devotas repraesentationes quae populum ad devotionem moverint... non intendimus prohibere ». Etenim repraesentationes huiusmodi conducunt homines magis ad compunctionem quam advoluptatem. Et Ferraris (Bibl., t. III, ad vocem *Ecclesia*, p. 231) sententiis, tam affirmativa, quam negativa, relatis, subdit: « Unde ad conciliandas praedictas opiniones concludendum est, quod repraesentationes piae et devotae possunt quidem fieri in ecclesiis, sed cum licentia et approbatione Episcopi. Secus autem non ».

Ius ergo vigens usque ad nostram aetatem faveret et proiectionibus cinematographicis, in christianae catechesis adiumentum, saltem sententia probabili. Si enim permittebantur repraesentationes mysteriorum fidei scenicis actionibus personarum, a fortiori permissae dicerentur repraesentationes per figuras. Quidquid sit tamen de recentiori iure, aliter post diem 10 novembris 1912, dicendum est. Sacra namque Congregatio Consistorialis edixit: « ...considerantes, aedes Deo dicatas, in quibus divina celebrantur mysteria et fideles ad caelestia et supernaturalia eriguntur, ad alios usus et praesertim ad scenicas actiones etsi honestas piasve agendas converti non debere, quaslibet proiectiones et cinematographicas repraesentationes prohibendas omnino esse in ecclesiis (E.mi Patres) tcensuere ».

B. Utrum actiones scenicae permitti possint in locis, quae sub ecclesiis habentur libera?

Si agitur de repraesentationibus stricto sensu sacris, tunc standum est sententiae superius expositae, si vero sermo sit de repraesentationibus non stricto sensu sacris, tunc ex iure canonico notum fit eas non licere. Habetur

enim decretum S. Rituum Congregationis, n. 3546, diei 4 maii an. 1882, in Taurinen., edicens, non licere ecclesiam consecrare in cuius subterraneis locis repraesentationes theatrales haberentur ad iuventutem honeste exercendam, « utpote ecclesia cum sua parte subterranea consecretur per modum unius ». Nil mirum tamen, si quod ex lege universali non licet, in particulari, iustis de causis ab ipsa apostolica Sede, quae illas tulit, permittatur, uti factum esse constat etiam in hac alma Urbe.

III. Utrum academiae sacrae et praemiorum distributio, cum musicalibus instrumentis etc., uti in casu, celebrari queant in ecclesiis, quasi in aulas immutatis?

Quamvis S. R. C., anno 1693, decretum ediderit prohibens academias in ecclesiis etiam in honorem Sanctorum, nequit absolute haec prohibitio dici vigens, et sane: 1° passim etiam Romae fiunt academiae sacrae et praemiorum distributiones, in ecclesiis quasi in aulas immutatis, non inscia ecclesiastica auctoritate, imo praesentibus E.mis Dominis Cardinalibus, non excluso Urbis Vicario; 2° non modo ullum aliud decretum hoc perlongo temporis spatio editum eodem sensu est, sed et illud de quo supra ab authentica collectione expunctum fuit, quod nullimode ex inadvertentia factum fuisse constat, testibus iisdem qui novissimae illi collectioni operam dederunt; 3° quod dicitur de academiis dici potest et de praemiorum distributionibus, quae nimirum fiunt ad instar academiarum.

Concludendum est igitur, ad sanctitatem ecclesiarum iugiter tuendam, necessarium omnino esse, in academiis ibi habendis, ut exquiratur Ordinarii consensus, cui praeventive subiiciantur sermones, cantus, poeticae elucubrationes etc., etenim Domum Dei decet sanctitudo, et ne ubi peccatorum est venia postulanda, peccati detur occasio, aut deprehendatur peccata committi.

Archaeologia Liturgica.

De osculo pedum Romani Pontificis.

DISSERTATIO.

In *Caeremoniali Romano*, quod inscribitur: *Rituum Ecclesiasticorum, sive sacrarum Caeremoniarum SS. Romanae Ecclesiae Libri tres* (1), in capite tertio libri tertii, cum de reverentiis, quae Romano Pontifici exhibentur, ritus indicantur, gravibus his verbis edicitur: « *Omnes mortales et praesertim Christifideles cuiuscumque sint dignitatis et praeeminentiae cum primum in conspectu Pontificis adveniunt, distantibus spatiis ter ante illum debent genuflectere et in honorem Salvatoris nostri Iesu Christi, cuius vices in terris gerit, eius pedes osculari* » (2).

---

(1) Additur etiam: *Non ante impressi.* Venetiis 1516. — WERNZ *Ius Decret.* T. III, n. 344, ita hoc Caeremoniale describit: « Continet functiones pontificias, sive caeremonias Capellae Papae. Qui Liber ortus est ex compilatione antiquorum Ordinum Romanorum, sive Liturgiae R. Pontificis et praxis vigentis in Capella Papali, quam iubente Innocentio VIII, a. 1488, Aug. Patritius adornavit, sed nonnisi a. 1516 per Marcellum Corcyranum Episcopum, privata auctoritate, typis mandatus est sub titulo: *Rituum Ecclesiasticorum*, etc.

(2) In praecitata edit. cart. CXX, r. — De hoc argumento videri possunt sequentes Scriptores, aliique ab ipsis indicati: THOMASSINUS, *Vetus et nova Ecclesiae disciplina* etc. Part. II, lib. III, cap. 65; CHRISTIANUS LUPUS, *Synodorum Generalium et Provincialium Decreta et Canones* etc., Tom. V, *S. Greg. VII, Dictatus*, can. IX, Venetiis 1725, pag. 195.; LIBERIUS A IESU, *Controversiae*, Mediolani 1750. Tom. V, Tract. VII, Part. I, Contr. VI, Corollarium, pag. 271.; POVYARD, *Dissertazione sull'anteriorità del bacio dei Piedi de' Sommi Pontefici* etc., Romae 1807, pag. 1 in nota quamplures indicantur auctores hac de re disserentes.; CENNI, *Dissertazioni*, Pistoia 1728, Tom. I, Diss. VI, *De osculo Pedum R. Pontificis*, pag. 171 et seqq.; MORONI, *Dizionario*, *Ba-*

Praestat, saltem pro Ecclesiae ministris, huius antiquae venerandaeque caeremoniae naturam, originem, historiam intimamque rationem exponere; quod brevi hoc commentario perficiemus. Non nova erunt nobis proferenda, sed vetera revocanda.

ARTICULUS I.

1° *De osculis in genere et de osculo R. Pontificis in specie.* 2° *De huius obsequii fundamento scripturali.* 3° *De adoratione R. Pontifici exhibita.*

I. Quid veniat nomine *osculi* satis notum est apud omnes.

Praecipua divisio, quae de osculis affertur ea est, qua osculum dividitur in *sacrum* et *profanum*. Quid sibi velit utrumque osculorum genus ex verbis ipsis dignoscitur. Pro clariori tamen expositione dicimus:

Osculum *sacrum* illud intelligitur quod Deo rebusque divinis libatur, quo res divina significatur, vel quod lege sacra sancitum fuit. *Profanum*, illud dicitur quod extra hos dictos usus adhibetur.

Osculum sacrum subdividunt in *mysticum*, *adorativum* et *caritativum*. In *mysticum* determinandum non omnes conveniunt. Aliqui enim illud intelligunt, quo significatur amor in Deum; alii quo coniunctio cum Deo, vel ipsa mystica cum Deo unio. Plerique omne osculum, quod signum est rei spiritualis, mysticum vocant.

Osculum *adorativum* dicitur illud quod homines, deprecationis, cultus atque subiectionis gratia, vel Deo vero, vel rebus divinis libare consueverunt. Est osculum adorativum *deprecationis,* illud quo peccatores propriam contritionem

cio de' Piedi.; MARTIGNY, *Dictionnaire des Antiquités Chrétiennes, Pieds du Souverain Pontife.;* CABROL, *Dictionnaire*, *Baiser*, Tom. II, pag. 128-130.; CAPPELLO, De Curia Romana. Tom. II. Sede Vacante, Romae 1912, pag. 558-561, *The Catholic Encyclopedia* New York, 1910, Vol. VIII. V. *Kiss on the feet* pag. 665. Hic quoque recentiores Auctores de hac re tractantes indicantur.

protestantur veniamque deprecantur, uti illa oscula, quae Maria Magdalena ad pedes Domini fundebat. Est osculum adorativum *venerationis* seu cultus, illud quo rei divinae in eius supremae excellentiae protestationem exhibetur. Itemque est osculum adorativum *subiectionis*, quod funditur in testimonium infinitae Dei dominationis, ordinaturque ad obsequium ei praestandum.

Osculum *caritativum* est illud quod primitivae Ecclesiae Christiani sibi invicem in sincerae pacis et caritatis signum tempore sacrorum publicorum exhibebant.

Osculum autem *profanum* subdividunt in osculum *subiectionis, salutatorium, valedictorium* etc.; quae denominationes satis clare per se rem denotant (1).

Omnia osculorum genera hucusque descripta specificantur ab obiecto seu termino et a fine. Sed aliam divisionem addendam esse putamus, quae speciem suam ex iis Ecclesiae legibus desumat, quae sacra oscula moderantur.

Sepositis itaque osculis privatis, quae utpote cultus privati manifestationes, determinatis legibus non subduntur, oscula sacra dividimus etiam in *liturgica* et *caeremonialia*. Quid sibi velint oscula *liturgica* satis clare ex appellatione colligitur: ea enim intelligimus, quibus leges liturgicae moderantur, uti ea quae in sacrae missae sacrificio adhibentur. Per *caeremonialia* autem ea indicare intendimus, quae non proprie a legibus liturgicis praescribuntur, sed quadam laudabili et vetustissima consuetudine probantur et observantur. Haec potissimum sunt, quae adhibemus ad nostram subiectionem, venerationem et affectum protestandum erga personas in Ecclesia, divina auctoritate pollentes: nempe erga Pontificem Maximum, Episcopos et simplices Sacerdotes. Quin enim specialis lex in aliquo authentico codice expressa habeatur, laudabilis et semper observata consuetudo fuit ut,

---

(1) Hae omnes osculorum divisiones et subdivisiones erudite et copiose illustratae reperiuntur in opere: Ugolini, *Thesaurus Antiquitatum sacrarum*, Venetiis, 1765, Tom. XXX, pag. 1159 et sqq. Kempius *De osculis*, Dissert. II, et per totum opus passim.

in occursibus etiam extraliturgicis, Summum Pontificem osculo pedis, Episcopos osculo Annuli et simplices Sacerdotes osculo manus salutemus ac veneremur.

Sermonem nostrum, ut iam innuimus, ad osculum pedis Romano Pontifici exhibitum circumscribimus, quod etiam *adoratio* quandoque appellatur.

Saeculis praesertim XVI et XVII, Protestantes hoc obsequium Romano Pontifici praestitum, sicuti cultum Sanctorum sacrarumque Reliquiarum et Imaginum, acre carpserunt, contra quos plerique Catholici Scriptores venerabilem constanterque observatam consuetudinem strenue tutati sunt.

II. Catholici Scriptores asseruerunt in primis, osculum pedum, quo Romanum Pontificem veneramur, in Sacris Scripturis fundari. Re quidem vera, in Sacris Litteris saepe saepius mentio fit de osculis. Pluribus in casibus agitur quidem de osculis profanis uti ex. gr. cum Ioseph ad invisendum patrem suum Iacob ad obitum decumbentem venisset, bonus ille senex *osculatus est fastigium virgae* quam in signum imperii Iosephus in manu gestabat (1); Esther osculo venerata est *fastigium sceptri* Assueri (2); Haec sunt oscula ad subiectionem significandam. Saepe occurrunt quoque oscula salutatoria, uti cum Ioseph osculatus est omnes fratres suos (3). et Esau currens obviam fratri suo Iacob *amplexatus est eum... et osculatus, flevit* (4). Sed quae ad nos spectant sunt oscula adorativa.

Agitur procul dubio de osculis adorativis cum Dominus dicit Eliae sibi septem millia virorum servasse, *quorum genua non sunt incurvata ante Baal, et omne os, quod non adoravit eum, osculans manibus* (5). Iob quoque Deum invocat dicens: *Appende me in statera iusta... Si vidi solem cum fulgeret et lunam incedentem clare, et laetatum est in abscon-*

(1) Gen. 47, 31, iuxta LXX, CALMET *Dictionarium* V. *Osculum*.
(2) Esth. 5, 2.
(3) Gen. 45, 15.
(4) Gen. 33, 4.
(5) III Reg. 19, 18.

dito cor meum et osculatus sum manum meam ore meo. Quae est iniquitas maxima et negatio contra Deum altissimum (1). Quibus negat se idololatriae crimen commisisse: Super his autem animadvertit S. Hieronymus: « Qui adorant solent deosculare manum et capita submittere... Hebraei iuxta linguae suae proprietatem deosculationem pro veneratione ponunt » (2).

Id quoque colligi videtur ex Mardochaeo, qui ante Aman genuflectere et eum adorare recusaverat veritus ne honorem Dei transferret in hominem, profitetur tamen libenter pro salute Israel *etiam vestigia pedum eius deosculari* paratum fuisse (3). Quo etiam mos indicari videtur oscula adhibendi in peragenda adoratione.

Sed nostrum argumentum propius tangit Isaiae Prophetae vaticinium, quo futuri regni messianici gloria praedicitur. Obsequium de quo loquimur, in Ecclesia futurum, ita, Domino loquente, enuntiat: *Gloria Libani ad te veniet... et locum pedum meorum glorificabo. Et venient ad te curvi filii eorum, qui humiliaverunt te et adorabunt vestigia pedum tuorum omnes, qui detrahebant tibi* (4). Quomodo hoc vaticinium impleatur in Ecclesia, accuratioribus verbis exprimi nequit, quam iis quibus Cornelius a Lapide in hoc textu interpretando usus est. Scribit itaque praeclarus Commentator: « Patet hoc impleri in Romano Pontifice, qui est caput Ecclesiae. Frustra ergo indignantur haeretici ad oscula pedum Papae, cum ea praedixerit et promiserit Isaias. Ita reges Visigothorum, Francorum, Anglorum, Nortmanorum, Lon-

(1) Iob 31, 6-28.

(2) S. Hieronymus, *Adv. Rufinum* L. 1, n. 19: Migne 6. L. XXIII. 413. Cum vox *adorare*, quoad ethymologiam, nil aliud sonet nisi *ori admovere*, illa quoque salutandi ratio pluribus in locis usitata: *bacio la mano*, vel *baiser les mains*, ex antiquissimo more manum ori admovendi in alterius venerationem, originem ducere pluribus visa est. Cf. Ugolini, *Thesaurus Antiquitatum sacram*, T. XXX, pag. 1178. Kempius, *De osculis*, Francfurti 1680, pag. 76.

(3) Esther 13, 13.

(4) Isaias 60, 13-14. Cf. etiam ib. 49, 23.

gobardorum et aliarum gentium, quae saepius vexarunt Ecclesiam et Pontificem, Romam venerunt ut ibi adorarent vestigia pedum eius » etc. Quod omnibus Ecclesiae saeculis et etiam hisce nostris temporibus luculenter impletum vidimus.

Extant quoque in Evangelio, exempla deosculationum pedum Domini: Petrus post copiosam piscationem *procedit ad genua Iesu* (1): Archisynagogns item *procidit ad pedes Iesu* (2); piae mulieres, post Christi resurrectionem *accesserunt et tenuerunt pedes eius et adoraverunt eum* (3). Huc revocari posset etiam Caeci-nati (4), Hemoroissae (5) et Mariae Magdalenae poenitentis ad pedes Iesu, adoratio (6). Merito etiam hic recolitur illa prima salutatio, qua Cornelius Petrum excepit. Eo enim introeunti, *obviam venit et procidens ad pedes eius adoravit* (7).

Quas omnes deosculationes, aliasque a nobis non recensitas, veluti praeludium deosculationis postea Summis Pontificibus exhibitae considerant plures rerum sacrarum Scriptores. Speciminis gratia sequentes proferimus:

Cornelius a Lapide, paulo ante citatus, in commentanda salutatione, qua piae Mulieres Christum redivivum prosecutae sunt, pedes eius complectentes et deosculantes, scribit: « Sic Sunamitis apprehendit pedes Elisaei, orans ut filium eius resuscitaret (IV Reg. 4, 27.), sic fideles amplectuntur et osculantur pedes Pontificis, aeque ac virorum sanctitate illustrium » (8). Item ad salutationem, qua Petrus Cornelium adoravit, commentatur: « Adoravit non latria, sed adoratione civili et religiosa, sicut Abraham adoravit filios Heth (Gen. 23, 7). Et Alexander Magnus Iaddum Pontificem Iudaeorum. teste Iosepho, lib. XI, Ant. cap. VIII; et sicut

(1) Luc. 5, 8.
(2) Marc. 5, 22.
(3) Mat. 28, 9.
(4) Luc. 8, 47.
(5) Ioan. 9, 38.
(6) Luc. 7, 38.
(7) Act. 10, 25.
(8) In Evang. Matth. 28, 9.

modo, exemplo Cornelii, fideles adorant Pontificem, eumque genuflexi osculo pedis venerantur » (1).

Christianus Lupus de osculo pedis Summi Pontificis expresse scribit: « Reverentia haec aliquid fundamenti habet a Sancto Evangelista Matthaeo scribente de unguentiferis mulieribus, resuscitatum Dominum venerantibus: *Accesserunt et tenuerunt pedes eius et adoraverunt eum.* Licet non eandem adorationem, eandem tamen reverentiam supremo Domini in terris Vicario exhibendam, fideles non male censuerunt » (2).

Liberius a Iesu, insignis plane Theologus appellatus (3), sibi probandum assumit usum deosculandi pedes Romani Pontificis esse laudabilem, et ita conficit argumentum: Quod a Deo praeordinatum est, nonnisi laudabile censeri potest: Atqui usus etc. Ergo etc. Minorem probat ex Is. 49, 23 et 60, 14. Deinde concludit quod ea, quae a Propheta vaticinata fuere « apprime verificata novimus in Romano Pontifice ad cuius pedes Principes advolutos narrant Historiae. Hunc morem laudavit Christus, dum excipiens mulierem ad osculum pedum, de Pharisaeo hac super re conqueritur: *Osculum mihi non dedisti; haec autem ex quo intravit non cessavit osculari pedes meos.* Cum itaque Summus Pontifex sit Christi Vicarius optimo iure hoc obsequii genere honorandus est ».

Isti et plerique alii Scriptores (4) tenent hoc obsequii genus in sacris Litteris fundari eo sensu, quatenus in eis illud futurum in Ecclesia praenunciatur et quatenus Christo et Sancto Petro Apostolorum Principi hoc idem exhibitum reperitur.

(Continuabitur).

Fr. IOSEPHUS ANT. O. M. Cap.

---

(1) In Act. 10, 25.

(2) CHRIST. LUPUS: *Synodorum Generalium et Provincialium Decreta et Canones,* etc. Venetiis 1725, T. V. pag. 200.

(3) HURTER, *Nomenclator,* Oeniponte 1916 T. IV, pag. 685.

(4) Fere omnes qui in indiculo bibliographico citati fuerunt et alii qui in ipsis tractatibus reperiuntur indicati.

Consultationes.

Ex V. in Hollandia. — Collecta ab Ordinario imperata inter alios dies omittitur in duplicibus 1 et 2 classis et in Dominicis maioribus, nisi ipsa praescripta sit *pro re gravi*. In praesenti habemus in hac regione duas Collectas imperatas, unam *de Spiritu Sancto* pro electione novi Episcopi, alteram *pro pace,* quae ultima praescripta fuit loco imperatae *pro Papa*. Mihi videtur causa pro utraque imperata esse gravis, ideoque utramque dixi in duplicibus 1 et 2 classis, necnon in Dominicis maioribus. — *Quaeritur:* An recte egerim?

Resp. Mihi videtur, in iudicando an aliqua Collecta imperata sit *pro re gravi,* ante omnia videndum est, utrum ipsa Collecta uti talis *pro re gravi* praescripta sit a competente auctoritate, necne. Hinc collecta imperata potest esse obiective *pro re gravi,* quamvis uti talis non sit praescripta a competente auctoritate.

Certum est Collectam a Summo Pontifice seu a S. Sede pro toto orbe imperatam esse posse *pro re gravi*. Ita anno 1869 die 11 aprilis Pius Pp. IX tempore Concilii Vaticani inter alia praescripsit Collectam *de Spiritu Sancto* in Missis quotidie addendam. Circa quam S. Rituum Congregatio interrogata: « An Collecta *de Spiritu Sancto* debeat omitti in diebus primae et secundae classis? ». Eadem S. Congregatio respondit: « Negative, et in diebus 1 classis dici debet sub unica conclusione, in Festis vero 2 classis cum propria conclusione » (Die 3 iulii 1869 ad VIII, n. 3211).

Item, quod Episcopi locorum Collectam uti *pro re gravi* pro sua Dioecesi praescribere possint, de eo nullum dubium amplius esse potest, nam ad quaestionem: « Episcopus potestne praescribere ut Collecta *pro re gravi,* v. g. *pro Papa,* recitetur etiam in duplici 1 classis sub unica conclusione? »,

S. Rit. Congregatio respondit: « Affirmative, si revera sit pro re gravi » (D. 7 augusti 1875 ad 3, n. 3365).

Ad dubium autem: « An Praelati Regulares, etiam locales, possint ordinare Collectam dicendam in Missa a subditis suis, tam pro necessitatibus Ordinis quam pro necessitate communi? » S. R. C. resp.: « Non posse sine licentia Episcopi » (Die 27 mart. 1779 ad 6, n. 2514).

Insuper notandum est Collectam *pro re gravi* explicite et implicite praescriptam esse posse a competente auctoritate. *Explicite*, si auctoritas competens eam praescribens expresse dicat talem Collectam esse imperatam *pro re gravi*; *implicite* vero, si v. g. Ordinarius praescribat eam Collectam dicendam esse qualibet die, vel eam dicendam esse etiam in duplicibus 1 et 2 classis, vel si eam praescriberet in aliqua determinata die, occurrente in Calendario Dioecesis Festo duplici 1 classis, etc. — Quando autem Ordinarius loci dicit talem Collectam substituendam esse Collectae *pro Papa*, et sic haec non sit pro re gravi, ita ut ea dici tantummodo possit, permittentibus Rubricis, ex eo clare sequitur etiam illam, quae suo loco substituitur, non esse *pro re gravi*, vel saltem uti talem praescriptam non censeri.

Ex praedictis itaque satis liquet quod inquirens quoad imperatam *pro pace* non recte egerit, neque quoad alteram imperatam *de Spiritu Sancto*, cum non supponendum sit eam *pro re gravi* ab Ordinario loci praescriptam censeri, nisi ipse Ordinarius loci id satis clare expresserit (1).

P. V. ab A.

BREVIORA RESPONSA

Pro Austria. — I. Si infra octavam Ss. Corporis Christi et quidem in Dominica occurrit externa solemnitas festi dupl. 2 cl., potestne hac Dominica ista solemnitas celebrari cum unica Missa solemni iuxta novissima decreta?

Resp. Negative, quia etsi Dominica infra octavam Cor-

(1) Vid. decr. S. R. C. initio huius fasciculi (R.).

poris Christi non sit maior, tamen, officium eo die celebratur, quod revera nobilius est ipso festo cuius solemnitas externa peragitur. Et in casu decretum S. R. C. diei 28 octobris 1913, tit. I, n. 2, prohibet quamlibet Missam de eadem solemnitate.

II. Si infra hanc eandem octavam occurrit Vigilia S. Ioannis Bapt., vel Vigilia Ss. Apostolorum, potestne esse Missa privata de Vigilia?

Resp. Negative, quia dies infra octavam privilegiatam secundi ordinis non admittunt duplicia secundae classis. Et tunc si Missa privata de Vigilia prohibetur in duplici secundae classis, a fortiori prohibita dicenda est die quo eiusmodi duplicia prohibentur.

III. Quando concurrit festum Ss. Cordis Iesu cum festo pretiosissimi Sanguinis sunt ne Vesperae de praecedenti sine vel cum commemoratione sequentis?

Resp. In casu nulla facienda est commemoratio Pretiosissimi Sanguinis, quia inter festa Ss. Cordis Iesu et eius Pretiosissimi Sanguinis habetur identitas mysterii, iuxta decretum S. R. C., n. 3924, IV.

IV. Die VI infra octavam Nativitatis Domini, iuxta novissimas dispositiones, estne dicenda 2. Or. *Deus, qui de beatae,* tantum?

Resp. Negative, quia octava tertii ordinis admittit tertiam orationem, et duae tantum orationes habentur cum fieri debet de Dominica infra octavam, iuxta rubricas generales Missalis, tit. IX, n. 10,

V. Die 11 maii, currenti anno, in ecclesiis, ubi non habetur processio, estne Missa diei de Rogationibus aut Missa Dominicae praecedentis cum commemoratione de Rogationibus? Missae votivae certe sunt licitae?

Resp. Dicetur Missa de Rogationibus, utpote magis propria diei. Missae votivae permittuntur sicuti et defunctorum, nulla lex eas prohibet.

VI. Die 21 maii, currenti anno, in 2 Vesperis Antiphona estne *Cum venerit,* an e 2 Vesperis Dominicae praecedentis?

Resp. Antiphona, in casu, erit de Dominica praecedenti, ut dicitur in peculiari rubrica post octavam Ascensionis.

VII. Num in die octava simplici S. Ioannis Evangelistae dicendum est *Credo* in Missis?

Resp. Negative, quia ritus simplex non admittit symbolum, uti alias probavimus.

VIII. Si in feria III Rogationum occurrit festum simplex, estne Missa de simplici cum comm. Rogationum aut Missa Rogationum cum commemoratione de simplici?

Resp. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam, quia Missa de Rogationibus est ferialis non privilegiata, quamvis, ut diximus supra, praeferenda sit feriae communi.

IX. Elapso anno, diebus 15 et 16 decembris Lectiones in I Nocturno quomodo erant sumendae? An die 15 uti in festo et 16 e feria 3; aut die 15 e feria 3, et die 16 e Communi *A. Mileto?*

Resp. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, quia repetitio lectionum de die festo Immaculatae Conceptionis facienda est tantum in casu necessitatis; nunc vero lectiones feriae respectivae suum locum possidere debent; pro feria IV sequenti providetur cum lectionibus de communi.

X. Si aliquis Sanctus conceditur tamquam *Contitularis* ecclesiae alicuius, et si nulla mentio fit de ritu, considerandus estne tamquam duplex I classis?

Resp. Affirmative, dummodo illud *tamquam* significationem non habeat non omnimodae constitutionis in iure Titularium; compertum quidem est, Titulares plures esse posse, sed constare debet de eorum canonica constitutione. Disputant periti de re liturgica, an dentur Titulares secundarii, sed, quidquid sit de vera sententia, de facto constat, Romae S. Ioannem Evangelistam esse Contitularem Archibasilicae Lateranensis, sed ex eo quod clerus saecularis urbanus illius festum non celebrat sub ritu duplici I classis, putatur ille Sanctus esse Titularis secundarius seu minus principalis.

XI. Si in Dominica I Octobris fit solemnitas de Ss. Rosario cum omnibus Missis de Rosario (excepta Missa parochiali et conventuali) nonne Missa Dominicae impeditae infra hebdomadam sequentem in die libera est resumenda?

Resp. Negative, saltem in ecclesiis parochialibus et choralibus; satis enim est si vel una Missa, et quidem publici iuris, ut est parochialis seu conventualis, de Dominica habeatur. Dicimus *saltem* in ecclesiis parochialibus et choralibus, quia posset contrarium sustineri pro ceteris ecclesiis, in quibus nulla dicitur Missa de Dominica. Sed et in iis, ex nostra sententia, non est resumenda Missa Dominicae (ita scilicet ut prohibeantur ibi Missae votivae et defunctorum, quia si dies libera est, profecto Missa respondens Officio est Missa Dominicae praecedentis); et sane, dominicale Officium in casu non supprimitur, sed sola Missa; decreta vero et rubricae, quae de Dominicis reponendis vel anticipandis loquuntur, nequeunt applicari; dicit sane decretum S. R. C., diei 6 decembris 1912, Missam *reponendam* illam esse, quae, ob occurrens nobilius Officium, praecedenti Dominica celebrata non fuit; atqui Missa de Dominica 1 octobris non fuit impedita a nobiliori Officio, sed ab alia Missa ex indulto; ergo... Insuper, si S. Sedes voluisset Missam reponi, id dixisset, quemadmodum aliter providit pro ecclesiis parochialibus et choralibus, vel statuisset, uti alias disposuit, non solum parochialem Missam vel conventualem esse celebrandam, sed et unam quamcumque Missam de die, in qualibet ecclesia.

XII. Elapso anno 1914, in Sabbato erat Vigilia S. Thomae Ap., quaenam erat 3 oratio: *Deus, qui de beatae,* aut *Concede nos,* uti in Vigilia S. Andreae notatur in Missali?

Resp. Rubricae generales Missalis (tit. IX, n. 10) disponunt, ut in Vigiliis, quae ieiunantur (etiam solum de iure) dicantur tres orationes, quarum secunda (nisi locus secundus occupetur ab alia, et tunc illa erit tertia) est de S. Maria. Ergo, cum in Adventu oratio de S. Maria sit

Deus, qui de beatae.... haec sine dubio in Vigilia S. Thomae dicenda erat, et oratio *Concede* in Vigilia S. Andreae, utpote extra Adventum incidente. Rubrica particularis (die 29 novembris) in Missali loquitur de casu quo occurrat S. Andreas feria secunda, et tunc sabbatum profecto extra Adventum remanet, ideo praescribit orationem *Concede*.

XIII. In N. 9 *Ephemeridum Liturgicarum*, elapso anno, pag. 565, *Pro Galicia*, II, miramur responsum datum. Putamus maiorem auctoritatem habere *Variationes* et ex sola oblivione relictum fuisse illud in editione Breviarii; nonne?

Resp. Responsio quam dedimus loco citato *Ephemeridum*, alia esse nequibat, cum duo documenta S. Sedis attendenda essent: *Variationes*, et Editio Desclée, ambo legitime approbata, et diximus attendendum esse documentum posterius, uti cuilibet rite ratiocinanti pronum erat. Nunc vero tertium documentum habemus: Breviarium *totum* Editionis Vaticanae. In hoc nihil dicitur de lectionibus primi Nocturni, quod significat, omnia esse sumenda, quae oportet, ex respectivo Communi, idest *Doctorum*, in quo reipsa sunt lectiones *Sapientiam*. Ultimum igitur hoc documentum suadet *Variationes* non fuisse erratas, sed editionem Desclée, et etiam *typicam* Pustet, die 25 martii 1914 a S. R. C. approbatam, ac *primam iuxta typicam* a R.mo Ordinario, die 13 iunii eiusdem anni approbatam, quae emendandae sunt (Videatur rubrica in Festo S. Hilarii E. C. D., die 14 ianuarii).

XIV. Item, n. 11, pag. 685, ad VI, putamus, si responsio data non est contra Rubricas, certe praeter Rubricas; alioquin tempore Quadragesimae in festis possent post Lectiones Responsoria sumi ex Homilia, quod contra Rubricas novissimas est.

Resp. Stamus in priori resolutione. In casu proposito, *pro Moravia* VI, agebatur de lectionibus *de tempore*, quibus consonant responsoria item de tempore; in casu a Rev. Inquirente nunc citato, agitur de lectionibus *de Communi*, quibus respondent responsoria item de Communi. Quid ergo? Ubinam termini comparationis?

Pro Neapoli. — I. Sub titulo VIII, « De conclusione propria hymnorum et versu proprio ad Primam etc. », in novissimis rubricis, dicitur: « In Officiis tamen de Tempore Adventus, quamvis conclusio hymnorum propria non habeatur, numquam adhibetur conclusio *Iesu, tibi* etc. » Si tamen Officium non est de Dominica, sed de Sancto, v. gr. titulari, conclusio debet esse de Tempore, an de Immaculata?

Resp. Profecto de Immaculata; probatur enim, reipsa, in casu, quod Officium *non est* de Tempore Adventus. Congruit rubrica peculiaris ad Primam, circa versum responsorii brevis de Tempore Adventus, in qua habetur: « dicitur quotidie in responsorio brevi sequens versus (*Qui venturus es...*), nisi alius *in festis* iuxta rubricas fuerit assumendus.

II. Consuetudo est, quibusdam in ecclesiis Ordinis S. Francisci Assisiensis, impertiendi Tertiaris saecularibus Absolutionem generalem, statis diebus, post omnes Missas, iisdem cum paramentis quibus indutus est Sacerdos, dum rituale praescribit esse utendum stola violacea; nunc quaeritur: 1° Licetne pluries eodem die publice Absolutionem dare, de qua supra? 2° Potestne servari consuetudo, in casu, Absolutionem eiusmodi dandi cum missalibus paramentis?

Resp. Ad 1um. Nihil obstat quominus Absolutio generalis pluries publice impertiatur, quia haec est pro *singulis*, dum e contrario Benedictio papalis, quae bis in anno Tertiariis conceditur, est pro *communitate*. Hinc potest Confessarius singulis petentibus post sacramentalem confessionem Absolutionem impertire, non potest Benedictionem papalem. Et ne Tertiarii Indulgentia privarentur, die ad Benedictionem papalem suscipiendam constituto, concessum est ut Confessarii, loco eiusdem Benedictionis, impertiri possint Absolutionem generalem.

Ad 2um. Consuetudo, de qua in casu, nequit servari, cum adversetur rubricae ritualis approbati, nisi forte ex epikeia quando paramenta sunt violacea, dimisso manipulo.

III. Non cohaerent *Ephemerides liturgicae* cum *Monitore Ecclesiastico* circa praeceptum Ecclesiae, S. Communionem suscipiendi in propria parochia; *Ephemerides*, 1913, pag. 82, dixerunt ad id fideles non amplius teneri; *Il Monitore* (anno 1913, pag. 83) id absolute erratum dicit; quid sentiendum?

Resp. Privata opinio R.mi Solutoris *Ephemeridum*, merito a *Monitore* reiicitur, allatis argumentis; et sane, cum nos ipsi apud Secretariam S. Congregationis Concilii exquisierimus, utrum sustineri posset necne opinio Solutoris *Ephemeridum*, qui forsan futuram, ut ab aliquibus putatur, praecurrit S. Sedis dispositionem, responsum accepimus *absolute negativum*. M.

Pro loco N. – In dioecesi A. celebratur una eademque die dedicatio omnium ecclesiarum seorsim a dedicatione cathedralis, iuxta nova Decreta S. R. C.; cum autem in mea collegiata, dedicatio celebraretur in sua propria die, licet antea simul alia die recoleretur anniversarium omnium ecclesiarum, quaeritur an adhuc id fieri possit.

R. Mens est ecclesiae ut, quoad fieri potest, dedicatio ecclesiarum in sua propria die recolatur; celebratio vero dedicationis omnium ecclesiarum simul, non fuit nisi concessio ultimis temporibus facta ob commoditatem sacerdotum. Ideo absque formidine errandi arbitror quod, in collegiata de qua in casu, recte omnino adhuc possit continuari celebratio dedicationis ipsius ecclesiae in sua die, nil agendo de aliis ecclesiis, licet in calendario dioecesis una die omnes recolantur.

Ratio est, quia privilegium antiquum non fuit ablatum ex novis rubricis, imo, meo iudicio, confirmatum; licet ergo in calendario perpetuo dioecesis habeatur inscriptio dedicationis omnium ecclesiarum (excepta cathedrali), attamen sicut antea in propria die celebrabatur dedicatio collegiatae, ita et hodie hoc fieri potest. P. P.

Pro Conventu N. — I. Si post Missam simplicem immediate subsequatur aliqua functio ab alio Sacerdote peragenda, debent ne omitti preces finales?

Resp. In decreto d. 20 iunii 1913 a S. Rituum Congregatione circa preces in fine Missae lectae privatae recitandas vel omittendas, casus bini recensentur: primus de Missa quamvis lecta, tamen cum aliqua solemnitate celebrata; secundus de Missa lecta, quam subsequatur aliqua s. functio vel pium exercitium; nunc vero pro hoc secundo casu, conditio apponitur: *quin Celebrans ab altari recedat.* Et merito; namque, in primo casu, solemnitas Missae, sinit ut excludantur preces illae addititiae; in secundo vero, si Celebrans, finita Missa, recedit, cum Missa nullimode coniungatur functioni subsequenti, oportet ut Missam concludat praescriptis precibus.

II. Quum ab Ordinario praescribitur collecta *pro re gravi,* vel imo *gravissima,* in se spectata, sed iubetur cum clausula *permittente ritu,* dicenda ne est diebus quibus prohibentur collectae imperatae communes? An vero, ut gaudeat privilegiis collectae *pro re gravi,* oportet ut praescribatur pro tali Missa, et ad tempus determinatum?

Resp. Quoad primam dubii partem, videatur decretum S. R. Congregationis in principio fasciculi huius evulgatum. Quoad secundam, item provisum est in praefato decreto, in quo, cum nihil dicatur, utrum tempus determinandum sit necne, nullatenus influit huius clausulae omissio: et sane res gravis potest perseverare, quin praevideatur usquequo sit duratura, uti est praesens casus acerbissimi belli.

Pro Gallaecia. — I. Circa collectam *Et famulos tuos...* Hispaniae Regnis concessam a Ss. Pp. Pio V et Gregorio XIII, sciscitari vellem:

I. An dici quoque possit post Orationem in divino Officio, ut docet quidam hispanicus auctor. 2. An in *Postcommunione* Sabbati Sancti, quando, ut in Cathedralibus, pro Vesperis decantatur.

Resp. 1. Officio divino nihil est addendum, nisi ex apostolica concessione, itaque, si collecta praescripta vel concessa est solum pro Missa, nequit in Officio usurpari. 2. Cum Vesperae in casu reipsa partes sint Missae, potest in ipsis addi eadem collecta.

II. Post mutationes in festis Nativitatis Deiparae et S. Ioannis Baptistae usque in praesens factas, reviviscitne decretum 2 maii 1867, quoad solemnitatem talium festorum in sequentem Dominicam transferendam?

Resp. Affirmative, non enim revocatum fuerat indultum, sed ei locus amplius non erat; cum porro redierit occasio illud in praxim reducendi, sane reviviscit, seu perseverat.

III. 1. Quaenam causae requirantur et sufficiant ad Missas privatas de Requie celebrandas diebus quibus a Rubrica permittuntur. 2. Censendane est causa sufficiens sola pro defunctis applicatio? Nonne, etiam hoc in casu, conformius ritibus et spiritui Ecclesiae videtur Missam Officio conformare?

Resp. Applicatio sufficiens est, secus non maneret nisi voluntas offerentium eleemosynam, sed et huic opponi possunt rubricae, et numquam igitur celebrari deberet Missa de requie. Ceterum, qui celebrat conformiter Officio, bene facit, qui celebrat de requie utitur iure suo. Ita pro Missis votivis sufficiens est applicatio v. gr. pro beneficio obtinendo ab aliquo Sancto.

IV. An Feria VI post Octavam Ascensionis, si fiat de ea, permittantur Missae privatae votivae et pro defunctis?

Resp. Affirmative, nullibi enim reperitur extensum ad hanc feriam privilegium octavae.

V. In hac Cathedrali sequens consuetudo inter pias et laudabiles retinetur: Singulis sabbatis, post Completorium et Antiphonam finalem B. M. V., iterum eadem Antiphona modo solemniori, sed extra Chorum cantatur; postea intonatur Responsorium pro quodam pio fundatore (quod tamen Responsorium omittitur in duplicibus 1 et 2 classis), eoque finito, omnes iterum Chorum ingrediuntur ad Matutinum celebrandum. Quaeritur: 1° Retinerine potest tanquam laudabilis haec duplex consuetudo? 2° Quibus diebus praefatum Rensponsorium prohibeatur, et an in hoc attendendus sit ritus Officii expleti, vel Officii subsequentis?

Resp. 1. Affirmative, non agitur enim de chorali reci-

tatione, quamvis fiat in chorali habitu et Capitulariter, sed relicto choro, in quo formaliter habitae sunt Horae canonicae. 2. Satis est ut Responsorium omittatur in duplicibus 1 et 2 classis, quia decretum S. R. C., n. 3780, VIII, pro simili Responsorio, statuit, excipiendos esse dies in quibus occurrit duplex 1 classis, quibus in casibus, Responsorium neque habere locum potest private, post absolutas vespere Horas canonicas, ergo a fortiori, si agatur de absolutis primis Vesperis duplicis 1 classis.

Pro regione Neapolitana. — I. Absolutio generalis, quae impertitur statis diebus Tertiariis Franciscalibus, potest pluries renovari, novis advenientibus consodalibus, non ita Benedictio papalis, quae est pro Communitate in solidum; non est tamen probandum quod Absolutio detur in fine Missarum cum missalibus paramentis, quia obstat rubrica ritualis, requirens superpelliceum et stolam violaceam. Id confirmat decretum S. R. C. Congregationis sub n. 4176. Si tamen detur post Missam, quae in paramentis violacei coloris celebratur, dempto manipulo, non videtur interloquendum. Si insuper recte intelleximus quod scripsit Rev. Inquirens, quod nempe in loco mos habeatur impertiendi praedicatam Absolutionem ante Communionem intra Missam, hoc sane probari nequit, imo uti corruptela debet reprobari, quia intra Missam nihil vel minimum interponi potest, quod non sit Auctoritate Suprema probatum.

II. Usque dum aliter S. Sedes declaraverit, potest usus servari, in expositione et benedictione cum SS. Sacramento, varias recitandi et canendi preces etiam ad B. Virginem et ad Sanctos directas, supposito consensu Ordinariorum, aliqua tamen prius oratione vel saltem invocatione in Deum ipsum, praesertim sub mysterio Eucharistico, directa.

III. Nequit usus probari Pyxidem cum SS. Sacramento super corporale in medio altari relinquendi data benedictione, sed vix illa deposita, si oporteat ut eypediatur manibus velum humerale, statim reponi debet intra tabernaculum. Nihil rubrica dicit in casu, quia de laudibus « Dio sia be-

nedetto » rubricae nihil habent; est tamen regula a Decretis praescripta, quod in expositione et benedictione cum S. Pyxide, non debet haec extrahi, nisi ad benedictionem impertiendam.

IV. Si S. Rituum Congregatio a calendariis dioecesum regionis expunxit Officium S. Ianuarii M. tamquam Patroni principalis, et reliquit sub ritu duplici maiori, forsan tamquam Patroni secundarii, etiam a Regularibus eadem regula servanda est, ita ut hoc anno sola commemoratione gaudeat, die dominico, in utrisque Vesperis, Laudibus et Missa. M.

THEOLOGIA LITURGICA

Ut notum faceret nobis sacramentum voluntatis, secundum beneplacitum eius quod proposuit in eo, in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo.

***S. Paul. ad Ephes.* 1, 9, 10.**

Si quis symbolum a nobis expetant quod voluntatem animi patefaciat hoc unum dabimus semper instaurare omnia in Christo.

Pius X.

PROOEMIUM.

1. Titulus « *Theologia liturgica* » huic operi praemissus in quibusdam ingerere potest suspicionem aliquam et sensus diffidentiae, eo quod huiusmodi voces oppositae videntur monito Apostoli scribentis Timotheo: *depositum custodi devitans profanas vocum novitates* » (1). Qui autem attente et absque praeiudiciis titulum consideraverit facile sibi persuadebit nihil prophani in eo contineri, cum nihil aliud significet nisi connubium quoddam theologiae cum sacra liturgia. Quod connubium conveniens omnino ac legitimum est, cum utraque sibi mutuo inserviant, et non parvas utilitates afferant sibi invicem.

2. Sed hic, ut claritati et accurationi idearum atque sententiarum provideatur, praemonendum arbitror sacram liturgiam in meo sensu, et ideo in decursu huius libri, non sumi pro complexu rerum, verborum et actionum, quibus Ecclesia catholica cultum externum Deo exhibet, sicut ut plurimum sumitur in scholis et textibus sacrae liturgiae, sed pro complexu operum liturgicorum, quae sunt obiectum ministerii sacerdotalis, suntque Missa, horae canonicae seu officium divinum, sacramenta, sacramentalia, ministerium Verbi. Cum functiones istae duabus partibus constent, quarum una est exterior, corporea et visibilis, altera interior, spiritualis et invisibilis, ambae requiruntur ad opus liturgicum constituendum; sed non eodem modo, neque eiusdem momenti ac gravitatis; nam pars in-

(1) I Tim. VI, 20.

'terior, utpote spiritualis, praeeminet exteriori, utpote corporali; imo haec ab illa suum valorem, virtutem et rationem sui esse repetit (1).

3. Advertendum praeterea, sacram liturgiam etsi theologiae coniunctam non esse scientiam, cum ad ordinem intelligibilium non pertineat, sed ad ordinem agibilium; quod patet ex hoc quod opera sunt elementa quae illam constituunt, qualia sunt Missae sacrificium, sacramenta et aliae functiones ministerii sacerdotalis, quae denominantur liturgicae, eo quod ad publicum sacerdotii exercitium spectant (2). Quod si ipsa theologiae coniungitur hoc fit non ut scientia coniuncta scientiae, sed ut quoddam elementum practicum illius; seu ut subiectum applicationis principiorum eius, ex qua praecipue oritur ea, quam diximus scientiam liturgicam.

4. Si vero operum liturgicorum investigamus naturam, principium et finem proprium, facile videmus omnia instituta esse a Deo, et ordinata ad exequendum sacramentum voluntatis suae secundum beneplacitum eius quod proposuit instaurare omnia in Christo in dispensatione plenitudinis temporum. Quid enim intendit Deus per creationem coeli et terrae? « *Hic solus verus Deus,* ait concilium vaticanum, *bonitate sua et omnipotenti virtute, non ad augendam suam beatitudinem, nec ad aquirendam, sed ad manifestandam perfetionem suam per bona, quae creaturis impertitur* » (3). Ex hac autem largitione bonorum creaturis facta Deus consequitur gloriam suam, quae est finis ultimus universorum, quae sunt in mundo, imo ipsius mundi, ut definivit idem Concilium (4). Gloriam vero Deus consequitur a creaturis rationalibus, quae eius bonitatem, virtutem et munificentiam laudant et honorant. Hinc oritur regnum Dei in mundo: unde dici potest quod regnum Dei in mundo est finis ultimus creationis « quoniam Domini est regnum » (5).

5. Dicimus regnum Dei esse finem creationis, sed regnum Dei multipliciter sumitur. Nam conceptus regni importat conceptum dominationis: dominatio autem multipliciter distinguitur, seu dividitur:

---

(1) Cf. quae diximus in opere: « Corso di scienza liturgica ». Libro primo n. 4-8.

(2) Cf. opus citatum, n. 16 — Plures sunt scriptores qui sacram liturgiam scientiam appellant, et quidam subalterna theologiae dogmaticae eam dicunt, asserendo eam sua principia a theologia dogmatica assumere. Istiusmodi ipsi confundunt sacram Liturgiam cum scientia liturgica. Etenim sacram Liturgiam ad genus operabilium pertinere nemo non videt, quoniam partes eius aetiones sunt et opera.

(3) Sectio tertia. Const. « Dei Filius ». Cap. 1.

(4) « Si quis... mundum ad Dei gloriam conditum esse negaverit, anathema sit. Ib. Can. 3.

(5) Ps. XXI, 29.

in dominationem iuris, et dominationem facti; scilicet in ius dominandi, et in exercitium huius iuris. Creaturae omnes pendent a Deo in esse et operari: *nam « universa quae condidit, Deus providentia sua tuetur, atque gubernat, attingens a fine usque ad finem fortiter et disponens omnia suaviter »* (1). Hoc est dominium facti, a quo nulla creatura se subtrahere potest. Creaturae intellectuales vero recognoscere et adorare debent in Deo non tantum causam subsistendi per creationem conservationem et providentiam, sed etiam rationem intelligendi, et ordinem vivendi, sicut fecerunt quidam gentiles, solo rationis lumine ducti, ut docet S. Bonaventura (2).

6. Dominio divino respondet debitum servitutis in creaturis intellectualibus: quapropter sicut dominatio divina est plena, absoluta atque essentialis, ita et servitus illi debita plena est, absoluta et essentialis. Hinc construitur regnum Dei, atque theocratia, quae etiam Ecclesia Dei vocabulo magis usitato vocari solet, secundum id quod ait S. Gregorius Magnus: *« Regnum caelorum praesentis temporis ecclesia dicitur »* (3). In ipsa creatione igitur Deus construxit regnum suum, ecclesiam suam, idest societatem theocraticam; sed per peccatum regnum Dei laesum est; inde necessitas instaurationis, et hoc est quod proposuit Deus in Christo, secundum quod scripsit Apostolus ad Ephesios: *« Ut notum faceret sacramentum voluntatis suae instaurare omnia in Christo »*. Nam instaurare omnia in Christo idem est ac instaurare in Christo et per Christum regnum Dei in omnibus, sive quae in caelis, sive quae in terra sunt.

7. Quod si quaerimus quonam modo Deus instauravit in Christo regnum suum, habemus verba Apostoli scribentis ad Corinthios: *« quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi non reputans illis delicta ipsorum, et posuit in nobis verbum reconciliationis »* (4). Christus vero ministerium reconciliationis adimplevit, quia dedit redemptionem semetipsum pro omnibus, testimonium temporibus suis (5); et quoniam per mortem sacerdotium eius extinguendum non erat, posuit ministerium reconciliationis in Ecclesia, et posuit in ipsa Apostolos, eorumque successores in sacerdotio qui ministerium hoc usque in finem saeculi prosequerentur.

---

(1) Conc. Vaticanum, loc. cit.
(2) De cognitionis humanae suprema ratione, n. 24.
(3) Brev. rom. Commun. Virginum, Lect. VIII.
(4) II Cor. V, 19.
(5) I Timoth. II 5.

8. Et ecce munus operis liturgici seu sacrae Liturgiae: adimplere ministerium reconciliationis mundi cum Deo, seu restituere regnum Dei in mundo ad perfectionem. Et revera: Missae sacrificium, sacramenta, sacramentalia, ceteraeque actiones liturgicae quae sacram liturgiam constituunt ad quid aliud ordinantur nisi ad conferendam vel obtinendam gratiam sanctificantem, remissivam peccatorum? Quid est autem quod instaurat omnia, nisi gratia quae sanctificat animas, et per earum sanctificationem coniungit eas Deo in Christo solo mediatori inter Deum et homines (1)? Ex his patet quam apposite theologia liturgica definiri possit: scientia de Deo in Christo instaurante universa per opus liturgicum.

9. Omnia opera Domini magna sunt et mirabilia; in omnibus operibus Domini fulget eius divina virtus, manifestantur eius attributa et perfectiones; super omnia autem emicat opus instaurationis universi, quam Deus operatus est in Christo. Per hanc enim misericordia et veritas obviaverunt sibi; iustitia et pax osculatae sunt; in hac manifestatum est magnum pietatis sacramentum in carne, iustificatum in Spiritu sancto, recognitum atque adoratum ab angelis, praedicatum gentibus, acceptum in mundo, consummatum in gloria. Per hanc tandem regnum Dei firmatum est in universa creatura, et adimpleta est prophetia Isaiae: « *Vivo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu, et omnis lingua confitebitur Deo* » (2); et clarificatus est Christus, quem Deus exaltavit, « *et donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur coelestium, terrestrium et infernorum; et omnis lingua confiteatur quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris* » (3). Unde per instaurationem universi in Christo Deus consequitur finem ultimum omnium creatarum rerum, qui est gloria sua in regno caelesti.

10. Ex dictis patet scopum huius libri esse scientiam de Deo eruere ex opere instaurationis universi in Christo per opus liturgicum. Cum autem in opere instaurationis universi tria tempora distinguuntur, scilicet opus ante Christum, opus in Christo, et opus post Christum; ante Christum instauratio promissa fuit a Deo et preparata, in Christo executa, post Christum continuata usque ad consummationem in fine mundi, ideo tractatus noster in tres partes

---

(1) I Timoth. loc. cit.
(2) Isai. XLV, 24.
(3) Philipp. II, 9, 10.

dividendus est: et in 1ª parte agemus de actione Dei. In universo ante adventum Christi, scilicet a creatione mundi ad adventum Christi, et de opere liturgico in Ecclesia illius temporis; in 2ª parte agemus de opere Christi in tempore mansionis suae visibilis in mundo; in 3ª parte de actione Dei in mundo post Christum, scilicet de opere liturgico in Ecclesia catholica.

11. Antequam vero aggrediamur ad opus nostrum quaedam sunt praenotanda, ut planior et securior sit via quae ad metam nostram ducere debet. Et 1° definiendus est conceptus instaurationis. Instaurare significat rem instaurandam reducere ad suam convenientem perfectionem a qua defecerat; unde in hoc conceptu tria includuntur: 1. status perfectionis pristinae; 2. defectio ab hoc statu; 3. status perfectionis ad quem reducitur. Quae tria etiam in instauratione mundi inveniantur necesse est.

2° Quoniam in operabilibus causa prima est finis ultimus operis perficiendi decernendus est finis ultimus instaurationis universorum in Christo, una cum fine ultimo operum liturgicorum quibus ipsa instauratio perficitur.

3° Obiectum instaurationis est regnum Dei in universa creatura; et ideo instaurare omnia in Christo, quae sunt in caelo et in terra idem est ac renovare regnum Dei in universa creatura, ut sit Deus omnia in omnibus.

4° Universa propter semetipsum operatus est Dominus (1), idest per gloriam suam; cum sit in se et ex se beatissimus; et nihil ei addi potest ad augendam vel acquirendam suam beatitudinem; quapropter omnia quae fiunt in opere instaurationis in gloriam Dei facienda sunt.

---

(1) **Theologi omnes doctrinam sanctorum patrum secuti conveniunt in hoc quod finis ultimus primarius propter quem Deus universa operatus est propter semetipsum; Hermesiani autem admittunt Dei gloriam esse finem ultimum, non autem primarium, hunc tenent esse hominem. « V. KLER. Storia dei dogmi — Lettera pastorale di Mons. LUIGI FILIPPI Vescovo d'Aquila ».**

PARS PRIMA.

De instauratione universi ante adventum Christi.

12. Diximus supra (n. 11) in conceptu instaurationis tria includi, scilicet: *a)* status perfectionis primitivae rei instaurandae; *b)* status defectionis a perfectione primitiva; *c)* status perfectionis ad quem reducenda res instauranda. Primo igitur inquirendus est status perfectionis primitivae universi. Iuxta definitionem Concilii lateranensis IV, c. 1. confirmatam in Concilio vaticano: Deus simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam quasi communem ex spiritu et corpore constitutam (1). Hinc triplex ordo creaturarum in mundo; creaturae spirituales, idest angeli; creatura humana, idest genus humanum; et corpora. Patet non unam et eamdem esse formam perfectionis in creaturis omnibus, cum non sint unius et eiusdem naturae; sed alia est perfectio conveniens naturae corporeae, alia naturae spirituali, alia humanae; quapropter in primis agemus de perfectione universi in genere, et postea de perfectione creaturarum diversae natura in specie. Sit ergo:

CAPUT PRIMUM.

De perfectione in qua conditus fuit mundus.

13. In Deuteronomio legitur: « *Dei perfecta sunt opera* » (2), status ergo universi, qui complectitur omnia Dei opera ad extra, conditus fuit perfectus. Praeterea legitur in Ecclesiastico: « *opera Domini universa... omnia bona valde* » (3). Aliunde ab Ente perfectissimo, omnium perfectionum fonte, et omnis imperfectionis et defectus experte quid nisi bonum et perfectum prodire potest? Advertendum est autem quod perfectum aliquid multipliciter dicitur: aliquando enim dicitur perfectum aliquid quod est finitum et completum. Hoc sensu in Genesi scriptum est: « Igitur perfecti sunt coeli et terra, et omnis ornatus eorum; complevitque die septimo opus suum quod fecerat » (4). Aliquando vero et frequentius perfectum dicitur id quod

(1) Conc. Vatic. sess. 3ª, const. « Dei Filius », Cap. 1.
(2) Deut, XXXII, 4.
(3) Eccli. XXXIX, 21, 39.
(4) Gen. II, 1, 2.

excellit in bonitate et virtute; et hanc perfectionem attribuit Deus operibus suis, de quibus Auctor Genesis scribit: « *Viditque Deus cuncta quae fecerat, et erant valde bona* » (1), atque ideo perfecta.

14. Angelicus Doctor vero distinguit triplicem perfectionem in universo, scilicet perfectionem naturae, gratiae et gloriae. Perfectio naturae est secundum quod res in sua substantia est completa, omnia habens quae ad naturam suam pertinent. Et haec fuit in prima institutione, seu creatione rerum omnium. Est et alia perfectio naturae quam sanctus doctor dicit *operationis;* ea est qua res est apta ad operandum secundum suae naturae exigentiam. Huic accedit tertia naturalis perfectio, quae consistit in qualitatibus quae rem aptam reddunt ad finem suum consequendum, et dicitur perfectio finis (2). Quae triplex perfectio naturae adfuit in universo mundo in sua creatione; et hoc sensu creaturae omnes in sua creatione fuerunt perfectae. Perfectio incipit in natura augescit in gratia, completur in gloria.

15. Quae autem magis interest advertisse est distinctio perfectionis inchoatae, et perfectionis consummatae; sive perfectionis in via, et perfectionis in termino; sive etiam perfectionis acquirendae et perfectionis acquisitae. Dicendo itaque mundum conditum fuisse perfectum intelligitur de perfectione inchoata, seu in via ad perfectionem ulteriorem, praecipue ad consummatam, quae consistit in assecutione ultimi finis.

16. Sequitur ex hoc quod in universo qualiter a Deo creatus fuit nullum malum adfuit, neque defectus, neque imperfectio. *Namque,* ut ait S. Athanasius, *neque ex Deo, neque in Deo, neque in principio malum adfuit* (3), quod dici nequiret si in creaturarum principio malum aliquod adfuisset, hoc malum enim tum esset ex Deo, et a Deo creatum, contra id quod ait S. Hieronymus : *mala a Domino non creantur* (5). Huic doctrinae assentiunt omnes sancti Patres, ut videre est in scriptis S. Augustini, praesertim contra Manichaeos, S. Prosperi, S. Basilii, etc., nec non alii scriptores melioris notae, ex gr. Leibnitius scribens : *Et huc redit sancti Augustini sententia quod causa mali non sit a Deo,* sed a creatura naturaliter defectibili.

(1) Ib. 26, 1, 31.

(2) I, Quaest LXXII, n, 1, ad 1m.

(3) Oratio in Idola.

(4) Hexameron, Lib. 1. Cap. III. Huc facit quaestio de natura mali, circa qaam plures scripserunt. Catholici, duce S. Augustino et S. Thoma, tenent naturam mali positam non in aliquo reali ac positivo, neque in simplici negatione, sed in privatione. Cf. S. Th. I. Quaest. XIV, art. X.

CAPUT SECUNDUM.

Finis ultimus: perfectio consummata universi.

17. Triplici perfectioni quam retulimus ex S. Thoma (n. 14) respondet triplex regnum Dei, scilicet regnum Dei in natura; regnum Dei in gratia; et regnum Dei in gloria, idest regnum caeleste aeternum. Tertium hoc regnum est id propter quod universa operatus est Dominus, et in quo sita est gloria Domini, quae est finis ultimus omnium operum Domini ad extra. Cum autem finis ultimus in ordine operabilium sit primum principium et causa prima operationum, sequitur regnum Dei caeleste esse principium primum et primam causam omnium quae operatus est Deus in universo. Quodnam autem sit hoc regnum habemus a Ioanne qui in sua apocalypsi narrat quod angelus sustulit eum in spiritu in montem magnum et altum, et ostendit ei civitatem sanctam descendentem de caelo a Deo (1). Huius civitatis incolae sunt beati comprehensores, idest angeli, sancti et electi, qui coronam gloriae meruerunt.

18. Sed quaeri potest si incolae regni caelestis sunt qui meruerunt coronam gloriae; hoc autem esse nequit nisi in termino viae, sive angelorum, sive sanctorum electorum, regnum caeleste, seu consummatio regni Dei in universo pendet a merito creaturarum rationalium, quae solae mereri possunt et demereri. Et revera Dominus ipse in Apocaylpsi in persona angeli ecclesiae smyrnae omnibus dicit: « *Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitae* » (2). Quomodo ergo regnum caeleste potest esse finis ultimus universi in eius creatione? Huc facit mysterium praedestinationis electorum; quo electis paratum est regnum a constitutione mundi (3).

19. Scriptum est etiam quod ei qui vicerit Christus dabit sedere secum in throno suo, sicut ipse sedet cum Patre; hoc innuit quod regnum caeleste paratum est eis qui victoriam retulerint super inimicos regni Dei; quapropter regnum coeleste vocatur etiam ecclesia triumphans; eo magis quod scriptum est: « *militia et tentatio est vita hominis super terram* » (4), et per multas tribulationes

(1) Apoc. XXI, 9, 10.

(2) Ib. II, 10.

(3) Matth. XXV, 54. Quomodo concilietur liberum arbitrium creaturae cum praedestinatione et actione Dei in ipsis est mysterium menti humanae incomprehensibile, quod Leibnitius vocabat unum ex labyrintis humanae intelligentiae, sicut infinitum matematicum. Theod. Praef.

(4) Iob. VII, 1.

oportet nos intrare in regnum Dei (1). Utcumque autem explicare quis velit conciliationem liberi arbitrii cum actione divina, seu praedestinatione et reprobatione creaturarum rationalium, certum est certitudine fidei hanc conciliationem deesse non posse; quod si ad eam mens humana non pertingit hoc suae limitationi et imbecillitati est tribuendum.

20. Duo hic sunt notanda: 1° Finis ultimus mundi quod est regnum caeleste est etiam finis ultimus creaturarum intellectualium et rationalium quae illum assequuntur in visione beatifica, qua videtur Deus facie ad faciem, sicuti est, et Deus ipse possidetur, et in Deo omnia bona ab homine appetibilia, unde illud Augustini: *Fecisti nos Domine ad te, et inquietum est cor nostrum donec requiescat in te.* 2° Pro consecutione huius finis Deus providit omnibus media necessaria ac sufficientia, quorum praecipua sunt opera liturgica, gratiam conferentia, vel ad gratiam disponentia et praeparantia: sicut scriptum est quod Deus vult omnes homines salvos fieri, ed ad acquisitionem veritatis venire (2). Et ex parte Dei non deerunt media necessaria ad ultimum finem assequendum, sed homo ipse respondeat necesse est gratiae per bona opera; unde S. Petrus omnibus fidelibus ait: *Quapropter, fratres, magis satagite ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis* (3).

21. Et hoc est quod frequentius in operibus liturgicis sacerdos petit a Deo. In sacrificio orat ut Dominus in electorum suorum iubeat nos grege numerari (4); ut in consortio sanctorum non aestimator meriti, sed veniae largitor nos admittat (5). Ipsum sacrificium offert pro omnibus christianis vivis atque defunctis; ut omnibus proficiat ad salutem in vitam aeternam (6). Sed quod potius ad rem facit est sequens oratio: *Deus, cui soli cognitus est numerus electorum in superna felicitate locandus, tribue, quaesumus, ut universorum quos in oratione commendatos suscepimus et omnium fidelium nomina beatae praedestinationis liber adscripta retineat* (7). Ceterum electio, praedestinatio, salus animae, vita aeterna, aeterna beatitudo, sanctorum consortium, requies aeterna, assecutio ultimi finis et alia

(1) Act. XIV, 21.
(2) I Timot. II, 4.
(3) II Pet. I, 10.
(4) Can. Mis. « Hanc igitur ».
(5) Ib. « Nobis quoque ».
(6) Ib. « Suscipe, sancte Pater ».
(7) Feria IV Cinerum, secreta, 3.

verba similia exprimunt perfectionem consummatam quam creaturae rationales in via recta perseverantes usque in finem assequuntur. Ideo qui operatur pro salute animarum operatur pro praedestinatione et electione etc.

22. Ex dictis patet quantum perfectio mundi in primordiis suae existentiae, hoc est in creatione, differat ab eius perfectione in termino, idest in consummatione saeculi. Nec esset abs re applicare argumento praesenti quod S. Augustinus dicit de caritate: *Sed numquid mox ut nascitur tam prorsus perfecta est? Ut perficiatur nascitur; cum fuerit nata nutritur, cum fuerit nutrita corroboratur, cum fuerit roborata perficitur* (1). Potius autem progressus splendoris solis priusquam elucescat dies sumi potest pro imagine divinae lucis, quae splendescere incipit in lumine naturali intelligentiae seu rationis, augetur et corroboratur per lumen fidei et gratiae, et perficitur ultimo in lumine gloriae per visionem beatificam, in qua Deus ipse fons lucis divinae manifestatur in se, sicuti est. Hoc docet S. Thomas dicendo quod in homine triplex est lumen: naturae, gratiae et gloriae, quo non participant bruta (2), quod lumen naturale confortatur lumine gratiae (3), et tandem: gratia nihil aliud est quam quaedam inchoatio gloriae (4).

23. Patet etiam ex dictis quod perfectio in statu naturae est ordinata ad statum gratiae, et perfectio status gratiae est ordinata ad gloriam; in qua est perfectio consummata universi et finis ultimus creaturarum spiritualium, earumque beatitudo perfecta et aeterna. Et hoc estquod in festo dedicationis ecclesiae canitur: « Caelestis urbs Ierusalem beata pacis visio, quae celsa de viventibus saxis ad astra tolleris, sponsaeque ritu cingeris mille angelorum millibus ».

(Continuabitur)

(1) Brev. rom. die 16 augusti, Lect. V.
(2) Art. 1, ad 2.
(3) I. Qu. XII, art. 13.
(4) II II Qu. 2, XXIV, art. 3, ad 2m.

PROPRIETAS LITERARIA

IMPRIMATUR
Fr. ALBERTUS LEPIDI O. P., S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR
FRANCISCUS FABERJ, Vicariatus Urbis *Adsessor*.

AUGUSTUS ZUCCONI, Director Domus editricis Desclée et Soc., Romae, *Sponsor*.

Ex Officina Polygraphica Latiali, Fratrum Tempesta, Via Boccaccio, 7 - Roma

Acta Sanctae Sedis
sacram Liturgiam spectantia.

S. CONGREGATIO RITUUM

ROMANA

DUBIA

A sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutio reverenter expostulata fuit; nimirum:

I. Si festum Circumcisionis D. N. I. C. sit titulare alicuius Ecclesiae vel Instituti et recolendum sub ritu duplici primae classis cum octava, diebus 2, 3 et 4 ianuarii in quibus fit de die infra octavam cum secunda oratione de simplici; et die 7 ianuarii in qua agitur de secunda die infra octavam Epiphaniae cum commemoratione de octava Circumcisionis, quaenam erit tertia oratio dicenda in Missa?

II. Rituale Romanum, edit. typ., tit. IV, cap. II, ubi describitur ordo administrandi sacram communionem communicandis tam extra Missam quam ante vel post ipsam, atque etiam intra Missam, ad n. 11 haec habet: « Sacerdos porrigit communicandis Euchari-« stiam incipiens a ministris altaris, si velint commu-« nicare ». Item in decreto n. 1074 *Galliarum,* 13 iulii 1658, in proposito dubio: « An in communione « intra Missam prius ministrandum sit SS.mum Eucha-« ristiae sacramentum ministro Missae inservienti quam

« monialibus vel ceteris ibidem praesentibus? » S. R. C. responderi mandavit: « In casu praedicto ministrum « Sacrificii, non ratione praeeminentiae, sed ministerii, « praeferendum esse ceteris, quamvis dignioribus ».

Unde quaeritur: « An vox minister altaris vel « Sacrificii, in his et similibus documentis S. R. C., re- « stringenda sit exclusive ad ministros iam in ordi- « nibus minoribus constitutos vel saltem tonsuratos, « an potius voce ministri intelligendi sint omnes qui- « cumque seu laici seu clerici qui Missae inserviunt? »

Et sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, omnibus sedulo perpensis, enunciatis quaestionibus ita respondendum censuit:

Ad I. In casu, tertia oratio erit de Spiritu Sancto.

Ad II. Nomine ministri altaris vel sacrificii Missae venit quilibet clericus vel laicus. Missae ad altare inserviens, qui praeferendus est ceteris in distributione sacrae Synaxeos; cauto tamen, ut laico inservienti praeferantur clerici, et clericis minoris ordinis alii in maiori ordine constituti, aut personae quae superiori polleant dignitate liturgice attendenda per se (uti regum), vel per accidens (uti sponsorum in Missa pro benedicendis nuptiis).

Atque ita rescripsit ac declaravit. Die 30 ianuarii 1915.

SCIPIO Card. TECCHI, S. R. C. *Pro-Praefectus.*

L. ✠ S.

† PETRUS LA FONTAINE, Ep. Charystien., *Secret.*

Commentarium.

Ad I. Hoc primum quaesitum novum est omnino, propter duo; primo, quia Octava Circumcisionis, etiam in ecclesiis ubi est Titularis, non admittebatur ab antiquis rubricis, octavas, quae non sunt in breviario romano, prohibentibus a die 17 decembris usque ad 6 ianuarii; secundo autem quia, dato etiam quod alicubi ex privilegio, octava Circumcisionis celebraretur, tertia oratio in missa diebus 2, 3 et 4 ianuarii locum habere non poterat, in iis enim celebrandum erat officium *duplex* dierum octavarum S. Stephani, S. Ioannis Ev. et Ss. Innocentium.

Nunc autem, quoniam rubricae novissimae octavas particulares prohibent tantummodo a die 17 usque ad 25 decembris; et cum dies octavae S. Stephani, S. Ioannis et Ss. Innocentium ritu *simplici* recolantur, clare patet, quod in ecclesiis Circumcisioni dicatis, agi debeat diebus 2, 3 et 4 ianuarii, officium de octava, et die 7 commemoratio, ac proinde dubium oritur in casu propositum.

Siquidem, diebus praedictis, oratio praescripta a Missali, dicenda secundo loco, in missis ritus non duplicis, tempore natalitio est *Deus, qui salutis*, quae eadem ipsa est, ac oratio Circumcisionis.

Porro, diebus 2, 3 et 4 ianuarii, si celebretur Missa de octava, post commemorationem octavae simplicis occurrentis, ex lege Missalis dici deberet pro tertia oratione iterum *Deus, qui salutis;* quod tamen nefas est, ut patet. Id pariter dicendum est pro missa diei 7 ianuarii; namque, cum ea die missa legatur de Octava Epiphaniae, cum commemoratione, in casu, diei VII infra octavam Circumcisionis, quaeritur quae oratio sit tertio loco sumenda.

Aliquibus fortasse visum esset, quod in casu, adhibenda foret tertia oratio de tempore a Missali praescripta, nempe *Ecclesiae* vei pro Papa. Hoc tamen non placuit S. Rituum Congregationi, quae ad dubium respondit: *In casu tertia oratio erit de Spiritu Sancto.*

Et bene; nam infra octavas B. Mariae Virginis, iuxta Rubricas, *secunda oratio dicitur de Spiritu Sancto;* ergo et in casu nostro.

Festum sane Circumcisionis est *festum* Domini, ac proinde eius octava, non est de Beata Virgine; quia vero *officium* eiusdem festivitatis partim est in honorem adorabilis Pueri Iesu, et partim de eius purissima Genitrice, uti sunt antiphonae ad Laudes, Responsoria et Oratio, opportunissime praescribitur tertio oratio de Spiritu Sancto, in obsequium citatae rubricae; agitur enim de Octava, quae orationem habet de B. Virgine; sicque infra dictam Octavam, Augustissima tertia Persona SS. Trinitatis, per cuius obumbrationem Virgo purissima concepit Filium Dei, optime commemoratur. Rodulphus Tungrensis (prop. 20) tradit, quod suo tempore usus invaluisset, ut in officio parvo B. Virginis, semper fieret commemoratio de Spiritu Sancto. In casu ergo, tertia oratio in missis infra octavam Circumcisionis sumenda erit *Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti, etc.*

Ad II. Communitar doctores ita interpretabantur S. R. C. decretum 13 iulii 1658 n. 1074, ut clericus, missae lectae inserviens, in distributione Communionis praeferendus esset ceteris, quamvis dignioribus, non tamen si inter communicantes haberentur clerici in superiori Ordinis gradu constituti.

Itaque, ex huiusmodi interpretatione, in missis, ad quas adsistunt clerici Seminariorum primo communicantur omnes de Clero, inter quos, ut plurimum, adsunt diaconi et subdiaconi; et duo clerici Missae inservientes, qui pro Cleri communione, hinc inde genuflexi in predella altaris extensum tenent linteum ante communicantes, post Clerum sacram synaxim sumunt.

In casu caeremoniae perficiuntur ad instar communionis generalis Cleri in missis solemnibus, prout tradunt Bauldry (III, 10, 6) et Meratus (II, X, 53-55), porro primo communicant diaconi, stola super cottam induti, deinde Subdiaconi

et ceteri minores clerici; tandem duo clerici missae ministrantes.

Huiusmodi consuetudo, quae viget generatim, et numquam a competenti auctoritate fuit reprobata, nunc per hoc decretum solemniter admittitur.

Non parva tamen difficultas exoritur ab exemplo allato Communionis generalis in missa solemni, nam iuxta Caeremoniale Episcoporum (II, 23, 6) primo communicant Diaconus et Subdiaconus, ac postea Clerus omnis, non exclusis Presbyteris, imo neque Praelatis et Episcopis ipsis si qui fuerint communicandi (Cf. Meratum l. c.); ergo et in missa lecta, *ratione ministerii*, prius communicare deberet clericus ministrans, et dein alii de clero.

Attamen paritas non existit in casu, nam Diaconus et Subdiaconus communicantur ab Episcopo, antequam decantetur *Confiteor*, et impertiatur absolutio, et postea omnes de choro, Presbyteri nempe, Diaconi et Subdiaconi ceterique clerici; in missis vero privatis, ipse clericus minister communicat post *Confiteor* et post acceptam absolutionem, ideoque tunc eum praecedere debent in Communione, ii qui in superiori Ordinis gradu sunt constituti.

Igitur toto iure S. Rituum Congregatio declaravit in hoc decreto suo, quod minister missae inserviens certo certius praeferendus est in distributione sacrae synaxeos, ceteris tamen paribus, nempe *minister laicus*, ceteris laicis et mulieribus omnibus, non vero clericis quibuslibet; et *minister clericus*, ceteris clericis, qui in maiori Ordine non sint constituti.

Sed et alia exceptio ponitur in hoc decreto, dicitur enim quod ministro Missae inservienti praeferri debeant in distributione Communionis etiam *personae quae superiori polleant dignitate liturgice attendenda per se, uti Regum, vel per accidens, uti Sponsorum in missa pro benedicendis nuptiis.*

Ad dignitatem regiam quod attinet, animadvertendum est, usque a primis annis, quibus Imperatores et Reges Christiani s. lavacro abluti fuere, consuevisse Ecclesiam eos

speciali reverentia honorare in templis publicis, et locum in presbyterio illis concedere; licet enim, ut scribit Catalanus (Pont. Rom. Comment. Tit, XX, ix, 17) « per sacram unctionem ecclesiastici Ordinis participes minime censeantur, nullamque exinde potestatem consequantur ecclesiasticam, ex privilegio tamen et ex concessione summorum Pontificum, concessum eis fuit, ut postquam solemniter consecrati sunt, minora quaedam in ecclesia officia obire possint ». Quo loco citat nonnullos Imperatores et Reges munere subdiaconi, vel etiam diaconi legentis evangelium, functos esse.

Ex praxi autem constanti Ecclesiae, etsi hodie Imperatores et Reges non amplius ritu ecclesiastico consecrentur, nihilominus adhuc admittuntur in presbyterio, et quidem conceditur illis thronum; atque dum accedunt ad aliquam civitatem, solemniter recipiuntur ab Episcopis et clero, ac sub baldachino processionaliter deducuntur ad ecclesiam.

Memor enim semper fuit Ecclesia Christi doctrinae Apostoli Pauli (Rom. XIII, 1) *Omnis anima potestatibus sublimnioribus subdita sit;* et Petri apostolorum principis (I Petr. II, 13, 14, 15) *Subiecti..... estote omni humanae creaturae propter Deum; sive Regi, quasi praecellenti, sive ducibus, tamquam ab eo missis... quia sic est voluntas Dei.* Et paullo post: (*ibid.* 17) *Deum timete, Regem honorificate.*

Quibus ex causis in missa lecta coram Imperatore vel Rege, aut etiam maiori Principi, nullum sibi superiorem habente, qui Communionem vult excipere, minister etiam clericus, post ipsum communicare debet. Quod hic dicimus de Imperatore et Rege, dicendum venit etiam de Imperatrici vel Regina, quia in istis externis honoris signis aequiparantur viris.

Idem dicendum venit etiam de Virginibus in die earum consecrationis, et de Abatissa in sua benedictione, prout tradit Pontificale Romanum (Tit. 18 et 19); communicantur enim ante alios praesentes; et nos addendum esse censemus quod similem praeferentiam concedere licet monialibus, in die professionis vel nuncupationis votorum.

Tandem decretum loquitur etiam de praeferentia danda in distributione Communionis Sponsis, in missa pro benedicendis nuptiis; cum enim ipsi sint ministri sacramenti Matrimonii, et in ipsa missa benedicuntur in fine Canonis, procul dubio ea die dignitatem habent non spernendam, et proinde communicare debent ante ministrum, licet sit clericus.

Dr. P. Piacenza.

Acta
Academiae Liturgicae Romanae.

Quaestionis propositio.

II.

De Missis votivis in Sanctuariis.

Maurus, rector Sanctuarii insignis in honorem B. Mariae erecti, obtinuit a f. r. Leone XIII facultates sequentes: I. Celebrandi quotidie ad altare principale ipsius Virginis Missam votivam de Beata, exceptis tantummodo festis Domini primariis 1ae classis; II. Celebrandi eandem Missam votivam, in omnibus altaribus ecclesiae, in quolibet sabbato per annum, nisi occurrat aliquod festum duplex 2ae classis; III. Celebrandi eandem Missam in omnibus altaribus quotidie, dummodo non occurrat aliquod festum duplex maius. Cum autem novissimae rubricae, ad normam bullae « Divino afflatu » recognitae, restrinxerint facultatem pro celebratione Missarum votivarum, dubitat, utrum, et qua mensura, adhuc perdurent facultates de quibus in casu; ideoque quaerit:

1. *Quando invectus est usus celebrandi Missas votivas, et quibus diebus celebrari ipsae poterant, iuxta Rubricas S. Pii V?*

2. *Quibus diebus, iuxta novissimas rubricas, celebrari nunc possint Missae votivae privatae et in cantu?*

3. *Utrum in casu privilegia concessa a fel. rec. Leone XIII adhuc in suo robore maneant, et quia suadendum sit rectoribus Sanctuariorum, ut consulant cultui ipsorum ac populorum devotioni ex una parte, et ex altera provideatur diligentiori observantiae novarum rubricarum?*

Solutio

Ex dissertatione Rev. D. Thomae Sasso ex Almo Collegio Capranicensi, habita in Aedibus Presbyterorum Missionis, ad S. Apollinaris, die 13 ianuarii 1915, acta post varias Censorum animadversiones, epitome per R.mum D. Petrum Piacenza.

I. Quando invectus est usus celebrandi Missas votivas, et quibus diebus celebrari ipsae poterant, iuxta rubricas S. Pii V?

Missae votivae, prout nunc in sacra Liturgia accipiuntur, sunt illae, quae extra ordinem Officii, etiam tantum commemorati, celebrantur. Antiquitus latiori sensu accipiebantur, ita ut plurimae Missae quae a scriptoribus rerum liturgicarum votivae nuncupantur, non semper esse videantur Missae ab ordine Officii exulantes, sed et illae quae ob votum populi vel ob particularem devotionem, ad divinos favores obtinendos, utcumque celebrabantur.

S. Augustinus, in libro *De Civitate Dei,* cap. VIII, de huiusmodi Missis loquitur, dicens, Sacrificium celebratum fuisse in domo privata, ut liberaretur a spirituum vexatione. Prosper narrat, Missam pro gratiarum actione habitam fuisse, post liberatam puellam a demonio. Amalarius, lib. I, cap. VIII, et Ordo romanus, loquuntur de Missa pro catechumenis, quae dicebatur feria IV post Dominicam IV Quadragesimae. Menardus, in adnotationibus ad librum de Sacramentis, memorat Missam *ad prohibendum ab idolis,* quae olim solebat fieri kalendis ianuarii. Tertullianus, ad Scapulam, ait, etiam pro imperatore esse Sacrificium offerendum, quia et ipse a Deo sit missus; eiusdem auctoris sunt haec verba: « In coe-

lum suspicientes Christiani manibus expansis, quia innocuis, capite nudo, quia non erubescimus; denique sine monitore, quia pectore oramus, precantes semper pro omnibus Imperatoribus vitam illis prolixam, Imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, Senatum fidelem, Populum probum, Orbem quietum et quaecumque hominis et Caesaris vota sunt ». Et Arnobius in IV libro Contra Gentes, in quo loquitur de coetibus christianis et de locis in quibus tunc furtim coadunabantur, et de eorum destructione, nefando ethnicorum facinore, ait: « Cur immaniter conventicula dirui meruerunt, in quibus summus oratur Deus, pax cunctis, et venia postulatur Magistratibus, Regibus, inimicis ad hanc vitam degentibus et resolutis corpore vinctione? »

In libro *Sacramentorum* Reginae Sueciae complures Missae votivae continentur, ex. gr.: pro salute fidelium vivorum; pro iter agentibus; in tribulatione; in natali Presbyteri qualiter sibi Missas agat; tempore mortalitatis; pro mortalitate animalium; pro sterilitate; ad postulandam pluviam; ad poscendam serenitatem; post tempestatem et fulgura; tempore belli; pro Regibus; contra obloquentes; pro infirmo; etc. Cornelius Schulting, tom. 3, *Biblioth. Eccles. P. I*, centum et quindecim Missas votivas collegit quae celebrabantur pro variis necessitatibus ac pro diversis statibus hominum. Neque in dubium revocari potest traditio Apostolica Missarum pro defunctis (cfr. Tertullianus, S. Cyprianus in epistola 66 ad Furnitanos, Epiphanius, Chrysostomus hom. 69 ad populum Antiochenum, Isidorus in libro de Officiis Eccles., cap. 18, S. Augustinus, S. Dionysius, Damascenus.

Amplissimus proinde erat Missarum votivarum repertorium, quod in fidelium et Sacerdotum arbitrium patebat.

Libertas autem agendi tunc temporis erat maxima, cum perpaucae essent Ecclesiae solemnitates. At serius quodam ordine distinctae apparent Missae votivae, et ortum habuerunt hebdomadales, scilicet, singulae Missae singulis hebdomadae diebus assignatae. Manet et hac nostra aetate similis

distributio Missarum, uti videre est prope finem Romani Missalis. Aevo medio, ut ait Durandus († 1296), qui sequitur Baleth, consuetudo erat Missas votivas hoc ordine celebrandi: Die dominico, de Trinitate; feria secunda, de Angelis vel pro defunctis; feria tertia, pro peccatis; feria quarta, pro pace; feria quinta, pro tribulatione; feria sexta, de Cruce, et Sabbato, de S. Maria. A secunda medietate saeculi XIII, post institutionem festi SS.mi Corporis Christi, apparet pro feria quinta Missa votiva de eodem mysterio; feria quarta, Missa de Patronis, et Sacramentaria plurima feriae secundae assignant Missam pro defunctis, vel etiam de Angelis, sed in suffragium defunctorum. Hanc postremam consuetudinem S. Petrus Damianus invexit (1007-1072). In suo libro *De bono suffragiorum,* valde aevo medio evulgato, notat Sanctus, iam in aliquibus ecclesiis consuevisse, praesertim apud monachos, tribus per hebdomadam diebus, commemorationes speciales fieri, feria secunda de Sanctis Angelis, ut mortuis et morti proximis eo die largius defensione et auxilio prodessent; feria sexta, in memoriam Passionis Domini; Sabbato, in honorem B. Mariae V.

Quod Missas votivas attinet, prout nunc sunt in Missali, animadvertendum est, Missam de Trinitate assignatam fuisse feriae secundae, eo quod iam ab aevo S. Pii V, Missae votivae diebus dominicis non amplius sustinerentur, in detrimentum Missarum de tempore. Feria secunda permansit tamen traditio de suffragio defunctorum, rubrica enim ait: « Feria secunda, nisi dicatur pro defunctis, Missa de SS.ma Trinitate ».

Si Patres Tridentini et Sanctus Pius V maxima usi sunt severitate in Missarum reductione, fateri tamen oportet, id necessarium fuisse, ex abusu, qui iam omnem limitem exceserat, esto quod, uti plures lamentantur, in tanto scoriae cumulo, et quaedam perditae sint margaritae.

Missa de S. Maria in Sabbato aliquando vocari potest votiva, aliquando vero non, nempe si cum relativo Officio concordat, quod iuxta rubricas dicitur in Sabbato, quando

nullum aliud occurrit, sive duplex, sive semiduplex, sive octava simplex, sive de Dominica anticipata, sive de Vigilia, etiam non privilegiata, aut feria maiori.

In Adventu, licet Officium de S. Maria in Sabbato non dicatur, Missa tamen de ea est, etiam conventualis, nisi fuerint Quatuor Tempora vel Vigilia, ut supra.

II. Quibus diebus, iuxta novissimas rubricas, celebrari nunc possint Missae votivae privatae et in cantu?

Diebus intra hebdomadam, quando Officium dicitur de feria, et non est resumenda Missa Dominicae praecedentis impeditae, exceptis feriis Adventus, Quadragesimae, Quatuor Temporum, Rogationum et Vigiliarum, dici potest aliqua ex Missis votivis, pro conventuali, secundum ordinem dierum in fine missalis assignatum, cum commemoratione feriae, de qua factum est Officium. Quae Missae et omnes aliae votivae, privatim dici possunt arbitrio Sacerdotum, quando Officium non est duplex aut Dominica, cum commemorationibus a rubrica praescriptis. Sed hae prohibentur infra octavas Nativitatis, Epiphaniae, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes et SS. Corporis Christi; in commemoratione omnium fidelium defunctorum, et in feriis II et III Rogationum, si fiat processio, in ecclesiis unam tantum Missam habentibus. « Id vero, ait rubrica, passim non fiat, nisi rationabili de causa; et quoad fieri potest, Missa cum Officio conveniat ». Pro celebratione Missarum de Requie, quae revera et ipsae sunt votivae, non enim conveniunt cum Officio diei, nisi die 2 novembris, peculiares leges habentur in rubricis, tam antiquis quam novissimis, quoad Missas lectas in die obitus, ac diebus III, VII, XXX et Anniversario; quoad vero Missas quotidianas, ex novis rubricis Missis votivis privatis aequiparantur, excepta una Missa in prima die libera cuiusvis hebdomadae in Quadragesima.

His postremis temporibus, necessarium iudicatum est aliquam reformationem inducere quoad Missas votivas, quae sive ex legis amplitudine, sive ex largioribus privilegiis,

impedimento erant quominus Missae antiquissimae de Dominicis infra annum et de feriis, praesertim quadragesimalibus celebrarentur. Et f. r. Pius Pp. X novas edidit rubricas, post Bullam *Divino afflatu*, quibus edixit: « In feriis Quadragesimae, Quatuor Temporum, II Rogationum, et in Vigiliis, prohibentur Missae votivae privatae, aut privatae pro defunctis, quae item prohibentur in feria, in qua anticipanda vel reponenda est Missa Dominicae ».

Nova similiter lex data est ex eadem rubrica, sub n. 3, circa ultimum evangelium in Missis votivis, quod prius semper dicendum erat ex initio S. Ioannis: « Quoties extra ordinem Officii cantetur vel legatur aliqua Missa, si facienda sit commemoratio aut Dominicae aut feriae aut Vigiliae, semper de hisce etiam evangelium in fine legatur ».

Omittimus quod recens decretum est circa Missas de feria vel de Sancto sub ritu duplici vel semiduplici commemoratis in Officio de aliquo Sancto vel mysterio, quae celebrentur ritu non classico, quia, si aliquo modo dici possunt votivae, scilicet non impositae, sunt tamen vere de die et respondent Officio commemorato.

Supervacaneum non ducimus sermonem facere de Missis votivis pro re gravi, licet earum leges non sint mutatae, haec prohibentur in Dominicis et festis primae classis, feria IV Cinerum, tota maiori hebdomada, et in Vigiliis Nativitatis et Pentecostes. Similiter de Missa votiva pro Sponsis, quae vetita est diebus dominicis et aliis festivis de praecepto, etiam suppressis, in duplicibus primae et secundae classis, in Vigilia Pentecostes, infra octavas Epiphaniae, Pentecostes et SS. Corporis Christi, in Commemoratione omnium fidelium defunctorum, et diebus Rogationum, si fiat processio, in ecclesiis parochialibus unam tantum Missam habentibus.

Votivae nuncupari possunt Missae quae vel ex antiquis vel ex novis privilegiis dicuntur, vel canuntur tantum quando externa alicuius festi celebratur solemnitas: hae sequuntur normas, vel peculiari indulto datas, v. gr. pro Gallia,

vel generales, ex decreto S. R. C., 28 octobris 1913, I, 2: « Ubi solemnitas externa festorum, quae hucusque alicui Dominicae perpetuo affixa erant, in ipsa Dominica celebratur, de solemnitate festi duplicis primae classis permittuntur Missae omnes, praeter conventualem et parochialem, semper de Officio diei dicendas; de solemnitate vero festi duplicis secundae classis permittitur tantum unica Missa solemnis vel lecta. Excipitur solemnitas externa SS. Rosarii, quae Dominica prima octobris celebrari poterit cum omnibus Missis, praeter conventualem et parochialem, de SS. Rosario »... « Prohibentur tamen, in omnibus Dominicis maioribus, et in aliis Dominicis, in quibus fiat Officium nobilius ipso festo, cuius solemnitas externa peragitur »... « Ubi tamen adest obligatio Missae conventualis, non permittitur in casu alia Missa solemnis, sed oratio de festo externe tantum celebrato addi poterit, in ipsa Missa conventuali ».

Missae votivae in oratione Quadraginta horarum permanent sub antiqua lege clementina. Item Missa votiva de SS. Corde Iesu, primis feriis sextis cuiusque mensis permanet sub priori lege.

III. Utrum in casu privilegia concessa a fel. rec. Leone XIII adhuc in suo robore maneant, et quid suadendum sit rectoribus Sanctuariorum, ut consulant cultui ipsorum ac populorum devotioni ex una parte, et ex altera provideatur diligentiori observantiae novarum rubricarum?

Circa Missa votivas privilegiatas, quae iampridem aliquibus locis concessae sunt, inter quae Sanctuarium de quo in casu, praestat referre verba decreti S. R. C. diei 8 februarii 1913: «... Firmis manentibus legibus et privilegiis Missas solemnes seu in cantu respicientibus, quoad Missas privatas lectas sequentia decernuntur et declarantur:

« 1° Privilegium Missae votivae lectae, de speciali gratia nonnullis Sanctuariis concessum, ita ut celebrari possit in duplicibus I et II classis, seu etiam II classis tantum; et privilegium Missae votivae Ss. Cordis Iesu in prima feria VI cuiusque mensis, permanent in suo robore, etiam in feriis et vigiliis per dictam Rubricam exclusis.

« 2° Privilegium Missae votivae lectae aliquibus Sanctuariis, aut aliis ecclesiis vel communitatibus regularibus, quocumque modo et titulo concessum (5), ita ut celebrari queat tantummodo in duplicibus maioribus et minoribus, et exclusis feriis, vigiliis et octavis privilegiatis, sic erit deinceps applicandum, ut dictae Missae votivae lectae prohibitae sint in omnibus feriis in praefata Rubrica enumeratis. Loco tamen huiusmodi Missae votivae, extra feriam IV Cinerum, hebdomadam maiorem et vigilias Nativitatis et Pentecostes, adiungi poterit oratio ipsius Missae votivae, vel in Missa de die, post orationem feriae seu vigiliae, vel in Missa de feria seu vigilia ante alias orationes. Quod si adsit specialis concursus populi, unica Missa lecta ex praedictis Missis votivis celebrari poterit, quoties Missa in cantu commode haberi nequeat.

« 3° Privilegium Missae votivae lectae pro sponsis ita erit applicandum, ut liceat, extra tempus clausum, haec Missa dici etiam in praedictis feriis et vigiliis ».

Id unum restat rectoribus Sanctuariorum, ut sapientissimo huic decreto conformentur, atque ita, tum cultus Sanctuarii ac devotio populi servabitur, tum observantia legum liturgicarum iugiter obtinebitur.

Ceterum fideles docendi sunt, ut vivant et ipsi *vitam liturgicam*, ut scribit piissimus ac doctus Gueranger; quando enim leges Ecclesiae circa ritus ac caeremonias sacras, ac circa officia divina persolvenda explicatae fuerint populo christiano, apte et clare, christifideles nil amplius petent, quod sit contra leges ipsas. Sacerdotes ergo, et maxime Ecclesiarum rectores, ipsi exemplum hac de re praebere satagant, et sic tot indulta et privilegia, mirum in modum locum non amplius haberent.

In casu nostro, quum fideles Missas votivas postulant, dicant rectores ecclesiarum, quod in Missa de die, quae est praeceptiva, oratio votiva addi nunc potest, cum obsequio legum, et cum observantia mentis offerentium.

SPECIMEN

KALENDARII ECCLESIÆ UNIVERSALIS

PRO ANNO DOMINI 1916

Paschate occurrente die 23 Aprilis

TABELLA TEMPORARIA

Aureus Numerus	17	Litterae Dominicales	B.A
Epacta	25	Littera Martyrologii	F nigra
Cyclus Solaris	21	Dom. post Epiphaniam	6
Indictio Romana	14	Dom. post Pentecosten	24

FESTA MOBILIA

Septuagesima	20 Febr.	Ascensio Domini	1 Iunii
Dies Cinerum	8 Mart.	Dom. Pentecostes	11 Iunii
Pascha Resurrect.	23 April.	Corpus Christi	22 Iunii
Rogationes	29. 30. 31 Maii	Dominica I Adventus	3 Dec.

QUATUOR ANNI TEMPORA

In Vere	15. 17. 18 Mart.	In Autumno	20. 22. 23. Sept.
In Aestate	14. 16. 17 Iunii	In Hieme	20. 22. 23. Dec.

NUPTIARUM SOLEMNIA

Nuptiae celebrari possunt a die 7 Ianuarii ad diem 7 Martii, et a die 1 Maii ad diem 2 Decembris, semper inclusive.

IANUARIUS

✠ 1. Sabb. *Alb.* **CIRCUMCISIO DOMINI** *dupl. 2. cl.* — In Vesp. nulla com.

✠ 2. **Dom.** (vacat) *Alb.* **SS. NOMINIS IESU** *dupl. 2. cl.* — Com. Oct. S. Stephani in L. et M. priv. — In Vesp. nulla com.

3. Fer. II. *Alb.* **Octave S. Ioannis Ap. et Ev.** *simpl.* — Vesp. (*Rub.*) de seq. sine com.

4. Fer. III. *Rub.* **Octava Ss. Innocentium Mm.** *simpl.* — Vesp. (*Alb.*) de seq. com. S. Telesphori P. M.

5. Fer. IV. *Alb.* **Vigilia Epiphaniae** *2. cl. semid.* — com. S. Telesphori in L. et M. — Vesp. de seq. sine com.

✠ 6. Fer. V. *Alb.* **EPIPHANIA DOMINI** *dupl. 1. cl. cum Oct. privil. 2. ord.* — Vesp. de festo sine com.

7. Fer. VI. *Alb.* **De II die infr. Oct.** *semid.* — Vesp. de Oct.

8. Sabb. *Alb.* **De III die infr. Oct.** *semid.* — Vesp. de seq. Dom. ccm. Oct. (Ant. *Lux de luce* ℣. *Reges Tharsis*).

✠ 9. **Dom. infra Oct.** et **I. p. Epiph.** *Alb.* **De ea** *semid.* — com. Oct. in L. et M. — Vesp. de Dom. com Oct. (Ant. *Magi videntes* ℣. *Reges Tharsis*).

10. Fer. II. *Alb.* **De IV die infr. Oct.** *semid.* — Vesp. de Oct. com. S. Hygini P. M.

11. Fer. III. *Alb.* **De V. die infr. Oct.** *semid.* — com. S. Hygini in L. et M. — Vesp. de Oct.

12. Fer. IV. *Alb.* **De VI. die infr. Oct.** *semid.* — Vesp. de Oct.

13. Fer. V. *Alb.* **Octava Epiphaniae** *dupl. mai.* — In Vesp. com. seq. ac S. Felicis M.

14. Fer. VI. *Alb.* **S. Hilarii Ep. C. D.** *dupl.* — Lect. 9. S. Felicis eiusq. com. in L. et M. — Vesp. a Cap. de seq. com. praec. et S. Mauri Abb.

15. Sabb. *Alb.* **S. Pauli primi Eremitae, C.** *dupl.* — Lect. 9. S. Mauri eiusq. com. in L. et M. — Vesp. (*Vir.*) de seq. Dom. com. praec. et S. Marcelli I. P. M.

✠ 16. **Dom. II. p. Epiph.** *Vir.* **De ea** *semid.* — Com. S. Marcelli in L. et M. — Vesp. de Dom. com. seq. et S. Marcelli.

17. Fer. II. *Alb.* **S. Antonii Abb.** *dupl.* — Vesp. (*Alb.*) de seq. com. S. Pauli Ap. S. Antonii et S. Priscae V. et M.

18. Fer. III. *Alb.* **Cathedra S. Petri Ap. Romae** *dupl. mai.* — Lect. 9. S. Priscae com. S. Pauli et S. Priscae in L. et M. — In Vesp. com. S. Pauli Ap. seq. ac S. Canuti Regis M.

19. Fer. IV. *Rub.* **Ss. Marii et Soc. Mm.** *simpl.* — Com. S. Canuti in L. et M. — Vesp. de seq. sine com.

20. Fer. V. *Rub.* **Ss. Fabiani P. et Sebastiani Mm.** *dupl.* — Vesp. a Cap. de seq. com. praec.

21. Fer. VI. *Rub.* **S. Agnetis V. M.** *dupl.* — In Vesp. com. seq.

22. Sabb. *Rub.* **Ss. Vincentii et Anastasii Mm.** *semid.* — Vesp. (*Vir.*) de seq. Dom. com. praec. S. Raymundi de Pennatort C. et S. Emerentianae V. M.

✠ 23. **Dom. III. p. Epiph.** *Vir.* **De ea** *semid.* — Com. S. Raymundi et S. Emerentianae in L. et M. — Vesp. de Dom. com. seq. et S. Raymundi.

24. Fer. II. *Rub.* **S. Timothei E. M.** *dupl.* — Vesp. (*Alb.*) de seq. com. S. Petri Ap. et praec.

25. Fer. III. *Alb.* **Conversio S. Pauli Ap.** *dupl. mai.* — Com. S. Petri in L. et M. — In Vesp. com. S. Petri Ap. et seq.

26. Fer. IV. *Rub.* **S. Polycarpi E. M.** *dupl.* — Vesp. (*Alb.*) a Cap. de seq. com. praec.

27. Fer. V. *Alb.* **S. Ioannis Chrysostomi Ep. C. D.** *dupl.* — In Vesp. com. seq.

28. Fer. VI. *Rub.* **S. Agnetis secundo** *simpl.* — Vesp. (*Alb.*) de seq. sine com.

29. Sabb. *Alb.* **S. Francisci Salesii Ep. C. D.** *dupl.* — Vesp. (*Vir.*) de seq. Dom. com. praec. et S. Martinae V. M.

✠ 30. **Dom. IV. p. Epiph.** *Vir.* **De ea** *semid.* — Com. S. Martinae in L. et M. — Vesp. de Dom. com. seq. et S. Martinae.

31. Fer. II. *Alb.* **S. Petri Nolasci C.** *dupl.* — Vesp. (*Rub.*) a Cap. de seq. com. praec.

FEBRUARIUS

1. Fer. III. *Rub.* **S. Ignatii E. M.** *dupl.* — Vesp. (*Alb.*) de seq. com. praec.

† 2. Fer. IV. *Alb.* **PURIFICATIO B. M. V.** *dupl. 2. cl.* — Vesp. sine com.

3. Fer. V. *Alb.* **S. Blasii E. M.** *simpl.* — Vesp. (*Alb.*) de seq. sine com.

4. Fer. VI. *Alb.* **S. Andreae Corsini E. C.** *dupl.* — Vesp. (*Rub.*). a Cap. de seq. com. praec.

5. Sabb. *Rub.* **S. Agathae V. M.** *dupl.* — Vesp. (*Vir.*) de seq. Dom. com. praec. S. Titi E. C. et S. Dorotheae V. M.

✠ 6. **Dom. V. p. Epiph.** *Vir.* **De ea** *semid.* — Com. S. Titi et S. Dorotheae in L. et M. — Vesp. de Dom. et S. Titi.

7. Fer. II. *Alb.* **S. Romualdi Abb.** *dupl.* — Vesp. a Cap. de seq. com. praec.

8. Fer. III. *Alb.* **S. Ioannis de Matha C.** *dupl.* — Vesp. a Cap. de seq. com. praec. ac S. Apolloniae V. M.

9. Fer. IV. **S. Cyrilli Alexandrini E. C. D.** *dupl.* — Lect. 9. S. Apolloniae eiusq. com. in L. et M. — Vesp. a cap. de seq. com. praec.
10. Fer. V. *Alb.* **S. Scholasticae V.** *dupl.* — Vesp. de seq. com. praec.
11. Fer. VI. *Alb.* **Apparitio B. M. V. Immaculatae** *dupl. mai.* — In Vesp. com. seq.
12. Sabb. *Alb.* **Ss. Septem Fundatorum Ord. Servor. B. M. V.** *dupl.* — Vesp. (*vir.*) de seq. Dom. com. praec.

✠ 13. **Dom. VI. p. Epiph.** *Vir.* **De ea** *semid.* — Vesp. de Dom. com. seq.
14. Fer. II. *Rub.* **S. Valentini Pr. M.** *simpl.* — Vesp. de seq.
15. Fer. III. *Rub.* **Ss. Faustini et Iovitae Mm.** *simpl.* — Vesp. (*Viol.*) de feria.
16. Fer. IV. *Viol.* **De ea** — Vesp. de fer.
17. Fer. V. *Vir.* **De ea** — Vesp. (*Rub.*) de seq.
18. Fer. VI. *Rub.* **S. Simeonis E. M.** *simpl.* — Vesp. (*Alb.*) de fer. a Cap. de seq.
19. Sabb. *Alb.* **De S. Maria in Sabbato** *simpl.* — Vesp. (*Viol.*) de seq. Dom.

✠ 20. **Dom. SEPTUAGESIMAE** 2. cl. *Viol.* **De ea** *semid.* — Vesp. de Dom.
21. Fer. II. *Viol.* **De ea** — Vesp. (*Alb.*) de seq. com. S. Pauli Ap
22. Fer. III. *Alb.* **Cathedra S. Petri Ap. Antiochiae** *dupl. mai.* — Com. S. Pauli in L. et M. — In Vesp. com. S. Pauli et seq.
23. Fer. IV. *Alb.* **S. Petri Damiani E. C. D.** *dupl.* — In Vesp. nulla com.
24. Fer. V. **Vigilia S. Matthiae Ap.** *Viol.* **De ea** — Vesp. (*Rub*). de seq.

† 25. Fer. VI. *Rub.* **S. MATTHIAE AP.** *dupl. 2. cl.* — In Vesp. nulla com.
26. Sabb. *Alb.* **De S. Maria in Sabbato** *simpl.* — Vesp. (*Viol*). de seq. Dom.

✠ 27. **Dom. SEXAGESIMAE** 2. cl. *Viol.* **De ea** *semid.* — Vesp. de Dom.
28. Fer. II. *Viol.* **De ea** — Vesp. de fer.
29. Fer. III. *Viol.* **De ea** — Vesp. de fer.

MARTIUS

1. Fer. IV. *Viol.* **De ea** — Vesp. de fer.
2. Fer. V. *Viol.* **De ea.** — Vesp. de fer.
3. Fer. VI. *Viol.* **De ea.** — Vesp. (*Alb.*) de seq. com. S. Lucii I. P. M.
4. Sabb. *Alb.* **S. Casimiri C.** *semid.* — Com. S. Lucii in L. et M. — Vesp. (*Viol.*) de seq. Dom. com. praec.

✠ 5. **Dom. Quinquagesimae** 2. cl. *Viol.* **De ea.** *semid.* — Vesp. de Dom. com. seq.

6. Fer. II. *Rub.* **Ss. Perpetuae et Felicitatis Mm.** *dupl.* — Vesp. (*Alb.*) a Cap. de seq. com. praec.
7. Fer. III. *Alb.* **S. Thomae de Aquino C. D.** *dupl.* — In Vesp. com. S. Ioannis de Deo C.
8. Fer. IV. **CINERUM** *Viol.* **De ea** — Com. S. Ioannis de Deo in L. et M. — Vesp. (*Alb.*) de seq. com. S. Ioannis de Deo et fer.
9. Fer. V. *Alb.* **S. Franciscae Romanae Vid.** *dupl.* — Lect. 9. Hom. fer. eiusq. com. in L. et M. — In Vesp. com. seq. et fer.
10. Fer. VI. *Rub.* **Ss. Quadraginta Mm.** *semid.* — Lect. 9. Hom. fer. eiusq. com. in L. et M. — In Vesp. com. fer.
11. Sabb. *Viol.* **De ea** — Vesp. de seq. Dom. S. Gregorii I. P. C. D.

✠ 12. **Dom. I. QUADRAGESIMAE.** 1. cl. *Viol.* **De ea** *semid.* — Com. S. Gregorii in L. et M. — Vesp. de Dom. com S. Gregorii.

13. Fer. II. *Viol.* **De ea** — Vesp. de fer.
14. Fer. III. *Viol.* **De ea** — Vesp. de fer.
15. Fer. IV. **Quatuor Temporum** *Viol.* **De ea** — Vesp. de fer.
16. Fer. V. *Viol.* **De ea** — Vesp. (*Alb.*) de seq. com. fer.
17. Fer. VI. **Quatuor Temporum** *Alb.* **S. Patricii Ep. C.** *dupl.* — Lect. 9. Hom. fer. eiusq. com. in L. et M. — Vesp. a Cap. de seq. com. praec. et fer.
18. Sabb. **Quatuor Temporum** *Alb.* **S. Cyrilli Hierosolymitani Ep. C. D.** *dupl.* — Lect. 9. Hom. fer. eiusq. com. in L. et M. — Vesp. (*Viol.*) de seq. Dom. com. praec.

De S. Ioseph Sponso B. M. V. fit die 20.

✠ 19. **Dom. II. QUADRAGESIMAE** 1. cl. *Viol.* **De ea** *semid.* — Vesp. (*Alb.*) de seq. com. Dom.

20. Fer. II. *Alb.* **S. IOSEPHI SPONSI B. M. V. CONF.** *(f. 19 huius) dupl. 2. cl.* — Lect. 9. Hom. fer. eiusq. com. in L. et M. — In Vesp. com. seq. et fer.
21. Fer. III. *Alb.* **S. Benedicti Abb.** *dupl. mai.* — Lect. 9. Hom. fer. eiusq. com. in L. et M. — In Vesp. com. fer.
22. Fer. IV. *Viol.* **De ea** — Vesp. de fer.
23. Fer. V. *Viol.* **De ea.** — Vesp. de fer.
24. Fer. VI. *Viol.* **De ea.** — Vesp. (*Alb.*) de seq. com. fer.
† 25. Sabb. *Alb.* **ANNUNTIATIO B. M. V.** *dupl. 1. cl.* — Lect. 9. Hom. fer. eiusq. com. in L. et M. — In Vesp. com. Dom.
✠ 26. **Dom. III. QUADRAGESIMAE** 1. cl. *Viol.* **De ea** *semid* — Vesp. de Dom. com. seq.
27. Fer. II. *Alb.* **S. Ioannis Damasceni C. D.** *dupl.* — Lect. 9. Hom. fer. eiusq. com. in L. et M. — In Vesp. com. seq. et fer.
28. Fer. III. *Alb.* **S. Ioannis a Capistrano C.** *semid.* — Lect. 9. Hom. fer. eiusq. com. in L. et M. — In Vesp. com. fer.
29. Fer. IV. *Viol.* **De ea** — Vesp. de fer.
30. Fer. V. *Viol.* **De ea** — Vesp. de fer.
31. Fer. VI. *Viol.* **De ea** — Vesp. de fer.

APRILIS

1. Sabb. *Viol.* **De eo** — Vesp. de seq. Dom. com. S. Francisci de Paula C.
✠ 2. **Dom. IV. QUADRAGESIMAE** 1. cl. *Viol.* **De ea** *semid.* — com. S. Francisci in L. et M. — Vesp. de Dom. com. S. Francisci.
3. Fer. II. *Viol.* **De ea** — Vesp. (*Alb.*) de seq. com. fer.
4. Fer. III. *Alb.* **S. Isidori E. C. D.** *dupl.* — Lect. 9. Hom. fer. eiusq. com. in L. et M. — Vesp. a Cap. de seq. com. praec. et fer.
5. Fer. IV. *Alb.* **S. Vincentii Ferrerii C.** *dupl.* — Lect. 9. Hom. fer. eiusq. com. in L. et M. — In Vesp. com. fer.
6. Fer. V. *Viol.* **De ea** — Vesp. de fer.
7. Fer. VI. *Viol.* **De ea** — Vesp. de fer.
8. Sabb. *Viol.* **De eo** — Vesp. de seq. Dom.
✠ 9. **Dom. PASSIONIS** 1. cl. *Viol.* **De ea** *semid.* — Vesp. de Dom.
10. Fer. II. *Viol.* **De ea** — Vesp. (*Alb.*) de seq. com. fer.

11. Fer. III. *Alb.* **S. Leonis I. P. C. D.** *dupl.* — Lect. 9. Hom. fer. eiusq. com. in L. et M. — In Vesp. com. fer.

12. Fer. IV. *Viol.* **De ea** — Vesp. (*Rub.*) de seq. com. fer.

13. Fer. V. *Rub.* **S. Hermenegildi M.** *semid.* — Lect. 9. Hom. fer. eiusq. com. in L. et M. — Vesp. (*Alb.*) de seq. com. praec., S. Iustini M. fer. et Ss. Tiburtii et Soc. Mm.

14. Fer. VI. *Alb.* **Septem Dolorum B. M. V.** *dupl. mai.* — Lect. 9. Hom. fer. Com. S. Iustini, fer. ac Ss. Mm. in L. et M. — In Vesp. com. S. Iustini et fer.

15. Sabb. *Viol.* **De eo** — Vesp. de seq. Dom.

✠ 16. **Dom. PALMARUM** 1. cl. *Viol.* **De ea** *semid.* — Vesp. de Dom. com. S. Aniceti P. M.

17. Fer. II. **Maior. Hebd.** *Viol.* **De ea** — Vesp. de fer.

18. Fer. III. **Maior. Hebd.** *Viol.* **De ea** — Vesp. de fer.

19. Fer. IV. **Maior. Hebd.** *Viol.* **De ea** Vesp. de fer.

20. Fer. V. **IN COENA DOMINI** *Viol. in Off., Alb. in Miss,* **De ea** *dupl. 1. cl.* — In Vesp. nulla com.

De S. Anselmo E. C. D. hoc anno nihil.

21. Fer. VI. **IN PARASCEVE** *Nig. in Funct. Praesanctif.* **De ea** *dupl. 1. cl.* — In Vesp. nulla com.

De SS. Sotere et Caio Pp. Mm. hoc anno nihil.

22. **SABBATUM SANCTUM** *Viol. in Off., Alb. in Miss.* **De eo** *dup. 1. cl.* — In Vesp. nulla com.

De S. Georgio M. hoc anno nihil.

✠ 23. **Dom. RESURRECTIONIS** *Alb. dupl. 1. cl. cum Oct. privil. 1. ord.* — In Vesp. nulla com.

De S. Fidele a Sigmaringa M. hoc anno nihil.

† 24. Fer. II. **PASCHATIS.** *Alb. dupl. 1. cl.* — In Vesp. nulla com.

De S. Marco Ev. fit die 2 Maii.

† 25. Fer. III. **PASCHATIS.** *Alb. dupl. 1. cl.* — **Litaniae Maiores.** — In Vesp. com. Ss. Cleti et Marcellini Pp. Mm.

26. Feria IV. **Infra Oct.** *Alb. semid.* — Com. Ss. Mm. in L. et M. — In Vesp. com. Ss. M.

27. Fer. V. **Infra Oct.** *Alb. semid.* — In Vesp. com. S. Pauli a Cruce C. ac S. Vitalis M.

28. Fer. VI. **Infra Oct.** *Alb. semid.* — Com. S. Pauli a Cruce ac S. Vitalis in L. et M. — In Vesp. com. S. Petri M. ac S. Pauli a Cruce.

29. Sabb. **In Albis et Infra Oct.** *Alb. semid.* — Com. S. Petri in L. et M. — Vesp. de seq. Dom. com. S. Catharinae Senen. V. et S. Petri.

✠ 30. **Dom. IN ALBIS** *1. cl. Alb.* **De ea** *dupl. mai.* — Com. S. Catharinae in L. et M. — Vesp. (*Rub.*) de seq. com. Dom. ac S. Catharinae.

Expositio Rubricarum.

APPENDIX.

Quum in generali decreto d. d. 28 oct. 1913, nonnulla S. R. C. disposuerit, quae in rubricis novissimis locum habere non poterant, utpote quae agunt de temporariis regulis, ac proinde a nobis illustrata in commentario non fuerint, pretium operis esse duximus dispositiones istas hic in fine breviter declarare.

De eodem igitur generali decreto, titulos et numeros illustramus, qui in rubricis ut diximus non comprehenduntur, ceteris omissis, quos iam illustravimus.

Tit. II. — De Octavis. N. 5.

Lectiones II et III Nocturni singulis diebus per Octavas festorum duplicium 2 classis Ecclesiae universalis hucusque assignatae, inserantur in Octavario romano, non vero lectiones I Nocturni, etiamsi habeantur propriae (251).

(231) In breviario suis locis habebantur lectiones in II et III nocturno pro diebus infra octavam Nativitatis B. Mariae V., S. Laurentii M., et pro diebus octavis S. Stephani, S. Ioannis Evang. et Ss. Innocentium, quae in novo typico breviario, ob duplicium secundae classis octavarum abolitionem locum habere amplius nequibant. Quia vero in locis ubi praedicta festa celebrari adhuc debeant sub ritu dupl. 1 classis cum octava, lectiones praedictae sunt retinendae, inseri hic praecipiuntur in octavario romano, simul cum aliis lectionibus pro octavis quae non sunt in breviario,

Etsi autem pro diebus octavis S. Stephani et S. Ioannis Evang. haberentur quoque lectiones propriae pro I nocturno, haec in octavario inseri non debent, ait decretum. Ratio est, primo, quia in octavario non inscribuntur nisi lectiones pro II et III nocturno; secundo autem, quia nunc in breviario typico diebus 2 et 3 ianuarii positae sunt lectiones de Scriptura occurrenti, nempe de Epistola ad Romanos, quae in dictis diebus octavis, ubi celebrari debeant adhuc sub ritu duplici, erunt recitandae.

TIT. III. — DE RESPONSORIIS DE TEMPORE ETC. N. 2.

Responsoria quae in festis S. Luciae Virg. et Mart.; Ss. Ioannis et Pauli Mm., et S. Clementis Papae et Mart. in I Nocturno habentur propria, ponantur in II Nocturno, loco Responsoriorum de Communi, et in I Nocturno dicantur lectiones de Scriptura occurrenti cum Responsoriis de Tempore (252).

(252) Opportunissima fuit dispositio ista; cum enim in festis S. Luciae, Ss. Ioannis et Pauli e S. Clementis non omnia Responsoria sint propria, et cum quae erant dicenda in II nocturno sumerentur de Communi, optime praescribitur, ut praedicta responsoria propria potius dicantur simul cum lectionibus propriis in II nocturno, et in primo, simul cum lectionibus de Scriptura occurrenti, dicantur Responsoria de Tempore; ne regula generalis circa lectiones de Scriptura occurrenti, et circa Responsoria de Tempore, exceptionem patiatur, quae iustificata in casu non esset. Quod recte dispositum fuit.

TIT. III. — DE RESPONSORIIS DE TEMPORE ETC. N. 3.

Similiter omnia quae in festo S. Elisabeth reginae et viduae habentur propria, praeter invitatorium, hymnos, lectiones II Nocturni, Versus ad utrasque vesperas et Laudes, Antiphonas ad *Magnificat* et ad *Be-*

nedictus et Orationem, expungantur, et in I Nocturno dicantur lectiones de Scriptura occurrenti cum Responsoriis de Tempore (253).

(253) Officium proprium S. Elisabeth reginae compositum est a Papa Urbano viij, ut scribit Gavantus (VII, ix, 4); fatendum tamen est, quod pro festo ritus semiduplicis, et quidem ad libitum, quomodo fuerat ab ipso concessum, non videtur congruum officium integre proprium; forsan tamen hoc novum edidit officium pontifex praedictus, pro regno Lusitano vel etiam quia officium de communi non virginum, prout adhuc extat in breviario, videbatur in omni bus non convenire.

In nova autem reformatione, ne ordo psalterii turbaretur ob hoc festum inferioris ritus, opportune praescriptum fuit ut diceretur officium cum psalmis et antiphonis de feria, retinendo de officio proprio tantummodo partes quae alioquin de Communi erant desumendae.

TIT. III. — DE RESPONSORIIS DE TEMPORE ETC. N. 4.

In Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum psalmi ad Completorium et ad alias horas minores, non amplius sumantur de occurrenti hebdomadae die, sed proprii assignentur (254).

(254) In prima editione officii pro die Commemorationis Oo. Defunctorum, dictum fuerat ut ad Completorium et ad horas minores sumendi essent psalmi de feria occurrenti. Cum vero nonnulli psalmi, qui in dicto officio ponuntur ad matutinum, aliquibus annis repeti debuissent ad horas, quod non est conforme antiquae traditioni romanae, propositi fuere psalmi melius convenientes sive pro Completorio, sive pro Horis minoribus illius diei; sicque deploratum inconveniens expunctum est a breviario typico.

TIT. IV. — DE OCCURRENTIA ET TRANSLATIONE FESTORUM. N. 2.

De huiusmodi festis maioribus seu minoribus vel semiduplicibus, quae perpetuo vel etiam accidentaliter impediantur, dici poterunt Missae privatae ad libitum sacerdotis, dummodo officium impediens non fuerit duplex 1 vel 2 classis, Dominica quaevis, octava 1^i et 2^i ordinis, dies octava 3^i ordinis, feria aut vigilia privilegiata (355). Haec Missa dicitur ritu festivo cum 2^a oratione de officio diei, et aliis de commemorationibus forte occurrentibus (256).

(255) Prout in notis 49 et 53 declaravimus, non amplius translationis iure gaudent duplicia maiora et minora ac semiduplicia, tam in impedimentis accidentalibus, quam in perpetuis. In antiquitate, quando festa duorum vel plurium sanctorum eadem die occurrebant, de quolibet celebrabatur missa aliquando, ut tradit, inter alios, Martène in suo calendario. Ex. gr. die 10 iulii in festo Ss. septem fratrum et S. Secundae et Rufinae, tres missae assignantur in Calendario Frontoniano, propter diversa loca, in quibus sancti illi martyres sepulti creduntur. Id confirmari potest codice Leonino, in quo ita legitur: *VI Iduum Iuliarium, Natale SS. Martyrum Felicis et Philippi in coemeterio Priscillae; Vitalis, Martialis et Alexandri in coemeterio Iordanorum, et Saliani in coemeterio Maximi in via Salaria, et Ianuarii in coemeterio Praetextati in via Appia* (Cf. Merati, VII, ix, 10). Itaque, sicut antiquitus diversae missae dici poterant eadem die pro diversis sanctis occurrentibus, etiam hodie nil prohibet quod de sancto commemorato dici possit missa. Neque audiendi sunt ii, qui dicunt, missam conformari debere cum officio recitato, eo quod missa de sancto commemorato est etiam missa de die, sicut est vere de die missa vigiliae et feriae Quadragesimae quando occurrit officium ix lectionum.

Optime ergo consultum est honori sanctorum, cuius translatio ex novissimis rubricis fieri non potest; de iis dicitur in officio impedienti lectio ix historica (nisi sit duplex 1 classis) fitque commemoratio in laudibus et vesperis, et in missa; nil officit ergo quod de ipsis dicatur missa, maxime ubi adest devotio populi. Ex. gr. die 19 iulii Romae fit officium S. Symmachi papae cum commemoratione S. Vincentii a Paulo; in ecclesiis porro, in quibus sanctus iste recolitur, dici potest eius missa, cum commemoratione S. Symmachi.

Imo pro libitu sacerdotis celebrantis, in casu missa celebrari potest tam de sancto cuius agitur festum, quam de alio cuius fit tantum commemoratio.

Notat tamen decretum, quod huiusmodi facultas conceditur tantummodo in festis, quae non sint duplicia 1 vel 2 classis.

(256) *Haec autem missa dicitur ritu festivo,* nempe, non dicitur quasi esset missa votiva, sed tamquam vera missa festi commemorati; ideo fiunt tantummodo commemorationes quae conveniunt ritui quo sanctus commemoratus celebratur. Hinc est propterea quod in calendario ponitur ritus quo gaudent sancti; ex. gr. in calendario pro Clero romano dicta die 19 iulii, ita inscribitur festum illius diei: *S. Symmachi Pap. Conf. dupl. comm. S. Vincentii a Paulo Conf. (dupl.);* die autem 29 eiusdem mensis: *S. Felicis II Pap. et Mart. dupl. com. S. Marthae Virg. (semid.)* Quod si festum diei est ritus duplicis, tunc in missa sancti commemorati fiunt tantummodo illae commemorationes quas praescribunt novae rubricae, diebus in quibus fit commemoratio alicuius duplicis.

Tit. V. — De reformatione calendariorum particularium. N. 1. lit. c.

Duo vel tres Sancti qui sub eodem Communi comprehenduntur, sicubi occurrant eadem die, et sub eodem ritu sint celebrandi, unico festo reccolantur,

adhibitis iis singulorum Communium partibus, quae pro pluribus Sanctis qualitatis eiusdem assignatur, et contractis lectionibus historicis II Nocturni, quae tamen huic S. R. C. adprobandae submittentur (257). Eadem norma servetur pro festis eiusdem Communis, quae ab anterioribus diebus sint reponenda (258).

(257) Consuetudo celebrandi plures sanctos una eademque die, non est nova, ut omnes norunt ex plurimis exemplis romani breviarii, in quo, non tantum plurimi martyres, sed inter ipsos etiam aliquis sanctus confessor, uti die 3 maii, in quo S. Iuvenalis Ep. conf. et die 28 iulii in quo S. Innocentius Papa Conf. coluntur eodem officio cum sanctis martyribus.

Guyet (Heortol. I, v, 14) notat pro ecclesiis particularibus in Gallia festum SS. Vedasti et Amandi Episcoporum, et Lupi ac Aegidii confessorum.

Ob deficientiam in breviario Communis plurium Confessorum, festa sanctorum confessorum, licet eadem die occurrentia, concessa fuere semper singillatim, numquam plurium simul. Primum exemplum habuimus sub Leone xiij quando extendit ad totam ecclesiam festum SS. Cyrilli et Methodii; pro quibus tamen, compositae sunt partes aliquae propriae officii, nempe hymni, antiphonae ad *Magnificat* et *Benedictus*.

Nunc autem, ut in posterum festa plurium confessorum vel plurimarum Virginum facilius concedi possint, absque multiplicatione festorum, confecta sunt quatuor Communia, Plurimorum Pontificum Confessorum; Plurimorum non Pontificum Confessorum; Plurimarum Virginum, et Plurimarum non Virginum.

Haec exprimit decretum istud, et praescribitur quod in conficiendis novo ordine et iuxta novissimas rubricas calendariis particularibus, si accidat quod eadem die occurrant duo, vel tres sancti aut beati, simul in una festivitate coniungantur, adhibito novo respectivo Communi nuper a S. R. C. adprobato.

Conditio autem pro huiusmodi coniunctione est, quod plures sancti pertineant ad idem Commune, scilicet, vel sint omnes confessores pontifices, vel omnes confessores non pontifices, item aut omnes Virgines vel non Virgines martyres, aut omnes Virgines vel non Virgines tantum. Item requiritur secundo quod sancti hucusque celebrati fuerint sub eodem ritu.

Hinc ex. gr. in Insula Sardinia die 14 maii recoluntur sanctae Virgines et Martyres Iusta, Iustina et Henedina, sub ritu duplici maiori in tota insula, et ritu duplici I classis in dioecesi Uxellensi, ubi sunt Patronae. Hucusque celebratae sunt simul quidem, sed cum officio unius Virginis sumpta tantummodo ad *Magnificat* et *Benedictus* antiphona *Prudentes Virgines;* nunc vero in novo Proprio illius insulae positum est officium sumptum ex novo Communi plurimarum Virginum. Item in dioecesi Placentina die 30 octobris, celebrabatur festum S. Gerardi placentini Episcopi Potentiae, et die sequenti festum S. Germani Ep. Capuani, cuius habetur insignis reliquia, quia vero isti duo Episcopi confessores obierunt dicta die 30 octobris, in novo calendario adprobato positum est festum utriusque sancti, et in proprio dioecesano inductae partes necessariae ex novo Communi, Capitula, Hymni, Antiphonae ad *Magnificat* et *Benedictus,* Versus, Responsoria brevia et Responsoria ij et iij nocturni, cum lectionibus in evangelio, et missa pariter de eodem Communi. Quando ergo sancti simul iuncti iam habuere in proprio tres lectiones historicas, in officio lectiones ipsae contrahendae sunt; si sunt tres sancti, quisque habeat unam lectionem, si duo, principalis duas, alter unam.

(258) *Eadem norma servetur pro festis eiusdem Communis quae ab anterioribus diebus sint reponenda.* Scilicet, si verbi gratia nonnulli sancti proprii alicuius dioecesis vel Ordinis religiosi, impediti perpetuo sint in tota ipsa dioecesi, vel in toto Ordine, a festis dignoribus, vel a sanctis propriis diversi Communis, reponi debent, tamquam proprii, iuxta novissimas rubricas (V. Not. 55), in aliam diem perpetuo reco-

lendi. Quod si huiusmodi sancti proprii diversis celebrentur diebus, in prima sede libera post eorum diem natalitiam vel quasi natalitiam, reponuntur et perpetuo celebrantur.

In calendario pro Clero romano, cum tam S. Stanislaus Kostka quam S. Leonardus a Portumauritio, qui ob corpus eorum servatum in Urbe proprii censentur, impediantur primus a Ss. Nicolao et Deusdedit et alter a Ss. Siricio et Gelasio (26 nov.), simul repositi fueri die 27 eiusdem mensis novembris, quia uterque pertinet ad Commune Confessorum non pontificum, et ritu semiduplici recolitur.

Consultationes.

De dedicatione Ecclesiae in Dominicis Quadragesimae, vel in festo Annunciationis B. Mariae aut S. Ioseph peracta.

Si contingat ab Episcopo consecrari aliquam Ecclesiam in Dominicis Quadragesimae, vel in festis Annunciationis b. Mariae aut s. Ioseph, quaeritur: I. Quae Missa celebrabitur post ritum Dedicationis? II. Debentne in casu duae Missae celebrari, de die et de Dedicatione? III. In casu Missa Dedicationis eritne votiva? IV. Quo die celebrabitur officium ipsius Dedicationis? V. Quo die Anniversarium eius? VI. Nihilne prohibet Episcopum illos dies vel Dominicas seligere pro Consecratione Ecclesiarum?

Solutio.

In Pontificali Romano (p. II), ubi agitur de ritu Consecrationis Ecclesiae, haec habentur: *Ecclesiarum consecratio, quamvis omni die de iure fieri possit, decentius tamen in Dominicis diebus vel Sanctorum solemnitatibus fit.* In fine autem eiusdem ritus, peracta Consecratione, legimus: *Missa dicitur ut in ipsa die Dedicationis Ecclesiae.*

Ex quibus Pontificalis praescriptionibus, nisi alia attendenda essent, facile propositae quaestioni responsum daretur; Missam celebrandam fore de Dedicatione; neque prohiberi quominus Dominica quaelibet Quadragesimae seligi pro Ecclesiarum Dedicatione ab Episcopis possit.

Attamen nonnulla adnotari debent, quae responsum aliquantulum moderantur.

Novi templi Dedicatio, una est ex festivitatibus maioribus Ecclesiae, quae solemnius celebrandae sunt. Ecclesia enim Christi, a temporibus apostolicis, ritum hunc celeberrimum ex veteri Testamento sumpsit, exempla secuta Iacob

(*Gen. 28-18*), Moysis (*Levit. 8-10*), Salomonis (*3 Reg. 3-63*), Esdrae (*1 Esdr. 6-16*) ac Iudae Machabaei (*1 Mach., 4-48*), et quodammodo etiam SS.mi Redemptoris nostri, qui festum Dedicationi templi celebravit (*Ioan. 10-22*). Itaque, si anniversarium Dedicationis Ecclesiae est festum solemne ritu *duplici primae classis cum octava* recolendum; imo, si Anniversarium hoc talem solemnitatem constituit, ut in occursu praeferatur festo Titularis etiam propriae Ecclesiae, a fortiori solemnitas ex maioribus dicenda est ipsa dies Dedicationis templi. In breviario parisiensi, dies Dedicationis ritu solemnissimo, ut Festum Paschatis celebratur. Nihilominus, etsi inter maiores festivitates recensenda sit Ecclesiarum Dedicatio, non tamen iuxta romanum ritum ipsa omnibus praestat. Aliae enim habentur festivitates solemniores, vel etiam dies non festivi, qui, propter mysteria commemoranda, ita privilegiati sunt, ut ipsi Dedicationi praeferantur.

Hi dies solemniores et privilegiati, iuxta Rubricas, antiquas et novissimas (Tit. II, n. 1), sunt sequentes: I. Dominicae maiores 1 classis (inter quas etiam ij, iij et iv Quadragesimae; II. Feriae maiores privilegiatae, nempe iv Cinerum et maioris hebdomadae; III. Vigiliae Nativitatis et Pentecostes; IV. Duplicia 1 classis primaria universalis Ecclesiae; V. Circumcisio Domini; VI. Dies infra Octavas Paschatis et Pentecostes; VII. Dies octavi Epiphaniae et Corporis Christi.

Si ergo in aliquo ex diebus supra recensitis occurrat dies anniversaria Dedicationis Ecclesiae non solum, sed etiam dies ipsa Consecrationis, officium Dedicationis illis cedat opus est.

Hinc petitur I°: quae Missa celebranda foret, peracta hisce diebus Consecratione?

Si Rubrica Pontificalis Romani inspiciatur, ubi loquitur de Missa celebranda a Consecratore, legimus: *Missa dicitur prout in Missali, in ipsa die Dedicationis Ecclesiae.* Attamen, verba haec Pontificalis, ait Cavalerius (*t. 1, c. 1, n. 63, fol.* 7),

sunt ita intelligenda, ut non contrarientur Rubricis Missalis, ut leges non adversentur legibus. Et in hoc concordat cum Gavanto, Guyeto et Merato: qui uno ore docent, in aliquibus ex recensitis diebus, posse quidem a Consecratore Missam celebrari de Dedicatione, in aliquibus vero, non. Dies in quibus non licet, habentur in Rubrica Missalis Romani (*Tit. VI, de Translatione Festorum*) quae praecipit: *In Ecclesiis autem, ubi Titulus est Ecclesiae,* VEL CONCURSUS POPULI AD CELEBRANDUM FESTUM QUOD TRANSFERRI DEBET, *possunt cantari duae Missae, una de die, alia de festo: excepta Dominica prima Adventus, feria quarta Cinerum, Dominica prima Quadragesimae, Dominica Passionis, Dominica Palmarum cum tota hebdomada maiori, Dominica Resurrectionis cum sequenti biduo, Dominica in Albis, Dominica Pentecostes cum duabus sequentibus feriis, Dominica Ss. Trinitatis, die Nativitatis Domini, Epiphaniae, Ascensionis et festo Corporis Christi.*

Quibus diebus nunc, ex novissimis rubricis, addi quoque debent *Dominicae ij iij, et iv* Quadragesimae.

Iuxta ergo hanc Rubricam, diebus in ea enumeratis, Missa debet omnino legi de die; sed commemoratio de Dedicatione Ecclesiae potestne fieri in eiusmodi Missa?

Non unam esse veterum doctorum sententiam invenimus; iure tamen arguit Cavalerius *(loco cit. n. 67)* id fieri posse, imo debere, ex decreto S. R. C. *4 aprilis 1705, N. 2152, n. 2,* in quo statuitur: Quando dies anniversaria Consecrationis Episcopi incidit in diebus, in superiori Missalis Rubrica recensitis, in Missa de die fieri *debet* commemoratio Consecrationis Episcopi; dicit enim citatum decretum: *Circa commemorationem* (Consecrationis Episcopi) *serventur Caeremoniale Episcoporum et Rubricae;* atqui Caeremoniale *lib. 2, c. 35* docet: *Si dies Electionis* (Episcopi) *seu Consecrationis venerit in die aliquo festivo, celebrabitur* (Missa) *de festo cum commemoratione pro Episcopo;* ergo procul dubio in Anniversario Consecrationis Episcopi, quod incidit in diebus privilegiatis, debet omnino fieri eius commemoratio in festis ritus duplicis primae classis.

Cavalerius autem (*loco citato*) subiungit: *Si in memoratis diebus, qui sunt ex exceptis a praedicta Rubrica, et in quibus, iuxta eamdem, Misssa solemnis haud permittitur de festo, quod transfertur, in Missa de die debet fieri collecta de Anniversario Consecrationis Episcopi, multo magis fieri debebit de die Consecrationis Ecclesiae, quae incomparabiliter solemnior est, et elevatioris ritus et classis.*

Et sane, Anniversarium Consecrationis Episcopi, sicut et Summi Pontificis, non habent officium, sed Missam tantum; Anniversarium vero, et multo magis ipsa dies Dedicationis Ecclesiae, habent revera proprium Officium et Missam primae classis cum octava; si ergo pro minori id praecepit S. R. Congregatio, tanto magis pro maiori intelligendum suadet recta ratio.

Id autem hodie procul dubio fieri debet, ex novissimo decreto S. R. C. *23 febr. 1884, in Neapolitan.* n. 3605 dub. iij quo statuitur: PERACTA CONSECRATIONE ALICUIUS ECCLESIAE, IN DIEBUS A RUBRICIS EXCEPTIS, IN MISSA DE DIE FIERI DEBET COMMEMORATIO DEDICATIONIS SUB UNICA CONCLUSIONE.

In diebus autem, in quibus quidem officium agere de die Dedicationis nefas est, sed permittitur eius Missae celebratio, quid agendum? Rubrica Missalis a nobis iam allegata perspicue docet: *In Ecclesiis autem, ubi Titulus est Ecclesiae vel concursus populi ad celebrandum Festum quod transferri debet, possunt cantari duae Missae, una de dic, alia de festo.*

Ideoque in sequentibus diebus, nempe: In Vigiliis Nativitatis et Pentecostes: in Circumcisione Domini, et in diebus Octavis Epiphaniae et Corporis Christi, atque in Feriis iv, v, vj et Sabbato infra Octavas Paschatis et Pentecostes, nec non in festis Immaculatae Conceptionis, Annunciationis et Assumptionis b. Mariae, Nativitatis s. Ioannis Baptistae, s. Ioseph (fer. iv ante Dom. iij post Pascha) Ss. apostolorum Petri et Pauli et omnium Sanctorum, peracta consecratione Ecclesiae, celebranda est Missa Dedicationis, quia, si Rubrica Missalis supra citata, iis diebus

permittit Missam de festo, quod transferri quidem debet, sed propria die celebratur cum concursu populi, certo certius multo magis permitti dicenda est in ipsa die Consecrationis Ecclesiae: primo, quia Dedicatio est festum maioris nobilitatis, quam Titulus Ecclesiae, secundo autem, quia dies ipsa Dedicationis Ecclesiae, celebratur a populo cum concursu (Cf. Gavantum III: viij, 7: Cavalerium loco cit. n. 59: Deherdt, n. 33, 94).

Quibus expositis, quaestioni nostrae responsum dabimus.

Ad I. Quae Missa celebrabitur post ritum Consecrationis Ecclesiae, in Dominicis Quadragesimae et in festis Annunciationis b. Mariae, et s. Ioseph?

Resp. In Dominicis Quadragesimae omnibus, scilicet, non tantum in prima, sed etiam in sequentibus, celebrabitur Missa de ipsa Dominica.

Ratio est, quia citata Missalis Rubrica iubet: *In dicendis Missis servetur Ordo Breviarii de Translatione Festorum Duplicium, quando a maiori aliquo Festo, seu Dominica impediuntur.* Atqui, novissimae Rubricae Breviarii, inter dies qui excludunt quodcumque festum, et ideo quamcumque Missam, enumerantur etiam Dominicas ij, iij et iv Quadragesimae, ergo.

In festo Annunciationis b. Mariae, et in Solemnitate s. Ioseph (fer. iv ante Dom. iij post Pascha) celebrantur duae Missae, una de festo occurrenti, et alia de Dedicatione. In altero festo autem s. Ioseph, die 19 martii, quia ex novis Rubricis recolitur sub antiquo ritu duplici 2 classis, non solum Missa, sed et officium Dedicationis persolvendum erit, incipiendo ab hora Tertia, quae sola dicitur inter Dedicationem et Missam.

Hoc eruitur e Rubrica Missalis citata; cum autem haec expresse dicat: *possunt cantari duae Missae, una de die, alia de festo,* quaestioni datur locus.

Ad II ergo quaeritur:

a) Debetne in casu duae Missae celebrari, una de die et altera de Dedicatione?

b) Si una tantum Missa in casu dici queat, quaenam ex duabus celebranda erit, peracta Consecratione?

Ad *a)* Videtur quod peracta Dedicatione Ecclesiae, diebus a Rubrica Missalis Tit. VI, *de Translatione festorum* non exceptis, omnino *debeant* cantari duae Missae, una de die, et altera de Dedicatione.

Missa quidem de die cantari debet, quia concordat cum officio, ideoque omnes leges liturgicae Missam de die omnino celebrari decernunt; alioquin citata Missalis Rubrica frustra duarum Missarum celebrationem praescriberet. Legislator enim in casu dixit: Enumerati dies celebriores sunt, ergo officium Dedicationis in eis fieri nefas sit; sed permittatur tantum, Missam de Dedicatione decantari, quin tamen Missa de die omittatur. Stat igitur, quod Missa de die celebranda est.

Sed et Missa de Dedicatione debet celebrari; nam Rubrica Pontificalis aperte praescribit: *Peracta Consecratione, Missa dicitur prout in Missali, in ipsa die Dedicationis Ecclesiae.* Quoniam vero diebus in casu expositis, Rubrica Missalis hanc Missam celebrari permittit, ea citra dubium celebranda venit. Nec valet reponi: Rubrica Missalis non iubet duas Missas, sed tantum permittit, dicit enim: *possunt* cantari duae Missae; ergo Missa de Dedicatione *potest* quidem celebrari, sed eius celebrandae non adest obligatio.

Hoc argumentum aliquid valeret, si Rubrica tantum Missalis a nobis in medium allata fuisset; at, cum Rubricam quoque Pontificalis protulerimus, quae omnino praeceptiva est, sane eruitur Missam etiam de Dedicatione esse profecto celebrandam, quod enim altera Rubrica permittit, altera praecipit.

Ergo certo certius diebus supra expositis, duae Missae sunt celebrandae, altera de die, altera de Dedicatione.

Hoc extra controversiam est, omnesque id docent doctores, sicuti et S. R. C. decernit. Quid vero agendum in casu, quo peracta Consecratione, unus tantum maneat Episcopus consecrator, vel Sacerdos ab ipso delegatus, Missam

celebraturus? En quaestio nova, quam, ni fallimur, nemo ex Liturgiae scriptoribus sibi proposuit, aut S. R. C. unquam exhibita est: quam tamen fatendum nimis esse frequentem in praxi. Siquidem, cum ritus et caeremoniae Dedicationis Ecclesiae prolixiores sint, et saepe saepius usque ad meridiem protrahantur, Sacerdotes eidem adfuturi Sacrum faciunt ante ritus eiusdem inchoationem; adeo ut, Dedicatione absoluta, unicus adsit ieiunus vel Episcopus consecrator, vel Sacerdos ab eo delegatus. Quaenam ergo Missa in casu cantabitur? De die aut de Dedicatione?

Ante omnia hic adnotandum ducimus, non in omnibus Ecclesiis utramque Missam celebrandam esse *cum cantu*.

Nam S. R. C. decretis 22 iulii 1848, n. 2974 ad ij, ac 14 augusti 1858 n. 3069 ad iij, declaravit: Quum duas Missas decantandas certis diebus praecepit Rubrica, hoc *de precepto* decerni tantum pro Cathedralibus, Collegiatis et quibusdam Regularium Ecclesiis (*V. De Herdt, p. 1, n. 8, l. f.*), in quibus cantatur quotidie Missa conventualis; in ceteris autem solum *ex congruentia*, si fieri potest.

Pro casu autem nostro audiamus cl. Cavalerium (*Tom 1, c. 1, n. 73*): « Quaestio autem est, num diebus, quibus officium de Dedicatione locum non habet, sed solum Missa solemnis, ut hanc cantari liceat, necesse sit alteram quoque Missam cantari conformem officio diei, an vero sufficienter suppleat sola Missa solemnis de die Dedicationis?... Dicendum venit, necesse non esse, quod cantetur altera Missa conformis officio diei in his Ecclesiis, in quibus quotidie non cantatur Missa, iuxta dispositionem S. R. C. 23 augusti 1704; seu, uti clarius loquuntur quamplurima alia eiusdem Congregationis Decreta, Missa altera concors officio cantari debet dumtaxat, *quatenus adsit obligatio illam cantandi;* huiusmodi autem obligatio Collegiatas ac Cathedrales solummodo afficit Ecclesias, et ideo quaecumque aliae haudquaquam huic Missae manent obstrictae ».

Imo, iuxta eumdem Cavalerium, etiam in Cathedralibus et Collegiatis Ecclesiis, propter ritum prolixiorem Dedica-

tionis, Missa de die celebrari posset absque cantu, ante ritus ipsius incohationem; *est siquidem Clerus tunc temporis legitime impeditus, nec cogendus est, alio divertere cum maximo gravamine, ut dictae satisfaciat Rubricae, quae hac in parte, et casu, benigniorem procul dubio suscipit interpretationem.*

Quod si in iis conventualibus Ecclesiis, Missae de die cum cantu celebrandae praeceptum proprie non datur, eo magis id intelligendum est pro parochialibus et ruralibus Ecclesiis. Hic autem nova exoritur difficultas. Iuxta Pontificale Romanum, Ecclesia dedicanda iam a vigilia omnino vacua esse debet ab omni supellectili, altariaque nuda; et in ipsa, ante ritum Dedicationis, ea die celebrari Missa non potest, ne ab ipso quidem clero ipsius Ecclesiae consecrandae. Hinc Sacerdotes celebrare debent post peractam Consecrationem, sin minus ea die in alio loco, seu cappella rite disposita, ante consecrationem Sacrum faciant. In locis autem ruralibus casus iste ut plurimum datur, ubi una tantum adest Ecclesia. In his ergo locis Missa Dedicationis omnino solemniter celebretur ab Episcopo, vel a Sacerdote delegato; et ita res disponantur, ut alia Missa celebretur post ipsam, de die occurrente privilegiato.

Quod si haec secunda Missa de die celebrari non possit, quaenam ex duabus celebrabitur? De die, an de Dedicatione?

Praenotamus: 1.° Iam superius diximus praeceptum duarum Missarum, certis anni temporibus, pro Cathedralibus, Collegiatis, regularibusque Ecclesiis obligare, non autem pro aliis. Et revera, diebus Quadragesimae, e. g. in Ecclesiis ubi non dicitur Missa conventualis, omnes Missae celebrantur de die cum commemoratione feriae, et omittitur Missa de feria; item cum ritus permittit, Missae omnes dicuntur pro defunctis, vel votivae, etiamsi nullus Sacerdos legat Missam de die. Sicut ergo praeceptum duarum Missarum, de die scilicet et de feria, non obligat nisi in dictis Ecclesiis conventualibus, ubi adest Chorus quotidianus, ita arbitramur, non obligare praeceptum duarum Missarum in casu nostro, de die scilicet et Dedicatione.

Praenotamus: 2.° Liturgici doctores non pauci ex recentioribus, loquentes de Missa festi alicuius transferendi, ut in Rubrica Missalis *de Translatione Festorum* praescribitur, aperte docent: in Ecclesiis ubi neque viget Chori obligatio, neque alia canitur Missa de die, in Missa de festo transferendo addendam esse commemorationem officii diei currentis (*V.* A Carpo, *p. 1, n. 32, et* Bouvry *tom. 2, p. 3, sect. 2, I, 5*). Ergo non tantum non adest praeceptum duas Missas decantandi, sed iuxta citatos auctores, et decretum S. R. C. 12 augusti 1854, ab ipsis allatum, quod licet in Collectione Gardelliana non inveniatur, authenticum est, et in archivio Congregationis adservatur, in casu, sola Missa de festo transferendo decantari potest. Quibus praenotatis, facilis profluit responsio ad quaesitum:

In diebus a Rubrica Missalis (*Tit. VI*), non prohibitis, in quibus permittitur Missa de sancto qui celebratur cum populi concursu, si dedicetur aliqua Ecclesia, et una tantum Missa celebretur, haec debet esse de ipsa Dedicatione cum commemoratione diei impedientis.

Iterum operae pretium ducimus verbis Cavalerii uti (*loco citato n. 76*): « Inferes ex dictis, quod si Ecclesiae Consecratio agatur in die Nativitatis S. Ioannis Baptistae, aut in festo SS. Apostolorum Petri et Pauli, Missa solemnis cani quidem poterit de die Dedicationis, quia praefata festa non sunt ex diebus, in quibus inhibetur Missam solemnem cantari de festo, quod ut supra transfertur; Missae vero privatae et officium fient de Sanctis quia horum festa..... non cedunt festo Dedicationis ».

Ad III. Si de Dedicatione Missa decantanda est, ista eritne votiva, vel festiva? En tertia pars quaestionis. Missa votiva, ut omnes norunt, illa dicitur, *quae non est conformis officio diei.* Quapropter, cum Missa de Dedicatione decantanda diebus in quaestione nostra enumeratis, nullam habeat relationem cum officio diei currentis, Missa votiva dici potest, licet et festiva sit. Ut autem res accuratius elucidetur, opportunum iudicamus distinctionem referre, quam

Guyet (IV. 21, 1) facit inter Missam *stricte* votivam, et *late* votivam. Stricte votiva dicitur ea, quae celebratur ex voto Sacerdotis vel fidelium; late vero ea est, quae etsi extra ordinem officii celebretur, non tamen ex mero voto fidelium aut Sacerdotis, sed ex praecepto Rubricarum celebratur. Quae cum ita sint, clare patet, quod Missa de Dedicatione in casu nostro, est Missa late votiva. Siquidem liturgici auctores aiunt, quod ad votivas late dictas referendae sunt Missae, quae celebrantur de festo, cuius officium non recitatur quidem illa die, sed cuius solemnitas in populo agitur, et in decretis dicuntur Missae de festo more votivo... Talis est Missa quae a citata rubrica Missalis (Tit. vj) permittitur ratione concursu etc. Itaque huiusmodi Missae sunt partim votivae, quia extra ordinem officii, et partim festivae, quia de festo celebrantur. En adamussim casus noster: Missa ergo, de qua agimus, celebranda in diebus impeditis de Dedicatione, est reapse LATE VOTIVA, imo *festivo-votiva*.

Scilicet, sicut Missa Dedicationis, si de ea persolvatur officium, est vere festiva, ita sine suo officio est votiva, lato sensu, seu solemnis ad instar Missae de Sancto commemorato in officio alterius Sancti, quae revera dicitur festiva. Haec sententia communis est apud liturgistas, cum auctoritate Gavanti, Quarti, Merati, Cavalerii atque S. Alphonsi de Ligorio (Cf. Schober *Caerem. Miss. priv.* V, 13).

Hic autem quaeri potest: in Missa Dedicationis, diebus in casu expositis decantanda, licetne atiquas commemorationes agere? in casu affirmativo, quales?

Responsio profluit ex dictis. Si agatur de Cathedrali vel Collegiata aut regulari Ecclesia, ubi Missa conventualis de die celebrata est, tunc Missa in casu decantanda est absque ulla commemoratione, prout docent Liturgici de Missa votiva solemni cum *Gloria* et *Credo;* si autem agatur de Ecclesia, ubi celebrata non sit Missa conventualis de die, tunc in praedicta Missa *late votiva* ut supra, de Dedicatione, facienda est commemoratio de die currente, nec non, si casus ferat, de Dominica aut feria maiori. Id etiam eruitur e Decreto S. R. C. *22 iulii 1848,* n. 5137.

Ad IV. Quando ergo officium de ipsa die Dedicationis Ecclesiae recitari nequeat, in quem diem erit transferendum?

Novissimae Rubricae id docent explicite (Tit. IV, n. 3 et Tit. V, n. 2), nempe in casu officium de die Dedicationis persolvendum erit in crastinum, nisi occurrat aliquod duplex 1 vel 2 classis: quo in casu transfertur in primam sequentem diem, liberam a praedictis festis classicis.

Quod si revera in crastinum celebratur, tunc in Dominica Quadragesimae qualibet, dicuntur primae Vesperae de die Dedicationis, cum commemoratione tantum ipsius Dominicae: feria vero ij, fit officium integrum de Dedicatione, incipiendo a matutino, et fit commemoratio (cum ix lectione) ipsius feriae ad Laudes et in omnibus Missis, etiam cantata, atque in ij vesperis. Fit etiam de duplici maiori vel minori et de semiduplici simplificato si occurrat, in laudibus tantum et in Missis privatis, sine ix lectione.

In festo vero Annuntiationis et s. Ioseph (fer. iv ante Dom. iij post Pascha), in secundis vesperis festi fit commemoratio sequentis officii Dedicationis, si in crastino ut supra celebretur.

V. Quo die celebrandum huius Dedicationis Anniversarium in casu?

Resp. Consecrator in actu Dedicationis aliam diem assignare potest pro Anniversarii Dedicationis ipsius celebratione, iuxta S. R. C. decretum, *19 februarii 1587*, citatum a Gavanto (*sect. 8, c. 5, n. 4*) et a Cavalerio (*t. 1, c. 1, decr. 1*) licet hoc non inveniatur in Collectione Gardelliana, et iuxta aliud decretum, *19 sept. 1665, n. 1321* ad iij. Secundum autem doctrinam Gavanti (*loco citato*), Guyeti (*l. 2, c. 1, quaest. 3*) et Cavalerii (*loco citato, nn. 18-23*), non tantum potest, sed DEBET Episcopus aliam diem assignare, quando Dedicationis Anniversarium occurreret in diebus privilegiatis a Rubrica numeratis. *Cum enim*, ait Cavalerius, *hi dies repellant quodcumque festum, amotio festi Dedicationis in aliquo eorumdem incidentis, non tam congrua, quam necessaria redditur..... Ne igitur officium Dedicationis semper vage, et seiunctim ab*

eiusdem Dedicationis celebritate recolatur, et ne mutuo duo occurrentia festa se impediant, satius est Dedicationis festum in alterum mutare diem, in qua et solemnitas et officium, absque ullo incommodo alterius solemnitatis, celebrari queant.

Insuper citati auctores docent, convenire, ut Episcopus mutet diem Dedicationis, etiam cum Ecclesia dedicatur diebus Purificationis et Nativitatis B. M. V. propter mysteria in eis celebranda, quae propterea non sunt omittenda: item in festis Apostolorum, ob eandem rationem nos addimus, nec non diebus 2 et 3 novembris, propter officium defunctorum, quod in eis celebrandum venit; item diebus, quae occurrunt a 10 mensis Decembris usque ad octavam Epiphaniae, et a mense februario usque ad ferme totum iunium, propter impedimenta plurima accidentalia hisce temporibus possibilia, et quia ut plurimum absque octava Anniversarium celebrandum foret.

Ultimam causam adiicendam esse censemus pro iis dioecesibus, vel Religionibus, quae speciali S. R. C. concessione gaudent, omnium Ecclesiarum Dedicatione una die celebrandi. Hoc enim in casu Consecrator omnino in dicta die assignare *debet* Anniversarium Dedicationis; quinimo etiamsi id non faciat ad mentem S. R. C. ob decretum *1 sept. 1838 in Mechlinien., n. 2784* ad ij, quod tale indultum concedit, ut uniformitas obtineatur in tota Religione vel dioecesi, Anniversarium ipsum celebrandum foret simul cum omnibus aliis Ecclesiis. Id autem non est applicandum si agatur de Dedicatione Cathedralis, quae ex recentioribus decretis (28 oct. 1913) sua die est celebranda seorsim ab aliis.

Episcopus ergo Consecrator in actu Dedicationis diem liberam statuat pro celebratione Anniversarii Dedicationis; et in electione ita se gerat, ut dies assignata non incidat in illis anni temporibus, in quibus facile festa mobilia et solemniora occurrunt, quae proinde Anniversarii celebrationem non permitterent.

Advertendum tamen venit, quod fixa dies assignari debet, non mobilis; et quod extra actum consecrationis aliam

diem assignare nequit Episcopus, inconsulta Apostolica Sede, iuxta S. R. C. decreta *3 martii 1674, n. 1498; 6 sept. 1834, n. 1498,* et notam Gardellini subiectam.

Ad VI. Nihil ne prohibet, quominus Episcopus illos dies seligat pro consecratione Ecclesiarum?

Stricto iure, nihil prohibet, nam Pontificale Romanum aperte dicit: *Omni die de iure potest fieri Ecclesiarum consecratio.* Attamen nonnulla animadvertenda veniunt.

Primo quidem, sunt infra annnum dies tali honore vel mysterio decorati, ut in ipsis certe non deceat christianam plebem ritu Dedicationis distrahere; quinimo ritus ipse incompatibilis quoque foret cum celebratione solemnium rituum, qui eiusmodi diebus occurrunt, verbi gratia: Nativitas Domini, propter tres Missas celebrandas, Purificatio B. M. V., Feria IV Cinerum, Dominica Palmarum, Triduum mortis Domini et Dominica Paschatis.

Secundo, quia omnino decet, ut peracta consecratione, eius Missa celebretur, ideoque non sunt seligendi dies a Rubrica excepti, in quibus Missa de die dicenda est.

Tertio, quamquam aliquibus in diebus supra enumeratis una Missa solemnis de Dedicatione celebrari liceat, nihilo tamen minus neque dies illi seligendi sunt; quia solemnitas Dedicationis valde congruit, ut sua die celebretur, non tantum cum Missa, sed etiam cum proprio officio et cum octava, quod fieri nequit talibus diebus, et fortasse Dedicatio sua quoque privaretur octava.

Quarto, quia mens est Ecclesiae, ut Anniversarium Dedicationis propria die quantum fieri potest celebretur (*S. R. C 3 martii 1674, n. 2675, et 28 oct. 1913*). Si ergo dies privilegiati seliguntur pro Dedicatione, necessario Anniversarium alia die celebrandum esset.

Propter quod Episcopi Dedicationes Ecclesiarum peragant dominicis diebus, sicuti *decentius* esse monet Pontificale Romanum, non tamen impeditis. At diebus primae classis, ut aliis in Rubrica exceptis, et temporibus Adventus ac Quadragesimae, atque aliis diebus supra memoratis, quantum fieri potest se abstineant.

En solutio nostra, quam in praxi tenendam esse censemus; revocando quae in nota 21 nostri Commentarii in Tabellas Occurrentiae et Concurrentiae scripsimus, circa dies Dominicas eligendas pro celebratione Anniversarii Dedicationis, cum hodie novissimae Rubricae id prohibeant.

Dr. PETRUS PIACENZA.

Quaenam reverentia praestanda sit Cruci Altaris a Celebrante, tum in accessu ad Altare, tum in recessu ab eo?

Resp. Haec quaestio prima fronte non videtur esse magni momenti; rite autem considerata ipsa est maioris ponderis quam nonnulli putant. An enim et quare habeatur differentia inter reverentiam praestandam Cruci Altaris, quando Celebrans accedit ad Altare, et quando ab eo recedit. Ut itaque lectoribus responsum nostrum magis evidens sit et convincat, illam quaestionem ad trutinam examinare et considerare nobis opportunum videtur.

Ante omnia videamus quidnam Rubrica Missalis de accessu Celebrantis ad Altare praescribit:

Rubrica (*Ritus servandus in celebratione Missae, tit. II, n. 2*) ita se habet: « Cum pervenerit ad Altare, stans ante illud in infimo gradu, caput detegit, biretum ministro porrigit, et Altari, seu imagini Crucifixi desuper positae, profunde inclinat» (*Ita Missale Rom., Pii V Pont. Max. iussu editum, Venetiis apud Iuntas, an. 1575*).

Gavantus (*Thesaurus SS. Rituum, tom. I, Part. II, Tit. II, n. 2, edit. Rom. ex Typogr. Vatic. an. 1736, cuius prima editio videtur esse edita et approbata anno 1627*) praefatam Rubricam ita exhibet: « Cum pervenerit ad Altare, stans *ante illius infimum gradum* caput detegit, biretum ministro porrigit, et Altari, seu imagini Crucifixi desuper positae, profunde inclinat ».

Eadem Rubrica eodem modo redditur a Paulo Maria Quarti (*Rubricae Missalis Rom. Commentariis illustratae, Part. II, tit. II, n. 2, Venetiis editae et approbatae, an. 1727*) (1).

(1) Eodem modo habetur ea Rubrica in Missali Rom. ad usum Fratrum Minorum S. Francisci Capuccinorum, impress. Maceratae, anno 1827.

Missale autem Rom., ex Decreto SS. Concilii Tridentini restitutum, S. Pii V Pont. Max. iussu editum, Clementis VIII et Urbani VIII auctoritate recognitum (*editum Venetiis Typogr. Heredis Nicolai Pezzana, an. 1788*), praedictam Rubricam ita exhibet: « Cum pervenerit ad Altare, stans ante illius infimum gradum caput *detegat*, biretum Ministro *porrigat*, et Altari, seu imagini Crucifixi desuper positae, profunde *inclinet* ».

In recentioribus vero editionibus Missalis Romani praefata Rubrica quoad sensum parum aliter exhibetur, nempe: « Cum pervenerit ad Altare, stans ante illius infimum gradum, caput detegit, biretum ministro porrigit, et Altari, seu imagini Crucifixi desuper positae, profunde *se* inclinat » (*Vide inter alia Missale Rom., edit. Pustet, anno 1900*).

Quaestio itaque est, utrum per dictam Rubricam intelligendum sit quod Sacerdos caput, an corpus profunde inclinare debeat. Iuxta antiquum Rubricae textum videtur quod Sacerdos caput profunde inclinare debeat; per textum autem Rubricae, in recentioribus editionibus Missalis Rom. exhibitum (ubi habetur additum verbum *se* inclinat) videtur inclinationem corporis profundam esse debere.

Videamus itaque, quomodo auctores antiqui optimae notae hanc Rubricam intellexerint.

1° **Gavantus,** princeps Rubricistarum vocatus, in eodem titulo numero primo, loquens de reverentia praestanda Cruci, vel imagini illi quae in Sacristia est, sequentia habet: « *Facta reverentia.* Haec vox, quae hoc loco primum occurrit, *reverentia,* est nomen genericum, quod habet species, id est inclinationem capitis, vel genuflexionem, quae rei congruit, cui fit reverentia: quod semel dixisse sit satis; et hoc loco reverentia fit **capite cooperto, et profunde,** *ex nu. seq.* **inclinato**: non enim verbum illud *cooperto,* concordat tantum cum sequenti *accedit;* sed etiam cum praecedentibus; nec inconvenit, cum paulo post idem fieri praescribatur, quando transit Sacerdos ante Altare maius, in quo item Crux esse debet ».

Porro in numero sequenti (scilicet 2) Rubrica agit de

Sacerdote: « Cum pervenerit ad Altare », etc. — Hoc secundo loco itaque etiam agitur, uti in primo numero, *de profunda capitis inclinatione,* et non de profunda corporis inclinatione, cum hac differentia quod in 2° loco dicta reverentia facienda sit capite *detecto.*

Quod hic agatur iuxta Gavantum *de sola profunda capitis inclinatione,* id magis patet ex eo quod idem auctor dicit eodem titulo, n. 4, explicans sequentem Rubricam: « Collocato calice in Altari, accedit ad cornu Epistolae... Deinde rediens ad medium Altaris, *facta primum Cruci reverentia,* vertens se a cornu Epistolae, descendit, etc. » — « *Cruci reverentia* (ait Gavantus), cum capitis inclinatione, quod in sequentibus observa; et fit semper profunda, *ut supra num. 2 dictum est* ».

Item idem auctor, explicans n. 5 eiusdem tituli, ubi agitur de Missa solemni: « *Antequam ascendat,* genuflectit, si in Altari est Tabernaculum SS. Sacramenti; vel si non est, caput profunde inclinat Cruci, antequam incipiat Confessionem. Ministri vero omnes, etiam Cruci, quae in Altari est, genuflectant in tota Missa, *ut in tit. 4, num. 7 expresse habetur* » (1).

Ex praedictis itaque patet, quod iuxta Gavantum inter reverentiam praestandam Cruci Altaris a Celebrante, tam in accessu ad Altare, tum in recessu ab eo, nulla existat differentia. In recessu enim ab Altari Rubrica explicite dicit, tit. XII, n. 6: « Quibus omnibus absolutis.... interim Sacerdos... descendit ante infimum gradum Altaris, et ibi in medio vertens se ad illud, *caput* inclinat ».

(Continuabitur.)

P. Victorius ab Appeltern O. M. C.

(1) Hoc loco Rubrica dicit: « Diaconus et Subdiaconus hinc inde assistunt Celebranti; et cum transeunt ante Crucem, semper genuflectunt ».

BREVIORA RESPONSA

Pro Lyciensi dioecesi. — I. Nequit ad particulas parandas pro communione generali adhiberi aliud corporale ad instar capsulae plicatum, quamvis decretum 12 augusti 1804 non sit in Collectione authentica; semper enim id apparet et est nimis absonum a rubricis, quae satis provident pro omnibus casibus, vel indicantes alium calicem, nisi habeatur pyxis, vel ipsum corporale Sacrificii; quod si occurrat impraevisa necessitas et habeatur defectus alterius calicis vel pyxidis, et insufficiens sit corporale Sacrificii, adhibeatur, prope illud, aliud corporale explicatum, quasi continuatio alterius, in quo particulae ponantur, quae dein paulatim super patenam referantur.

II. Quando Episcopus Missionariis tradit facultates omnes, generatim, seu quin eas nominet, hae intelligi debent circa ea quae ordinaria seu communia sunt, non quae extraordinaria, quibus non praesumitur cogitasse; et in factispecie, non praesumitur concessisse facultatem publice benedicendi et exponendi permanenter in quodam altari imaginem alicuius Sancti; quia haec de more non datur. Imo, in casu, alia sunt ab Episcopo videnda: materia et forma ipsius imaginis, opportunitas expositionis, tam sensu utilitatis spiritualis, quam legum aestheticae, etc.; quae omnia, nisi exprimantur, subintelligi nequeunt.

Pro dioecesi Tridentina. — Potest Parochus, occasione solemnitatis externae alicuius festi, summo mane Missam lectam pro populo *de die* celebrare, et hora magis opportuna Missam alii Sacerdoti committere *de solemnitate*. Quod in *Ephemeridibus Liturgicis*, an. 1914, pag. 122, ad I, n. 3, dicitur, non respicit hanc difficultatem, sed insinuat *non debere* eiusmodi Missam cantari, scilicet, *non esse de obligatione* quod Missa de solemnitate cantetur, sed posse tantummodo legi.

Pro Arborea. — Quando Matrimonii Sacramentum privatim celebratur, valetne Sacerdos assistens indui habitu

praelatitio seu chorali, quo gaudeat, cum par videatur ratio quando Sacramentum poenitentiae administratur, pro quo Sacerdos superpelliceo et stola utitur prout tempus vel locorum fest consuetudo?

Resp. Par non habetur ratio in citatis casibus, cum Poenitentiae Sacramentum administrari possit etiam nemine spectante, et non sit sensu proprio ritus et caeremonia; matrimonium vero semper constituat verum ritum, saltem cum ministro, utroque sponso et testibus. Insuper, stola, qua opus est in casu, nequit assumi super mantelletum vel habitum choralem. Restat igitur ut assumatur superpelliceum cum stola, super rochetum et vestem talarem praelaticiam, si hisce uti placeat, iuxta communes regulas.

Pro Placentia.— In Vigilia Epiphaniae Domini nequit anniversarium, neque III, VII vel trigesimum celebrari, cum praedicta Vigilia, iuxta novissimas rubricas, gaudeat *omnibus* privilegiis Dominicae.

Pro Lambach in Austria. — Ob plurimorum dissensionem quoad Solemnitatem *externam* Festi SS. Nominis Iesu (quod in plerisque Austriae Dioecesibus celebratur cum Indulgentia plenaria pro tota Octava), precor, ut benigne iudicium edatur respectu decreti S. R. C. d. d. 28 oct. 1913, et quidem Tit. I, n. 2 (Festorum, quae hucusque *alicui* Dominicae perpetuo affixa erant, in *ipsa* Dominica celebrantur); et quaeritur: 1° An « liceat » celebrare Solemnitatem externam de SS.mo Nomine Iesu, quod est duplex II classis, cum una Missa lecta vel cantata, et quidem cum com. Officii et ultimo evangelio Dominicae, in Dominica II post Epiphaniam? 2° An pro hac Solemnitate externa requiratur licentia ab Ordinario expetenda? 3° An respectu decreti Pii Pp. IX, de anno 1852 (Vide Beringer « Die Ablasse » 1900, pag. 96 seqq.), etiam Indulgentia transferatur, quoties licite Solemnitas externa transferatur, sive ab Episcopo, sive iussu Apostolicae Sedis vel ex decreto S. R. C.? 4° Quando Solemnitas externa non translata fuit ad Dominicam II p. Ep.: quanam die illa peragi debet in annis, quae non habent Dominicam inter 2 et 5 ianuarii?

Resp. 1. Affirmative, cum reipsa festum SS. Nominis Iesu antea Dominicae II post Epiphaniam affixum esset. 2. Decretum 28 oct. 1913 licentiam R.mi Ordinarii in casu non requirit. 3. Affirmative, satis enim est, si revera festum externum ea die celebratur, quacumque auctoritate id fiat: non enim distinguit lex. 4. Provisum in 3; namque ad libitum solemnitas externa celebrari potest, hac cum differentia: si celebratur Dominica II post Epiphaniam, tunc, vi decreti et indulti 28 octobris 1913, potest in ea cantari vel legi una Missa de SS. Nomine; si alia Dominica, cum nullum habeatur indultum, Missa neque lecta neque cum cantu de festo celebrari potest.

II. Altare cuius stipes est unica columna ex marmore, cum sepulcro Reliquiarum in stipite, est valide et licite consecratum; coniunctiones enim cum S. Oleo inter mensam et stipitem praesumuntur factae quatuor locis pro angulis, seu versus angulos, uti fieri reipsa debet, erunt quippe anguli interni, nisi externi, sed hoc satis; quod autem sepulcrum sit in stipite, nihil prohibet. Quatenus autem mensa non coniungatur stipiti per lapides, sed per structuram ex lateribus coctis, hoc invalidam reddidit consecrationem, quia non verificatur, mensam lapideam coniungi cum stipite lapideo, et si postea structura eiusmodi facta fuerit, altare fuit exsecratum. In casu poterit sanatio et instructio a S. R. C. postulari.

III. Pro altari cum ornatu ex alio marmore in mensa, iudicandum est fuisse valide et licite consecratum, et tale ipsum mansisse, si additio facta est post consecrationem, vel si prius, unctiones factae sunt: quinque super lapidem integrum centrale, quatuor ad angulos, vel inter mensam et ornatum, qui esset pars stipitis, etiamsi aequaret superficiem mensae, vel inter mensam et stipitem, subtus eam, excludendo ornatum. Hoc pendet, ut patet, ex structura altaris.

IV. Altare, cuius mensa rimula intersecatur, et reipsa dividitur in duas partes, etiamsi adhuc compaginent, exse-

cratum indicandum est, si pars divisa contineat aliquam ex unctionibus, quae in actu consecrationis perficiuntur.

Nota pro Rev. Inquirente. Satis non intelligitur casus propositus de Missa S. Mariae in Sabbatis Adventus, in relatione ad alias ferias; faveat melius se explicare.

Pro Odvorco in Austria. — I. Utrum Missa parochialis in ecclesiis ubi unus adest Sacerdos, fieri possit de festo transferendo, vel de Missa votiva pro expositione et repositione SS. Sacramenti, vel pro re gravi, prouti concludi licet ex Ordine Officii recitandi a. c. 1915 ed. Pustet? Aliter habet Ordo ed. Romanae et cl. Appeltern v. I, p. 112, d. ob D. 3887.

Resp. Standum Decretis S. R. C., quae non permittunt Missam de solemnitate translata, ubi unica habetur Missa conventualis vel parochialis. Pro Gallia indultum habetur, ut parochialis Missa, in casu festi transtati ex decreto Cardinalis Caprara, de solemnitate celebretur.

II. Ex antiquis temporibus valet apud nos in regnis Croatis, Slavoniae, Hungariae et al. consuetudo Dominicis novilunaribus SS. Sacramentum exponere, et quidem verosimiliter ob varias superstitiones, quae originem ab orientalibus nationibus antiquis, Slavis, Bogumilis, ducunt. Haec Dominica novilunaris incidit prima Dominica post novilunium. Quid si novilunium in Dominicam incidet, prouti d. 14 febr. et 7 nov. h. a. Utrum his diebus incidat Dominica novilunaris? An 21 febr. et 14 nov.

Resp. Cum agatur de re omnino locum respiciente, unicus iudex est Episcopus, cui proinde recurrendum; nobis non licet ipsi documenta, forsan inopportuna, exhibere. Circa Dominicam in ipso novilunio incidente, quatenus nihil obstet ex parte Episcopi, vel servanda est consuetudo, vel ipsis terminis indicationis standum, ita ut *post,* sit intelligendum Dominica insequenti.

Pro dioecesi Lucana. — I. Putant nonnulli novam omnino esse legem Rubricam de Missis lectis defunctorum in die obitus aut pro die obitus, quae legitur in novo Psalterio Tit. X, n. 5; quare eas dicunt permissas etiam infra Octavas privilegiatas et in Vigiliis privilegiatis. Rectene?

Resp. Lex lata die 19 Maii 1896 a S. R. C. quoad has Missas, excludebat duplicia I cl., Dominicas et alia festa de praecepto: lex lata post Bullam « Divino afflatu » excludit praeter duplicia I cl., Dominicas aliaque festa de praecepto, etiam duplicia II cl. et ferias excludentes duplicia I cl. Nunc vero. cum de octavis nullum fiat verbum, restat ut Missae de die vel pro die obitus prohibeantur tantum secunda et tertia die post festa Resurrectionis et Pentecostes quae sunt duplicia I cl.; et quoad ferias, tantum feria IV Cinerum, II, III ac IV Maioris Hebdomadae, Vigilia Nativitatis Domini et Vigilia Pentecostes (quia etiam Vigilia venit sub nomine feriae), quae omnes excludunt duplicia I cl.

II. Cur VARIATIONES die XIV maii non innuunt 2^am^ lectionem cum 3^a^ esse iungendam? Forsan ex oblivione?

Resp. Evidenter, ex oblivione, cum alias reipsa innuant: v. gr. diebus 2, 9, 15 et 20 iunii.

III. Quaeritur quare in novissima occurrentiae tabella in quadrangulo ubi concurrunt *dies octava simplex et S. Maria in Sabbato* sit O et non I.

Resp. Quia S. Maria in Sabbato, occurrente die octava simplici, non subsistit, quomodo non subsistit si occurrit duplex vel semiduplex aut Vigilia.

IV. Docent *Ephemerides Liturgicae* (an. 1915, n. 1, pagg. 43 et seqq.), Collectam PRO PACE, ubi imperata sit, explicite vel implicite, uti pro re gravi dicendam esse ante Collectam *pro Papa*. Idem estne servandum etiam quum non uti pro re gravi, sed more solito in imperandis Collectis ab Ordinario imperata est?

Resp. Res fuse explicatur in fasciculo citato *Ephemeridum*, pagg. 14, 15; hoc est: Negative.

V. In festo S. Antonii Abb. (17 ianuar.) mos viget aliquibus in locis benedicendi animalia equina et bovina: quo colore debet adhiberi stola? *Rituale* praescribit quidem in animalium benedictione stolam violaceam, at agitur ibi de animalibus aegrotantibus.

Resp. Stola in casu proposito adhibebitur albi coloris,

quia benedictio fit sub invocatione S. Antonii Abbatis Confessoris; alias esset de die, v. gr. viridis in Dominica, numquam violacea, ob rationem in dubio allatam.

VI. Missa votiva de SS. Corde Iesu, prima feria VI cuiusque mensis, estne permissa infra octavam Ascensionis (si tamen Officium sit de aliquo festo, non vero de Octava), quum nunc et haec octava sit privilegiata?

Resp. Ad normam decretorum S. R. C., 17 maii 1912 in Lauretana, et 3922, V, in casu dicenda esset Missa de octava, cum privilegiis Missae votivae SS. Cordis; sed cum res non sit admodum certa, expectandae sunt novae rubricae Missalis.

VII. Lectiones pro festis universalis Ecclesiae commemoratis possunt ne ac debent legi tantum quum eiusmodi festa impediuntur Officio nobiliori *alicuius Ecclesiae particularis*, an etiam quum impediuntur aliquo Officio nobiliori universalis Ecclesiae? Ratio dubitandi inde exsurgit quod in Decreto approbationis (24 iun. 1914) agitur de impedimento particulari; contra in prooemio earumdem Lectionum dicitur tantum *quoties..... perpetuo vel accidentaliter impeditis* etc. Aliis verbis: Decretum approbationis et prooemium inter se cohaerere non videntur. Quid?

Resp. Cum in dicto prooemio dicatur, lectionem contractam non debere recitari in Vigilia Pentecostes, quae est Ecclesiae universalis, consequitur posse recitari alio die, officio item Ecclesiae universalis impediente, pro quo non adest vetitum: ideoque, affirmative ad primam partem dubii, negative ad secundam. Contradictio nulla, extat inter decretum et prooemium, quia decretum causam nominat deliberationis a S. C. sumptae, non negat autem posse lectiones istiusmodi in aliis casibus adhiberi.

Pro dioecesi Lauden. — I. Collecta pro re gravi non est dicenda in Missis solemnibus votivis pro re gravi, si praecipiatur *simpliciter*, iuxta decretum S. R. C. 23 decembris 1914, II; est vero dicenda, si praecipiatur a Superiore etiam in duplicibus I classis, quia Missae votivae pro re gravi non

sunt his duplicibus nobiliores. Quod autem Missa votiva pro re gravi admittat (sub unica tamen conclusione) commemorationem votivam, exemplum dat Missa votiva solemnis pro Pace, quae dicitur die intermedio in Oratione XL horarum, cum commemoratione SS.mi Sacramenti. Attamen non omnes conveniunt in sententia, aliqui enim allatum exemplum dicunt non constituere regulam, et Missam votivam solemnem non includi in superioris praecepto.

M

Denuo circa Missam " pro populo ".

In praecedenti numero harum *Lphemeridum* dedimus commentarium in Decretum S. Congregationis Concilii *circa Missam pro populo,* d. d. 16 dec. 1914, et ad III quaesitum respondimus: quod, in casu, cum agatur de diebus non amplius feriatis, quibus populus non tenetur adesse, nimio rigore lex applicandi a parocho Missam pro populo non sit accipienda: scilicet, ut Episcopus papiensis quaerebat, tolerari potest quod parochus alia die Missam applicet, et etiam ab alio sacerdote illam celebrandam committat.

Notandum est tamen, quod ratio potissima III responsi S. Congregationis fuit praesertim, quia in casu agebatur de parochis dioecesis paipiensis, qui ex apostolico indulto, Missam pro populo in festis suppressis applicant ad mentem Episcopi: ideoque videtur quod in locis, in quibus non habeatur simile indultum, parochi adhuc debeant Missam pro populo applicare in ipso die festo, quasi esset feriatus, et quidem per se, nisi gravis causa suadeat ut per alium applicetur, prout aliquando licet in festis vere feriatis, iuxta acceptam doctorum sententiam.

Hanc animadversionem doctus vir quidam, amicus noster, fecit, qui in tali conditione est, ut mentem Congregationis nosse optime possit: et sane, qui bene III quaesitum Episcopi papiensis considerat, huiusmodi fuisse intentionem S. Congregationis dicendum est profecto: notabat enim Episcopus inquirens, quod in sua dioecesi, ex apostolico indulto, parochi Missam applicant ad mentem Episcopi.

Quoniam vero diebus non amplius feriatis, manet quidem parochis praeceptum applicandi Missam pro populo, populus autem interesse non tenetur nisi ex consilio, non videtur quod sint requirendae causae excusantes tam graves, quales exigunt Canonistae pro excusandis parochis, in diebus festis cum integra feriatione, a celebratione personali Missae pro populo. Huiusmodi fuit mens nostra in commentarii conclusione.

Dr. P. P.

THEOLOGIA LITURGICA

CAPUT TERTIUM.

Creatura spiritualis sive angelica.

24. Inter res creatas primum locum tenet creatura spiritualis, seu angelica. Angelorum frequentissima est mentio in libris sacris, tum veteris, tum novi testamenti, nec minus frequens est in operibus liturgicis; unde Augustinus dicit : « esse angelos novimus ex fide ». Sed non ex fide tantum, verum etiam ex traditione populorum, sive antiquorum sive recentiorum, qui, si non in nomine angelorum, conveniunt in admittenda existentia substantiarum spiritualium, hominibus natura praestantiorum. Socrates, Plato, Pytagoras, et alii plures sapientes gentilitatis admittebant existentiam naturarum spiritualium sub nomine vel daemonum, vel deorum, vel etiam angelorum. Unde nefas est dubitare de angelorum existentia.

25. Notat sanctus Thomas quod antiqui ignorantes vim iutelligendi. et non distinguentes inter sensum et intellectum nihil existimaverunt esse in mundo nisi quod cadit sub sensu, et apprehendi potest imaginatione. Quia autem sub sensu et imaginatione non cadunt nisi corpora, horum tantum existentiam, ponebant, negando existentiam entium incorporeorum. Hinc ortum habuit error Sadducaeorum negantium existentiam spiritus (1). Hic error autem non fuit antiquorum tantum et Sadducaeorum, verum etiam multorum aevi nostri, qui nomine philosophi positivistae dicuntur, et profitentur nihil admittendum nisi quod cadit sub sensu et imaginatione. Contra hos omnes stat non solum doctrina fidei et traditio omnium populorum, verum etiam factum hodiernum spiritismi. Phaenomena spiritismi, quodcumque iudicium feratur de eorum moralitate, argumentum indubium praebent de spirituum existentia. Etenim in sessionibus spiritisticis, ut vocantur, praesentes loquuntur cum entibus invisibilibus, quae respondent quaestionibus et petitionibus ad ipsa

(1) Quaest. L, art. 1.

dierectis, et ipsa dirigunt ad praesentes quaestiones ac petitiones: uno verbo conversantur cum praesentibus more personarum intelligentium etiam de obiectis scientificis. Quae omnia fieri nequeunt nisi ab entibus intelligentibus, idest a spiritibus.

26. Iuxta S. Thomam angeli in maxima multitudine sunt, excedentes omnem multitudinem materialem; et huius ratio est quia cum perfectio universi praecipue intendatur a Deo in creatione rerum, quanto aliqua sunt magis perfecta tanto in maiori excessu sunt a Deo creata (1). In Daniele legitur quod millia millium Antiquo dierum ministrabant angeli et decies millies centena millia assistebant ei (2). Praeterea veritas est fidei quod singulis hominibus angeli ad custodiam deputantur; unde S. Hieronymus apposite ait *« Magna dignitas animarum ut uuaquaeque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui angelum delegatum »* (3). Quod si consideremus numerum viaotrum assurgere ad decies millies centena millia, et per generationem multiplicationem hominum fieri non in proportione arithemetica, sed geometrica facile videmus innumerabilem esse multitudinem angelorum.

27. Fuerunt angeli in ipsa creatione primitiae regni Dei coelestis; de quibus sermo est in Iob, ubi dicitur: *« Respondens Dominus Iob dè turbine: ubi eras cum me laudarent simul astra matutina et iubilarent omnes filii Dei?»* (4). Qui filii Dei Deo iubilabant contemplantes mirabilia opera Domini in universo recanter creato Circa quod notandum est quod hic angeli vocentur filii Dei quia perfecti in natura et ditati gratia Deo coniuncti erant filiali amore secundum illud S. Augustini: *« Bonam voluntatem qui fecit in angelis, nisi ille qui eos cum bona voluntate, idest cum amore casto quo illi adhaererent, creavit, simul in eis et condens naturam, et largiens gratiam »* (5). Cetera cum omnia opera Domini in ipsa creatione fuerint valde bona et perfecta cur non angeli? Nullum dubium quod angelorum status fuerit in ipsa creatione perfectus, perfectione naturali quoad intellectum et voluntatem, nec est ratio dubitandi de eorum perfectione supernaturali idest in ordine gratiae sanctificantis.

---

(1) Ib. art. III.

(2) Dan. VII, 1°.

(3) Cf. S. Th., Qu. art. II. — Hinc Ecclesia in festo SS. Angelorum canit: « Custodes hominum psallimus angelos — Naturae fragili quos Pater addidit — Caelestis comites, insidiantibus — Ne succumberet hostibus ».

(4) Iob. XXXVIII, 7.

(5) De Civitate Dei. Lib. XII. Cap. 9.

28. Attamen et ipsi creati fuerunt in statu viae, scilicet ordinati seu directi ad assecutionem ultimi finis qui est beatitudo aeterna, et perfecta, quam nulla creatura assequi potest nisi per meritum, cum ipsa sit praemium (1). Ut autem beatitudinem perfectam, ut finem ultimum assequerentur dotati fuerunt libertate seu libero arbitrio (2). Hac libertate bene usi sunt angeli qui permanserunt in bonitate, et se convertendo ad Deum, eique se subiiciendo meruerunt beatitudinem caelestem; hi sunt angeli sancti, qui assistunt et ministrant Deo in regno suo. Eadem vero libertate abusi sunt angeli rebelles qui se averterunt a Deo, atque subiectionem illi debitam recusaverunt; unde facti sunt ei inimici. Quapropter « *Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos in iudicium reservari* » (3). Hinc facta est separatio angelorum malorum a bonis, qui sunt administratorii spiritus in ministerium misi propter eos qui haereditatem capiunt salutis (4).

29. Vidimus supra (26) in Daniele angelos distingui inter assistentes et ministrantes, omnes tamen etiam ministrantes divinam essentiam vident; nam loquendo Christus de pusillis ait; *videte ne contemnatis unum ex his pusillis, dico enim vobis quia angeli eorum semper vident faciem Patris:* (5) omnes enim divinam beatitudinem sunt adepti, et ideo visione beatifica fruuntur.

30. Ad rem faciunt verba S. Bernardi in Ps. XC: Angelis suis mandavit de te: summa ergo Maiestas mandavit angelis, et angelis suis mandavit. Illis utique sublimibus, tam beatis, quam proximis sibi cohaerentibus, et vere domesticis mandavit de te... Sed quid mandavit de te? Ut custodiant te (6). Cuilibet homini quamdiu viator est angelus custos deputatur, idest a nativitate ad terminum vitae, nec unquam illum deserit (7), nisi in fine vitae. Tunc enim homo angelum non habebit custodem, sed conregnantem in caelo si in regno Dei usque in vitae finem permanserit, condemnantem vero reprobum si non permanserit.

31. Ex hoc quod angeli sunt administratorii spiritus propter eos qui haereditatem capiunt salutis, scilicet propter electos, sequitur

(1) Cf. S. Thom. I. Quaest. LXII, art. 4.
(2) Id. Quaest. LIX, art. 3.
(3) II Pet. II, 4.
(4) Hebr. I, 14.
(5) Matth. XVIII, 10.
(6) Brev. rom. 2 Octob. Lect. IV.
(7) Cf. S. Th. Quaest. CXIII.

ipsos operarios esse civitatis sanctae, regni Dei caelestis; electi enim sunt lapides vivi quibus civitas caelestis construitur; atque in hoc angeli consociantur ministris Ecclesiae, sacerdotibus, qui opus ministerii ad consummationem sanctorum et aedificationem corporis Christi, seu Ecclesiae, exercere debent. Et hic etiam est finis ultimus instaurationis rerum omnium in Christo, sicut est finis ultimus sacrae liturgiae, seu operum liturgicorum. Possumus hic accommodare imaginem perfectionis a S. Augustino descriptae: « Quod est fastigium fabricae quam molimur? quo perventurum est cacumen aedificii? Cito dico: usque ad conspectum Dei. Videtis quam excelsum est quanta res est conspicere Deum (9) ». Et Deus conspicitur in civitate sancta Ierusalem coelesti.

CAPUT QUARTUM.

Primordia regni Dei in universo.

32. Quoniam, ut vidimus in capite praecedenti, omnia opera Dei sunt bona valde et perfecta, sequitur, universum ipsum in sua creatione perfectum fuisse, et grandi bonitate praeditum. Quod tanto evidentius apparet si consideremus quod bonitas ipsa Dei ratio est et causa creationis rerum omnium universi. « *Bonitas Dei,* ait S. Thomas, *est ratio volendi, quod alia sint, et per suam voluntatem, res in esse producit. Amor igitur quo suam bonitatem amat est causa creationis rerum* » (1). « *Deus igitur,* repetit sanctus doctor, *non propter aliquam indigentiam creaturas produxit, neque propter aliquam causam extrinsecam, sed propter amorem suae bonitatis* » (2). Idem docet S. Augustinus verbis: « *Quia Deus est, nos sumus* » (3). Catechismus autem Concilii tridentini addit, quod causa creationis rerum fuit ut ipsis bonitatem suam communicaret: « *Neque vero,* en eius verba, *ulla alia fuit causa, quae illum ad opus creationis impelleret nisi ut rebus quae ab ipso effectae essent bonitatem suam impertiretur* » (4). Quomodo autem universus valde bonus et perfectus dici potuisset si ipsi defuisset regnum Dei? Nam in regno Dei est omnis bonitas et prefectio creaturae, quae a Deo, ut in fonte et causa prima, omnem bonitatem et profectionem attingit.

33. Regnum in genere significat societatem creaturarum intel-

(1) Contra Gentes. Lib. IV. Cap. XX.
(2) 1ª Quaest. XXXII, a. 1, ad 3ᵐ.
(3) De Doctrina Christiana. Cap. XXXI.
(4) Pars 1ª. XX.

ligentium, seu personarum, sub uno capite potestatem habente eam regendi et dominandi; hinc duae sunt partes regnum constituentes; scilicet 1° pluralitas personarum in societatem mutuo coniunctarum, et 2° caput seu dominus istius societatis. Potestas autem dominandi est duplex, idest iuris et facti; potestas iuris absque potestate dominandi separata ab actuali dominatione; potestas facti est exercitium iuris. Ut patet, dari potest potestas iuris absque potestate facti, sicut potest dari potestas facti absque potestate iuris. Regnum Dei ergo significat dominationem Dei in societatem creaturarum intelligentium; in qua dominatione distinguendum est ius a facto: etenim Deus ius habet dominandi in creaturas rationales, seu intelligentes, atque in eas revera multipliciter dominatur: hinc multiplex regnum Dei in universo secundum multiplicem diversitatem personarum quae societatem Deo subiectam constitunnt.

34. Ex duplici autem capite oritur diversitas personarum regnum Dei constituentium, scilicet, 1° ex natura: 2° ex statu. Quoad naturam distinguuntur homines et angeli; quoad statum distinguitur status viae, et status termini seu in termino. Sed status viae subdistinguitur in statum naturalem, et statum supernaturalem; in termino autem distinguitur status gloriae, seu electorum, et status damnationis, seu reproborum. In quocumque statu inveniantur creaturae rationales Deus eis dominatur superque eas regnat, sed diverso modo pro diversitate conditionum moralium, meritorum et dispositionum quae in creaturis ipsis inveniuntur. Inde regnum Dei distinguitur in 1° regnum naturae, 2° regnum gratiae, 3° regnum gloriae, 4° regnum iustitiae, 5° regnum misericordiae.

35. Regnum Dei in ordine naturae consistit in dominatione quam Deus exercet in omni creatura, in quantum ipse est causa essendi et subsistendi omnibus rebus; cum rerum omnium sit conditor. « *Universa vero qua condidit,* definit Concilium vaticanum, ***Deus providentia sua tuetur atque gubernat, attingens a fine usque ad finem fortiter et disponens omnia suaviter*** » — Sap. VIII, 1 — (1). Hoc autem regnum est primum, fundamentale et universale; sine quo cetera esse nequeunt. Sed quoad creaturas spirituales solum esse non constituit regnum naturae quia in ipsis relatio cum Deo non est simplicis subsistentiae, verum etiam intelligentiae et moralitatis; unde, teste S. Augustino, fuerunt philosophi gentiles qui de Deo ita senserunt ut in ipso esset, praeter, causam subsistentiae,

(1) Sessio tertia. Const. « Dei Filius ». Cap. 1.

ratio intelligentiae et ordo vivendi. Hoc idem docet doctor Seraphicus S. Bonaventura scribens: « *Sicut Deus est causa essendi, ita est ratio intelligendi, et ordo vivendi. Sed Deus sic est causa essendi, quod nihil potest ab aliqua causa effici quin ipse se ipso et sua virtute moveat operantem; ergo nihil potest intelligi quin ipse sua aeterna veritate immediate illustret intelligentem* (1). Quapropter in creaturas rationales Deus dominatur non tantum ut causa essendi, sed etiam ut ratio intelligendi et ordo vivendi, ita ut triplici titulo hoc creaturae subsint etiam naturaliter regno Dei, quod fundatur in creatione.

36. Praeterea dominatio ex parte Dei reposcit servitutem ex parte creaturarum rationalium; et sicut dominatio divina est absoluta, plena, inalienabilis, ita servitus ei debita est absoluta, plena, indispensabilis. Huiusmodi servitutis obsequium debetur Deo ab omnibus creaturis rationalibus; et ubi est multitudo quae debitum hoc recognoscat et impleat adest regnum Dei perfectum. Tale fuit regnum Dei in primordiis universi. Nam creaturae rationales in suis primordiis, cum essent perfectae, ad Creatorem conversae fuerunt, et sicut recta ratio dictat, illum ut summum bonum et omnis boni fontem coluerunt. Ita etiam in primordiis creaturarum rationalium constitutum erat regnum divinum naturae.

37. Notandum vero quod cum dicimus regnum naturae non intelligimus naturam solam, absque auxilio gratiae; haec enim requiritur ad omne opus bonum quocumque ordine. Dicendo autem regnum Dei naturale intelligimus regnum Dei in ordine naturali ad distinctionem ordinis supernaturalis, qui fundatur in gratia sanctificante. Nam fit quaestio inter theologos utrum creaturae rationales, quae sunt angeli et homo, creatae fuerint in gratia sanctificante, et communior sententia stat pro affirmativa. Sed omissa hac quaestione, extra controversiam manet quod regnum Dei in primordiis universi perfectum fuit; sed perfectione inchoata, non consummata; perfectione viae et principii, non termini. Retenta autem sententia qua angeli et homo creati fuerint in gratia sanctificante tum evidentius patet regnum Dei perfectum in universo; non tantum per regnum naturae, verum etiam per regnum supernaturale gratiae, et ideo primordium ecclesiae Dei in ipsa creatione habetur.

(1) De cognitionis humanae suprema ratione, n. 17.

CAPUT QUINTUM.

Primordia Ecclesiae Dei.

38. Conceptus regni includit conceptum Societatis: regnum enim non est nisi Societas quaedam sub uno capite quod eam dominatur et regit (n. 33); ac propterea regnum Dei est Societas quae a Deo ut capite dominatur ac regitur. Sed quid aliud est ecclesia Dei nisi Societas illorum qui Deo subduntur, illumque ut caput et Dominum venerantur et colunt? Et Deus munere capitis fungitur erga angelos et hominem in primordiis eorum existentiae; tam in ordine naturae, quam in ordine supernaturali. In ordine naturae est causa et principium subsistentiae illorum, ratio illorum intelligentiae, norma vitae moralis per lumen rationis, quod est impresssio luminis divini in mente creaturae intellectualis (1). *Unde* sic argumentatur doctor angelicus; *cum omnis doctrina efficaciam habere non possit nisi ex virtute illius luminis, constat quod Deus est qui interius et principaliter docet* » (2). In ordine supernaturali autem Deus influit in angelos et homines lumine fidei et virtute gratiae per quam ipsi fiunt participes divinae naturae.

39. Sed hic quaeritur quomodo angeli et homines, cum sint differentis naturae, constituere potuissent unam Societatem, et ecclesiam Dei unam? Ad huius quaestionis solutionem duo sunt notanda: 1° quod differentia naturae inter angelos et hominem non excludit omnem convenientiam in spiritualitate; anima enim hominis est substantia spiritualis, sicut angeli; et est, sicut angeli, substantia intellectualis (3). Ex hoc autem quod est substantia intellectualis invenitur etiam in ipsa sicut in angelis virtus intellectiva per influentiam luminis divini, ut docet S. Thomas scribens: « *In omnibus substantiis intellectualibus invenitur virtus intellectiva per influentiam divini luminis, quod quidem in principio est unum et simplex, et quanto magis creaturae intellectuales distant a primo principio tanto magis dividitur illud lumen et diversificatur, sicut accidit in lineis a centro egredientibus* » (4). Quod si quaeratur quodnam

(1) « *Sequere Deum* » fuit notum aphorisma sapientum gentilitatis, qui in lege naturali, dictante bonum faciendum et fugiendum malum, speculum Divinitatis cognoscebant. Ceterum Patres et theologi melioris notae docent cum S. Thoma lumen rationis quo discernimus quid sit bonum et quid malum nihil aliud esse quam impressionem divini luminis in natura rationali. Cf. S. Th.. 1. 2. Quaest. XCI, art. II.

(2) Quaest. de magistro. A.

(3) Concilia Lateranense et Vaticanum naturam humanam quasi communem cum angelica et corporali, ex spiritu et corpore constitutam dicunt, atque ideo eam participem faciunt naturae angelicae.

(4) I. Quaest. LXXXIX, art. 1.

sit illud lumen divinum quod in animabus et mentibus creatis semper irradiat, respondet angelicus Doctor: « *Oportet quod per verbum Dei, quod est ratio intellectus divini causetur omnis intellectualis cognitio. Propter quod dicitur: Vita erat lux hominum: qui scilicet ipsum Verbum quod vita est, et in quo omnia vita sunt, manifestat, ut lux quaedam mentibus hominum veritatem* ».

2° Praeter coniunctionem intellectus angelici et humani in eodem lumine divino, scilicet in eadem luce Verbi Dei quae irradiat semper in animabus et mentibus creatis, adest coniunctio supernaturalis in gratia sanctificante et caritate. Angeli et homo creati, vel constituti in gratia sanctificante, certe illo casto amore quo Deo adhaerebant, invicem etiam coniungebantur, idest se mutuo diligebant; et caritas fraternitatis, quod est vinculum perfectionis, deesse non poterat in creaturis, tam excellenti et intemerata perfectione et sanctitate praedictis, quales erant angeli et homo ante praevaricationem.

40. Hisce positis, solutio quaestionis patet. Etenim angeli et homines in iustitia originali constituti, et ideo Deo simul coniuncti caritate perfecta Deum, ipsum mutui amoris centrum et fundamentum constituebant; propterea per gratiam consortio Dei utrique fruebantur, imo consortes erant divinae naturae (4). Quod si consortio Dei utrique fruebantur cur non fruiti fuissent consortio mutuo? Coniuncti ergo Deo, et vicissim in Deo caritate perfecta societatem componebant perfectam sub capite Deo, quae idcirco *theocratica* appellatur, et est Ecclesia Dei in suis primordiis. Dicimus *Ecclesia Dei*, sed universalis, in quantum complectitur omnes creaturas rationales, Angelos et homines; caelum et terram.

41. Ecclesia Dei ergo in suis primordiis erat perfecta, omnino sancta et immaculata, non habens maculam, aut rugam, aut aliquid eiusmodi, qualem exhibebit sibi Christus ipse in consummatione saeculi per opus instaurationis. Quoniam vero membra huius Ecclesiae, quamvis sancta, Deo caritate perfecta coniuncta, et summe accepta, posita erant in statu viae, neque confirmata in gratia, declinare poterant a via iustitia, avertendo se a Deo, et convertendo

(3) Contra Gentes. Lib. IV. Cap. 13.

(4) Cf. S. Th. Expos. in Ioann. Cap. I. Lect. III.

(4) Quaeritur a theologis, utrum gratia sanctificans status innocentiae fuerit eiusdem rationis ac speciei cum gratia sanctificante status naturae lapsae, et respondetur cum S. Thoma eandem fuisse quoad substantiam, quia semper est participatio divinae naturae, quod idem est ac esse divinae naturae consortes, ut ait S. Petrus (II. Pet. I. 4).

se ad bonum creatum. Deus enim creando homines et angelos reliquit eos in manu consili sui; ipsi autem manere debebant constanter in amore et servitio Dei, ut fidem Deo debitam servarent, et finem ultimum consequerentur, qui est beatitudo aeterna in regno celesti. Et hoc est regnum de quo loquitur Christus in sententia proferenda in extremo iudicio pro electis: « *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum verbis regnum a constitutione mundi* » (5).

42. De operibus angelorum et hominis in statu viae et iustitiae originalis parum habemus sive in scripturis sanctis, sive in traditione. Attamen ex verbis quae in libro Iob leguntur a Deo dicta: « *Cum me laudarent simul astra matutina et iubilarent omnes filii Dei* » (6), intelligendo angelos per *astra matutina* et *filii Dei*, argui potest quod angeli actus laudis et gratiarum actionis in Deum egerint in suis primordiis, et primordiis universi. Ceterum supponi nequit caritatem perfectam in Deum qua flagrabant angeli et homines in statu iustitiae ei sanctitatis mansisse inertem, omittendo obsequia servitutis et religionis Deo debita, et opera virtutis et sanctitatis.

43. Disceptant theologi circa durationem status viae angelorum. Praenotando quod tempus relate ad angelos accipitur secundum successionem in eorum actibus, ita ut tot sint tractus temporis, quot sunt actus diversi, non coexistentes, sed unus alteri succedentes. Unde quaerere quot tractus temporis (quos theologi instantia appellant) completa fuerit via angelorum idem est ac quaerere quot actus diversos successive angeli elicuerint a primo instanti suae creationis ad terminum, idest ad consecutionem glorificationis pro angelis fidelibus, vel damnationis pro reprobis.

Distinguunt ergo theologi viam malorum Spirituum a via bonorum; et viam malorum completam tribus instantibus communiter dicunt; distinguendo in ipsis tres operationes sibi succedentes, quarum 1ª fuit conversio ad Deum statim post creationem; 2ª peccatum; 3ª receptio punitionis pro peccato: si tamen receptio punitionis inter opera recenseri possit.

Quoad viam bonorum quidem tenent completam fuisse tribus actibus, sicut viam malorum scilicet, 1° actus caritatis liber quoad simplex exercitium; 2° alter actus caritatis liber quoad exercitium

(5) Math. XXV. 34.

(6) Iob. XXXVIII. 7. — Elementum constitutivum omnis societatis est bonum commune in quod conspirant omnia societatis membra. Quodnam autem est bonum commune in quod conspirant angeli et homines in iustitia originali constituti? Non aliud quam Deus. En quomodo angeli et homines in societate coniungi possunt.

et specificationem; 3° adectio gloriae (1); alii vero duos tantum recensent, considerando actum caritatis quoad exercitium et quoad specificationem tamquam unum.

Sed huiusmodi disquisitio non est tanti momenti ut debeamus in ea longius immorari. Pro praesenti argumento sufficit scire quod angeli durante statu viae meruerunt mercedem operum suorum, quam receperunt in termino; angeli boni per glorificationem, angeli mali per reprobationem.

(Continuabitur).

---

(1) Cf. Billuart. Tract. De Angelis. Dissert. Unica. Art. IV. Part. 8.

PROPRIETAS LITERARIA

IMPRIMATUR
Fr. Albertus Lepidi O. P., S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR
Franciscus Faberj, Vicariatus Urbis *Adsessor.*

Augustus Zucconi, Director Domus editricis Desclée et Soc., Romae, *Sponsor.*

Ex Officina Polygraphica Latiali, Fratrum Tempesta, Via Boccaccio, 7 - Roma

S. CONGREGATIO DE SACRAMENTIS

DECRETUM

de Sacra Communione et de celebratione Missae in castris

Sacra Congregatio de disciplina Sacramentorum, bono animarum consulere cupiens, attentis extraordinariis praesentis belli circumstantiis, iisque perdurantibus, de speciali auctoritate Ss.mi Domini nostri Benedicti Pp. XV, quae, sequuntur declarat et statuit:

1) Milites ad praelium vocatos (*i soldati sul fronte*) admitti posse, *servatis servandis*, ad S. Mensam Eucharisticam per modum Viatici.

2) Sacerdotes militiae adscriptos qui militibus sauciis infirmisve deferendis vel curandis destinati sunt (vulgo *lecticarios* vel *infirmarios*) si in ecclesiis Missam celebrare nequeant, in quocumque loco, decenti tamen et tuto, et etiam sub dio, Sacrum litare posse, remoto quovis irreverentiae periculo: eos vero qui armis dimicant, Missam eodem modo, iisdemque sub conditionibus, celebrare posse, at Dominicis tantum et diebus festis de praecepto, dummodo omnes praedicti sacerdotes nullo alio canonico impedimento irretiti sint. Contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romae, ex Secr. S. C. die 12 febr. 1915.

PHILIPPUS CARD. GIUSTINI, *Praefectus*.

L. ✠ S.

Aloisius Capotosti, Ep. Therm., *Secretarius*.

Acta Academiae Liturgicae Romanae.

Die 27 ianuarii 1915, apud ecclesiam Ss. Trinitatis et S. Apollinaris, Congr. Missionis. habitus est conventus academicus, in quo Rev. Sac. Antonius Tani e Pontif. Seminario Leoniano, quaestionem enodavit :

De repositione festorum, quae perpetuo impediuntur.

Post Censorum animadversiones, R. P. D. PETRUS PIACENZA *epitomen resolutionum fecit, ac postea unus ex Presbyteris Congr. Miss. pium sermonem habuit.*

III.

Gelasius, rector ecclesiae s. Margaritae Virg. et Mart., celebrat eius festum solemniter sua die 20 iulii, et octavam die 27. Hucusque autem celebravit officium s. Hieronymi Aemiliani die 21, et officium s. Pantaleonis, quod est proprium suae dioecesis, die 30 eiusdem mensis iulii, utpote quae officia perpetuo impedita. Nunc autem, ex novis Rubricis, novit quod repositio quoque perpetua non amplius admittitur; nescit vero utrum, non obstante nova Rubricarum dispositione, ipse possit adhuc retinere perpetuam repositionem tum s. Hieronymi Aemiliani, quia habet de eo humerum dextrum, tum s. Pantaleonis, quia est festum suae dioecesis. Quaerit ergo :

1. *Quid sit translatio, vel repositio, vel mutatio festorum, iuxta Rubricas et earum commentatores?*

2. *Quid tradebant Rubricae Breviarii circa translationem vel repositionem festorum, antiquitus sub Ur-*

bano viij, sub Leone xiij, et novissime sub Pio x, et quid hodie agendum sit de officiis perpetuo impeditis?

3. *Utrum Gelasius possit adhuc reponere officia s. Hieronymi et s. Pantaleonis in casu?*

Solutio.

Ad I. Festa quae ab Ecclesia celebrantur per annum, suam sedem fixam habent in diebus mensis, exceptis solemnitatibus Paschatis et aliis, quae ab ea dependent. Antiqui, quum aliquod festum in die mensis adnexum ab aliqua solemnitate nobiliori impediebatur, non transferebant ad aliam diem. Argumentum hac de re sumi potest ex sermone s. Augustini (362), ipse enim verba faciens in ecclesia s. Leontii martyris in die natalitia, quae eo anno in solemnitate Ascensionis acciderat, ait: « Hodiernum diem Ascensionis Christi celebramus, occurrit autem huius ecclesiae alia vernacula solemnitas. Conditoris ecclesiae huius s. Leontii hodie depositio est, sed dignetur obscurari stella a Sole, ergo de Domino potius loquamur »; quod non dixisset, si de s. Leontio alia die celebrandum fuisset festum translatum. Etiam ex Sacramentariis veteribus desumitur quod antiquitus eadem die duo vel tres sancti colebantur, cum distincta missa pro unoquoque, eo quod transferri non consueverant.

Ut tradit Baumer (Hist. Brev. Rom. II, p. 51), qui citat Amalarium (saec. IX), duo officia tunc recitabantur de duobus festis una die occurrentibus, ad Matutinum et ad Laudes; et duae missae pariter celebrabantur, prout postea servatum fuit, quoad missas, quando in feriis maioribus occurrit aliquod festum ix lectionum.

Cum autem fratres Franciscani (qui anno 1265 centum millium numerum superabant) breviarium de Curia romana, sub pontificibus Innocentio iij et Gregorio ix abbreviatum, per orbem divulgarunt, non tantum multa festa ac multas octavas, sed etiam, ut rarius officium feriale diceretur, translationem festorum induxerunt. De qua translatione loquens

Rodulphus Tuncrensis (qui floruit exeunte saeculo xiv) ait: « ex qua observantia eventi, in usu eorum (Franciscanorum) continua perturbatio et magna confusio, propter transpositiones, quas tam de Dominicis quam de octavis faciunt ». Ita ut, de decem locis aut de decem personis eumdem ritum sequentibus, vix duo essent qui in celebratione eiusdem officii concordarent.

In reformatione s. Pii v retenta fuit translatio festorum, et etiam semiduplicia, quando impedita erant, transferebantur, non vero simplicia.

Attamen, cum impedimenta festorum duo esse possint, unum *perpetuum* et aliud *accidentale*, ita habentur translationes *perpetuae* (quae melius vocantur *repositiones*) et *translationes accidentales*. Ut patet ex verbis, repositio fit alicuius festi, quando perpetuo occurrit eadem die cum alio festo in die mensis fixo; ex. gr. die 25 maii occurrunt simul festa s. Gregorii vij et s. Mariae Magd. de Pazzis; in breviario autem habetur festum s. Gregorii vij suo die assignatum, et festum s. Mariae Magdalenae die 27 eiusdem mensis repositum, ita ut dies 27 maii sit, pro dicta sancta virgine, tamquam dies propria, seu quasi natalitia. Cum autem sive ob mutationem diei Dominicae in diebus mensis, sive ob sedem vagantem Solemnitatis Paschatis et Dominicarum ab ea dependentium, quolibet anno multa festa sanctorum impediantur, quominus sua die celebrari possint, tunc datur impedimentum, ut diximus, accidentale, quod producit translationem pariter accidentalem.

Dicitur autem *mutatio* festi, quando Ecclesia novum aliquod festum instituens, non in sua die natalitia assignat, sed alia die. Ex. gr. s. Vincentius a Paulo obiit die 27 septembris, quando autem festum eius institutum fuit, sub ritu semiduplici celebrandum, ne impediretur celebratio festi ss. Cosmae et Damiani eiusdem ritus, die 19 iulii repositum fuit, scilicet, dies sua *mutata* est, et nova sedes dicitur *quasi natalitia*.

De hisce locutionibus vide quae docent Gavantus cum

Merato (Sect. III, x), Cavalerius et maxime Guyet (Heort. IV, 7, 1), qui scribit: « Translatio non est idem ac mutatio, nam licet utraque sit amotio festi a suo die proprio, differunt tamen in eo, quod mutatio est veluti transmigratio, et perpetua alterius sedis occupatio; translatio vero instar est peregrinationis, quae se alio quis sic confert, ut tamen ad sedem propriam illico sit rediturus ».

Ad rem nostram cl. Piacenza (*Praelect. de div. Off.* n. 210) scribit peroptime: « Aliud est *mutatio festi*, alius *assignatio officii*. *Festum* dicitur dies illa ab Ecclesia selecta, ut cultu liturgico memoria recolatur alicuius mysterii Domini vel b. Mariae, vel alicuius Sancti solemniter vel non solemniter... Hoc sensu *festum* apud liturgicos opponitur *feriae*, ita ut habeantur dies *festivi* et dies *feriales*, sicut officium festivum et officium feriale. Hoc sensu ergo distinguitur *festum* alicuius Sancti ab eius *officio*. *Officium* enim dicitur complexus precum liturgicarum, quibus in festis vel feriis celebrandis utitur Ecclesia. Hinc patet non posse nec debere confundi notionem officii et notionem festi; licet ergo aliquando sine periculo ambiguitatis, unum pro alio ab auctoribus sumatur, quandoque tamen omnino distinguenda sunt ad praecavendas aequivocationes.... Igitur quando in unam eamdemque diem plura festa incidunt, alterutrum fieri potest ab Apostolica Sede; aut pro uno ex festis mutatur dies in quo celebratur *festum*, et tunc non solum officium, sed officium et festum perpetuo reponuntur in die mutata; aut relicto *festo* in sua die, reponitur *officium* solummodo illius in alia die persolvendum.... ».

Et alibi (n. 212 in nota): « Ex hoc patet quantum differat *mutatio* festorum, quae ad Apostolica Sede fit in decreto concessionis alicuius festi, et *assignatio* quae ab Episcopis aliquando agitur iuxta rubricas. Illa fit a Romano Pontifice in die quae magis lubet, sive ante sive post diem natalitiam, etiam si haec non impediatur ab alio festo; assignatio vero, quam ordinant Episcopi, fieri debet, non tantum post diem natalitiam, sed et in die vacua seu non impedita ».

Ad II. In rubricis s. Pii v, ea quae circa translationem seu repositionem festorum habentur, servata fuere in recognitionibus Clementis et Urbani viij; imo usque ad annum 1882; scilicet, festa omnia duplicia et semiduplicia cuiusvis classis, si a digniore officio impediebantur, tum perpetuo, tum accidentaliter, reponebantur, vel transferebantur in primam diem liberam ulla sine exceptione.

Quod si, in locis ubi calendarium perpetuum paucas sedes liberas habebat, uti ex. gr. Calendarium Cleri Romani, in mense Decembri nulla sedes manebat pro translatione accidentali alicuius officii, tunc de huiusmodi officio impedito, quod locum translationis non inveniebat, agebatur commemoratio in utrisque vesperis et laudibus (exceptis solemnitatibus Paschatis et Pentecostes), ut declaverat S. R. C. per suum decretum 19 sept. 1750, n. 2410. Item iuxta aliud decretum 2 dec. 1891, n. 3756) festa i et ij classis impedita, si dies liberi pro iis transferendis in decursu anni non suppetebant, transferri poterant in alios dies proximiores, quamvis in his festa semiduplicia aut duplicia occurrerent, quae pro eo anno commemoranda erant.

Leo autem xiij per suum apostolicum breve 28 iul. 1882 *Nullo umquam,* rubricam s. Pii v de translatione aliquantisper immutavit, scilicet, duplicia minora (exceptis doctoribus) et semiduplicia, quando accidentaliter impediebantur, non amplius transferri debebant, sed eorum tantummodo fieri commemoratio, nisi occurrissent in duplicibus i classis. Quoad vero repositionem festorum, Leo xiij reliquit rubricas in suo statu, nempe, etiam semiduplicia et duplicia minora, si perpetuo impedita essent, reponenda erant iuxta rubricas.

Huiusmodi regula sic reducta viguit ab anno 1882 usque ad 1912 (triginta nempe per annos); etenim Pius x, f. r., in suo reformato Breviario, uti notum est, retinuit tantummodo repositionem duplicium i et ij classis, ita tamen ut in sequenti die celebrari debeant, nisi simili festo impedita sit; de duplicibus maioribus vero et minoribus ac de semiduplicibus non amplius agenda est, neque *translatio accidentalis*

neque *repositio*, sed tantummodo commemoratio in omnibus festis etiam duplicibus i classis, exceptis tantum festis primariis Domini universalis ecclesiae.

Igitur de festis perpetuo impeditis hodie non amplius agitur repositio, nisi agatur de festis propriis, quae a festis generalibus maioris nobilitatis impediantur; uti aperte tradunt novissimae rubricae (Tit. V, 1).

Scilicet: « Festa propria alicuius Nationis, Dioecesis, Ordinis, Instituti vel particularis ecclesiae, quae in tota Natione, Dioecesi, Ordine vel Instituto, aut in sua particulari ecclesia respective impediantur, reponuntur in proximiorem sequentem diem liberam iuxta rubricas ». Quia ergo Gelasius, in casu nostro, habet reliquiam insignem s. Hieronymi Aemiliani cuius dies natalis est 20 iulii, cum ea dies impediatur a festo s. Margaritae Titularis suae ecclesiae, de eo non agit commemorationem in huiusmodi festo, sed die 21 sequenti, quae est libera, festum eiusdem s. Hieronymi celebrabit. Ratio huius exceptionis est, quia Pius X abrogavit repositionem perpetuam festorum, universalis ecclesiae, quae alicubi impediuntur a festis propriis, ita ex. gr. Romae, die 19 iulii, fit festum s. Symmachi, cum commemoratione s. Vincentii a Paulo; eo quod, licet in Urbe de sancto isto agatur tantummodo commemoratio, per universum Orbem de eo celebratur festum duplex. Quando vero agitur de sancto aliquo proprio, qui perpetuo impediatur a nobiliori officio, tunc reponitur in aliam diem, alioquin sanctus proprius non amplius officium habere valeret.

Ad III. Distinguendum est; festum s. Hieronymi est proprium pro ecclesia s. Margaritae in casu, in ea enim servatur reliquia insignis eiusdem sancti Confessoris. Cum vero perpetuo impediatur a sancta virgine Titulari, uti antea, sub imperio rubricarum s. Pii v et Leonis xiij, adhuc celebrari debet die 21 iulii uti in die assignata, iuxta citatam novissimam rubricam (tit. V, 1); agitur enim de sancto propriae ecclesiae perpetuo impedito.

Festum autem s. Pantaleonis, quod est festum dioecesis

retineri debet quidem in tota dioecesi, non tamen in ecclesia s. Margaritae in casu; ratio est, quia die 27 iulii Gelasius celebrare debet octavam Titularis s. Margaritae, ideoque impeditur festum praedicti s. Pantaleonis. Antea procul dubio de hoc sancto celebrare debebat officium die 30 mensis, quae erat prima libera in calendario suae ecclesiae, nunc vero quia agitur de sancto totius dioecesis, non vero proprio suae ecclesiae, de eo agenda est tantummodo commemoratio in sua die 27 iulii, iuxta citatam rubricam.

SPECIMEN
KALENDARII ECCLESIÆ UNIVERSALIS
PRO ANNO DOMINI 1916
Paschate occurrente die 23 aprilis

Continuatio — vide pag. 80

MAIUS

† 1. Fer. II. *Rub.* **SS. PHILIPPI ET IACOBI APP.** *dupl. 2. cl.* — In Vesp. com. seq. et S. Athanasii E. C.

2. Fer. III. *Rub.* **S. MARCI EV.** *(f. 25 april.) dupl. 2. cl.* — Lect. 9. S. Athanasii eiusq. com. in L. et M. — Vesp. de seq. com praec. et S. Athanasii.

† 3. Fer. IV. *Rub.* **INVENTIO S. CRUCIS** *dupl. 2. cl.* — Lect. 9. Ss. Alexandri et Soc. Mm. et eor. com. in L. et M. priv. — In Vesp. com. seq.

4. Fer. V. *Alb.* **S. Monicae Vid.** *dupl.* — Vesp. a Cap. de seq. com. praec.

5. Fer. VI. *Alb.* **S. Pii V. P. C.** *dupl.* — Vesp. (*Rub.*) de seq. com. praec. — Compl. de Dom.

6. Sabb. *Rub.* **S. Ioannis ante Portam Latinam** *dupl. mai.* — Vesp. (*Alb.*) de seq. Dom. com. praec. ac S. Stanislai E. M.

✠ 7. **Dom. II. p. Pascha** *Alb.* **De ea** *semid.* — Com. S. Stanislai in L. et M. — Vesp. de Dom. com. seq. et S. Stanislai.

8. Fer. II. *Alb.* **Apparitio S. Michaelis Arch.** *dupl. mai.* — In Vesp. com. seq.

9. Fer. III. *Alb.* **S. Gregorii Nazianzeni E. C. D.** *dupl.* — Vesp. de seq. sine com.

De Ss. Gordiano et Epimacho Mm. hoc anno nihil.

10. Fer. IV. *Alb.* **SOLEMNITAS S. IOSEPHI Sponsi B. M. V. C. et Eccl. Univers. Patroni** *dupl. 1. cum Oct. comm.* — Com. S. Antonini E. C. in L. et M. priv. – In Vesp. nulla com.

11. Fer. V. *Alb.* **De II. die infra Oct. S. Ioseph.** *semid.* — Vesp. de seq. com. oct.
12. Fer. VI. *Rub.* **Ss. Nerei et Soc. Mm.** *semid.* — Com. Oct. in L. et M. — In Vesp. com. Oct.
13. Sabb. *Alb.* **De IV. die infra Oct. S. Ioseph.** *semid.* — Vesp. de seq. Dom. Oct. ac S. Bonifatii M.
✠ 14. **Dom. III. p. Pascha** *Alb.* **De ea** *semid.* — Com. Oct. et et S. Bonifatii in L. et M. — Vesp. de Dom. com. seq. et Oct.
15. Fer. II. *Alb.* **S. Ioannis Baptistae de la Salle C.** *dupl.* — Com. Oct. in L. et M. — In Vesp. com. seq. et Oct.
16. Fer. III. *Alb.* **S. Ubaldi E. C.** *semid.* — Com. Oct. in L. et M. — Vesp. de seq. die Oct. com. praec. et S. Paschalis Baylon C.
17. Fer. IV. *Alb.* **Octava Solemnitatis S. Ioseph** *dupl. mai.* — Lect. 9. S. Paschalis eiusq. com. in L. et M. — In Vesp. com. seq. ac S. Paschalis.
18. Fer. V. *Rub.* **S. Venantii M.** *dupl.* — Vesp. (*Alb.*) a Cap. de seq. com. praec. ac S. Pudentianae V.
19. Fer. VI. *Alb.* **S. Petri Coelestini P. C.** *dupl.* — Lect. 9. S. Pudentianae eiusq. com. in L. et M. — In Vesp. com. seq.
20. Sabb. *Alb.* **S. Bernardini Senen. C.** *semid.* — Vesp. de seq. Dom. com. praec.
✠ 21. **Dom. IV. p. Pascha** *Alb.* **De ea** *semid.* — Vesp. de Dom.
22. Fer. II. *Alb.* **De ea** — Vesp. de fer.
23. Fer. III. *Alb.* **De ea** — Vesp. de fer.
24. Fer. IV. *Alb.* **De ea** — Vesp. de seq. com. S. Urbani I. P. M.
25. Fer. V. *Alb.* **S. Gregorii VII. P. C.** *dupl.* — Lect. 9. S. Urbani eiusq. com. in L. et M. — Vesp. a Cap. de seq. com. praec. ac S. Eleutherii P. M.
26. Fer. VI. *Alb.* **S. Philippi Nerii C.** — Lect. 9. S. Eleutherii eiusq. com. in L. et M. — Vesp. a Cap. de seq. com. praec. ac S. Ioannis I. P. M.
27. Sabb. *Alb.* **S. Bedae Venerabilis C. D.** *dupl.* — Lect. 9. S. Ioannis eiusq. com. in L. et M. — Vesp. de seq. Dom. com. praec. et S. Augustini E. C.
✠ 28. **Dom. V. p. Pascha** *Alb.* **De ea** *semid.* — Com. S. Augustini in L. et M. — Vesp. de Dom. com. seq. ac S. Augustini.

29. Fer. II. **Rogationum** — **Litaniae Minores** — *Alb.* **S. Mariae Magdalenae de Pazzis V.** *semid.* — Lect. 9. Hom. fer. einsq. com. in L. et M. — In Vesp. com. seq.
30. Fer. III. **Rogationum** (de qua nihil in Off.) — **Litaniae Minores** — *Rub.* **S. Felicis I. P. M.** *simpl.* — Com. Rogationum in M. — Vesp. (*Alb.*) de seq. com S. Petronillae V.
31. Fer. IV. **Rogationum** (de qua nihil in Off.) **et Vigilia Ascensionis** — **Litaniae Minores** — *Alb.* **S. Angelae Mericiae V.** *dupl.* — Lect. 9. Hom. Vigil. com. Vigil. ac S. Petronillae in L. — Com. Vigil. S. Petronillae et Rogationum in M. — — Vesp. de seq. sine com.

IUNIUS

✠ 1. Fer. V. *Alb.* **ASCENSIO D. N. I. C.** *dupl. 1. cl. cum Oct. privil. 3. Ord.* — In Vesp. nulla com.
2. Fer. VI. **Infra Oct.** *Alb. semid.* — Lect. 9. Ss. Marcellini, Petri atque Erasmi Mm. et eorum com. in L. et M. — Vesp. de Oct.
3. Sabb. **Infra Oct.** *Alb. semid.* — Vesp. de seq. Dom. com. Oct. ac S. Francisci Caracciolo C.
✠ 4. **Dom. Infra Oct.** *Alb.* **De ea.** *semid.* —Com. S. Francisci Caracciolo et Oct. in L. et M. — Vesp. de Dom. com. S. Francisci Caracciolo et Oct.
5. Fer. II. *Rub.* **S. Bonifatii E. M.** *dupl.* — Com. Oct. in L. et M. — Vesp. (*Alb.*) a Cap. de seq. com. praec. et Oct.
6. Fer. III. *Alb.* **S. Norberti E. C.** *dupl.* — Com. Oct. in L. et M. — In Vesp. com. Oct.
7. Fer. IV. **Infra Oct.** *Alb. semid.* — Vesp. de seq. die Oct. sine com.
8. Fer. V. *Alb.* **Octava Ascensionis** *dupl. mai.* — In Vesp. com. Ss. Primi et Feliciani Mm.
9. Fer. VI. *Alb.* **De ea** *semid.* — Lect. 9. Ss. Mm. et eorum com. in L. et M. — Vesp. de eadem fer. com. S. Margaritae Reg. Vid.
10. Sabb. **VIGILIA PENTECOSTES** *1. cl. Alb. in Off, Viol. ad Prophet. Rub. in Miss.* — **De ea** *semid.* — Com. S. Margaritae in L. — Vesp. (*Rub.*) de seq. sine com.

De S. Barnaba Ap. hoc anno nihil.

✠ 11. **Dom. PENTECOSTES** *Rub. dupl. 1. cl. cum Oct. privil. 1. ord.* — Vesp. sine com.

De S. Ioanne a S. Facundo C.
et de Ss. Basilide et Soc. Mm. hoc anno nihil.

† 12. Fer. II. **PENTECOSTES** *Rub. dupl. 1. cl.* — Vesp. sine com.

De S. Antonio de Padua C. hoc anno nihil.

† 13. Fer. III. **PENTECOSTES** *Rub. dupl. 1. cl.* — In Vesp. com. S. Basilii E. C. D.

14. Fer. IV. **Quatuor Temporum infra Oct.** *Rub. semid.* — Com. S. Basilii in L. et M. — In Vesp. com. S. Basilii ac Ss. Viti et Soc. Mm.

15. Fer. V. **infra Oct.** *Rub. semid.* — Com. S. Mm. in L. et Mm. — Vesp. sine com.

16. Fer. VI. **Quatuor Temporum infra Oct.** *Rub. semid.* — Vesp. sine com.

17. Sabb. **Quatuor Temporum infra Oct.** *Rub. semid.* — Vesp. (*Alb.*) de seq. com. Dom.

De Ss. Marco et Marcelliano Mm. hoc anno nihil.

✠ 18. **Dom. I. p. Pent.** *Alb.* **SS. TRINITATIS** *dupl. 1. cl.* — Off. pr. — Lect. 9. Hom. Dom. eiusq. com. in L. et M. — In Vesp. com. seq. et Dom.

19. Fer. II. *Alb.* **S. Iulianae de Falconeriis V.** *dupl.* — Lect. 9. Ss. Gervasii et Protasii Mm. et eorum com. in L. et M. — In Vesp. com. seq.

20. Fer. III. *Rub.* **S. Silverii P. M.** *simpl.* — Vesp. (*Alb.*) de seq. sine com.

21. Fer. IV. *Alb.* **S. Aloisii Gonzagae C.** *dupl.* — Vesp. (*Alb.*) de seq. sine com.

De S. Paulino E. C. hoc anno nihil.

† 22. Fer. V. *Alb.* **SS. CORPORIS D. N. I. C.** *dupl. 1. cl. cum Oct. privil. 2. cl.* — In Vesp. nulla com.

23. Fer. VI. **infra Oct. et Vigilia Nativ. S. Ioannis Bapt.** *Alb. semid.* — Lect. 9. Hom. Vigil. eiusq. com. in L. et M. — Vesp. de seq. com. Oct.

† 24. Sabb. *Alb.* **NATIVITAS S. IOANNIS BAPTISTAE** *dupl. 1. cl. cum Oct. comm.* — Com. Oct. Corp. Chr. in L. et M. — In Vesp. com. seq. Dom. Oct. Corp. Chr. et. S. Gulielmi Abb.

✠ 25. **Dom. II. p. Pent. et infra Oct. Corp. Chr.** *Alb.* **De ea** *semid.* — Com. Oct. Corp. Chr. S. Gulielmi et Oct. S. Ioannis in L. et M. — Vesp. de Dom. com. seq. diei infra Oct. Corp. Chr. Ss. Ioannis et Pauli Mm. S. Gulielmi et Oct. S. Ioannis.

26. Fer. II. **Infra Oct. Corp. Chr.** *Alb. semid.* — Com. Ss. Mm. et Oct. S. Ioannis in L. et M. — Vesp. de Oct. Corp. Chr. com. Ss. Mm. et Oct. S. Ioannis.

27. Fer. III. **Infra Oct. Corp. Chr.** *Alb. semid.* — Com. Oct. S. Ioannis in L. et M. — Vesp. de Oct. Corp. Chr. com. S. Leonis II. P. C. et Oct. S. Ioannis.

28. Fer. IV. **Infra Oct. Corp. Chr. et Vigilia Ss. Petri et Pauli App.** *Alb. semid.* — Lect. 9. Hom. Vigil. — Com. S. Leonis Oct. S. Ioannis et Vigiliae in L. et M. — Vesp. (*Rub.*) de seq. com. Oct. Corp. Chr.

✠ 29. Fer. V. *Rub.* **SS. PETRI ET PAULI APP.** *dupl. 1. cl. cum Oct. comm.* — Com. Oct. Corp. Chr. in L. et M. — In Vesp. com. seq. omissa com. Oct. Corp. Chr.

30. Fer. VI. *Alb* **SS. CORDIS IESU** *dupl. 1. cl.* — Com. S. Pauli Ap. in L. et M. priv. — In Vesp. com. diei Oct. S. Ioannis.

IULIUS

1. Sabb. *Rub.* **Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C.** *dupl. 2. cl.* — Com. Oct. S. Ioannis in L. et M. — Vesp. (*Alb.*) de seq. com. praec. Dom. et Oct. S. Ioannis.

✠ 2. **Dom. III. p. Pent.** *Alb.* **VISITATIO B. M. V.** *dupl. 2. cl.* — Lect. 9. Hom. Dom. — Com. Dom. in L. et M. ac Ss. Processi et Martiniani Mm. in L. et M. priv. — In Vesp. com. Dom. .

3. Fer. II. *Rub.* **De V. die infra Oct. Ss. Petri et Pauli App.** *semid.* — Vesp. de Oct. sine com.

4. Fer. III. *Rub.* **De VI. die infra Oct. Ss. Petri et Pauli App.** *semid.* — Vesp. (*Alb.*) de seq. com. Oct.

5. Fer. IV. *Alb.* **S. Antonii Mariae Zaccaria C.** *dupl.* — Com. Oct. in L. et M. — Vesp. (*Rub.*) de seq. com. praec.

6. Fer. V. *Rub.* **Octava Ss. Petri et Pauli App.** *dupl. mai.* — In Vesp. com. seq.

7. Fer. VI. *Alb.* **Ss. Cyrilli et Methodii Epp. Cc.** *dupl.* — In Vesp. com. seq.

8. Sabb. *Alb.* **S. Elisabeth Reg. Vid.** *semid.* — Vesp. (*Vir.*) de seq. Dom. com. praec.

✠ 9. **Dom. IV. p. Pent.** *Vir.* **De ea** *semid.* — Vesp. de Dom. com. seq.

10. Fer. II. *Rub.* **Ss. Septem Fratrum et Soc. Mm.** *semid.* — In Vesp. com. seq.

11. Fer. III. *Rub.* **S. Pii I. P. M.** *simpl.* — Vesp. (*Alb.*) de seq. com. Ss. Naboris et Felicis Mm.

12. Fer. IV. *Alb.* **S. Ioannis Gualberti Abb.** *dupl.* — Com. Ss. Mm. in L. et M. — In Vesp. com. seq.

13. Fer. V. *Rub.* **S. Anacleti P. M.** *semid.* — Vesp. (*Alb.*) de seq. com. praec.

14. Fer. VI. *Alb.* **S. Bonaventurae E. C. D.** *dupl.* — In Vesp. com. seq.

15. Sabb. *Alb.* **S. Henrici Imp. C.** *semid.* — Vesp. (*Vir.*) de seq. Dom. com. praec. et B. M. V. de Monte Carmelo.

✠ 16. **Dom. V. p. Pent.** *Vir.* **De ea** *semid.* — Com. B. M. V. de Monte Carmelo in L. et M. — Vesp. de Dom. com seq. et B. M. V. de Monte Carmelo.

17. Fer. II. *Alb.* **S. Alexii C.** *semid.* — Vesp. de seq. com. praec. ac Ss. Symphorosae et Filiorum Mm.

18. Fer. III. *Alb.* **S. Camilli de Lellis C.** *dupl.* — Lect. 9. Ss. Mm. et eorum com. in L. et M. — Vesp. a Cap. de seq. com. praec.

19. Fer. IV. *Alb.* **S. Vincentii a Paulo C.** *dupl.* — Vesp. a cap. de seq. com. praec. ac S. Margaritae V. M.

20. Fer. V. *Alb.* **S. Hieronymi Aemiliani C.** *dupl.* — Com. S. Margaritae in L. et M. — In Vesp. com. seq.

21. Fer. VI. *Alb.* **S. Praxedis V.** *simpl.* — Vesq. de seq. sine com.

22. Sabb. *Alb.* **S. Mariae Magdalenae Poenit.** *dupl.* — Vesp. (*Vir.*) de seq. Dom. com. praec. S. Apollinaris E. M. ac S. Liborii E. C.

✠ 23. **Dom. VI. p. Pent.** *Vir.* **De ea** *semid.* — Com. S. Apollinaris ac S. Liborii in L. et M. — Vesp. de Dom. com. S. Apollinaris ac S. Christinae V. M.

24. Fer. II. **Vigilia S. Iacobi Ap.** *Viol.* **De ea** — Com. S. Christinae in L. et M. — Vesp. (*Rub.*) de seq. sine com.

† 25. Fer. III. *Rub.* **S. IACOBI AP.** *dupl. 2. cl.* — Com. S. Christophori M. in L. et M. priv. — In Vesp. com. seq.

† 26. Fer. IV. *Alb.* **S. ANNAE Matris B. M. V.** *dupl. 2. cl.* — In Vesp. nulla com.

27. Fer. V. *Rub.* **S. Pantaleonis M.** *simpl.* — Vesp. de seq.
28. Fer. VI. *Rub.* **SS. Nazarii et Celsi Mm. Victoris I. P. M. ac Innocentii I. P. C.** *semid.* — Vesp. (*Alb.*) a Cap. de seq. com. praec. et SS. Felicis et Soc. Mm.
29. Sabb. *Alb.* **S. Marthae V.** *semid.* — Com. Ss. Mm. in L. et M. — Vesp. (*Vir.*) de seq. Dom. com. praec. et Ss. Abdon et Sennen Mm.

✠ 30. **Dom. VII. p. Pent. I Aug.** *Vir.* **De ea** *semid.* — Com. Ss. Mm. in L. et M. — Vesp. de Dom. com. seq.

31. Fer. II. *Alb.* **S. Ignatii C.** *dupl.* — Vesp. de seq. com. S. Pauli Ap. praec. ac Ss. Machabaeorum Mm.

AUGUSTUS

1. Fer. III. *Alb.* **S. Petri ad Vincula** *dupl. mai.* — Lect. 9. Ss. Mm. — Com. S. Pauli ac Ss. Mm. in L. et M. — In Vesp. com. S. Pauli seq. ac S. Stephani I. P. M.
2. Fer. IV. *Alb.* **S. Alphonsi Mariae de Ligorio E. C. D.** *dupl.* — Lect. 9. S. Stephani eiusque com. in L. et M. — In Vesp. com. seq.
3. Fer. V. *Rub.* **Inventio S. Stephani Protom.** *semid.* — Vesp. (*Alb.*) de seq.
4. Fer. VI. *Alb.* **S. Dominici C.** *dupl. mai.* — Vesp. de seq. com. praec.
5. Sabb. *Alb.* **Dedicatio S. Mariae ad Nives** *dupl. mai.* — Vesp. de seq. com. praec. et Dom.

✠ 6. **Dom. VIII. p. Pent. II. Aug.** *Alb.* **TRANSFIGURATIO D. N. I. C. Titul. Basil. Lateran. quae Omn. Ecclesiar. Urbis et Orbis est Mater et Caput** *dupl. 2. cl.* — Lect. 9. Hom. Dom. — Com. Dom. in L. et M. ac Ss. Xysti et Soc. Mm. in L. et M. priv. — In Vesp. com. seq. Dom. et S. Donati Ep. M.

7. Fer. II. *Alb* **S. Caietani C.** *dupl.* — Lect. 9. S. Donati eiusque com. in L. et M. — In Vesp. com. seq.
8. Fer. III. *Rub.* **Ss. Cyriaci, Largi et Smaragdi Mm.** *semid.* — In Vesp. com. S. Romani M.
9. Fer. IV. **Vigilia S. Laurentii M.** *Viol.* **De ea** — Com. S. Romani, in L. et M. — Vesp. (*Rub.*) de seq. sine com.

† 10. Fer. V. *Rub.* **S. LAURENTII M.** *dupl. 2. cl. cum Oct. simpl.* — In Vesp. nulla com.

11. Fer. VI. *Rub.* **Ss. Tiburtii et Susannae Mm.** *simpl.* — Vesp. (*Alb.*) de seq. sine com.

12. Sabb. *Alb.* **S. Clarae V.** *dupl.* — Vesp. (*Vir.*) de seq. Dom. com. praec. ac Ss. Hippolyti et Cassiani Mm.

✠ 13. **Dom. IX. p. Pent. III. Aug.** *Vir.* **De ea** *semid.* — Com. Ss. Mm. in L. et M. — Vesp. de Dom. com. S. Eusebii Conf.

14. Fer. II. **Vigilia Assumptionis B. M. V.** *Viol.* **De ea.** — Com. S. Eusebii in L. et M. — Vesp. (*Alb.*) de seq. sine com.

✠ 15. Fer. III. *Alb.* **ASSUMPTIO B. M. V.** *dupl. 1. cl. cum Oct. comm.* — In Vesp. com. seq.

16. Fer. IV. *Alb.* **S. IOACHIM Patris B. M. V.** *dupl. 2. cl.* — In Vesp. com. seq.

17. Fer. V. *Rub.* **S. Hyacinthi C.** *dupl.* — Com. Oct. Assumpt. ac diei Oct. S. Laurentii in L. et M. — In Vesp. com. Oct. Assumpt. ac S. Agapiti M.

18. Fer. VI. *Alb.* **De IV. die infra Oct. Assumpt.** *semid.* — Lect. 9. S. Agapiti eiusque com. in L. et M. — Vesp. de Oct. sine com.

19. Sabb. *Alb.* **De V. die infra Oct. Assumpt.** *semid.* — Vesp. (*Vir.*) de seq. Dom. com. Oct. ac S. Bernardi C. D.

✠ 20. **Dom. X. p. Pent. IV. Aug.** *Vir.* **De ea** *semid.* — Com. S. Bernardi et Oct. in L. et M. — Vesp. de Dom. com. seq. S. Bernardi et Oct.

21. Fer. II. *Alb.* **S. Ioannae Franciscae Fremiot de Chantal Vid.** *dupl.* — Com. Oct. in L. et M. — Vesp. de seq. die Oct. com. praec. ac Ss. Timothei et Soc. Mm.

22. Fer. III. *Alb.* **Octava Assumpt. B. M. V.** *dupl. mai.* — Lect. 9. Ss. Mm. et eorum com. in L. et M. — Vesp. de Oct. com. seq.

23. Feria IV. **Vigilia S. Bartholomaei Ap.** *Alb.* **S. Philippi Benitii C.** *dupl* — Lect. 9. Hom. Vigil. eiusque com. in L. et M. — Vesp. (*Rub.*) de seq. com. praec.

† 24. Fer. V. *Rub.* **S. BARTHOLOMAEI AP.** *dupl. 2. cl.* — In Vesp. com. seq.

25. Fer. VI. *Alb.* **S. Ludovici Reg. C.** *semid.* — In Vesp. com. seq. et S. Zephirini P. M.

26. Sabb. *Alb.* **De S. Maria in Sabbato** *simpl.* — Com. S. Zephirini in L. et M. — Vesp. (*Vir.*) de seq. Dom. com. S. Iosephi Calasanctii C.

✠ 27. **Dom. XI. p. Pent. V. Aug.** *Vir.* **De ea** *semid.* — Com. S. Iosephi Calasanctii in L. et M. — Vesp. de Dom. com. seq. S. Iosephi Calasanctii et S. Hermetis M.

28. Fer. II. *Alb.* **S. Augustini Ep. C. D.** *dupl.* — Com. S. Hermetis in L. et M. — Vesp. (*Rub.*) de seq. com. praec. ac S. Sabinae M.

29. Fer. III. **Decollatio S. Ioannis Baptistae** *dupl. mai.* — Lect. 9. S. Sabinae eiusque com. in L. et M. — In Vesp. com. seq. ac S. Felicis et Adaucti Mm.

30. Fer. IV. *Alb.* **S. Rosae Limanae V.** — *dupl.* — Lect. 9. Ss. Mm. et eorum com. in L. et M. — Vesp. a Cap. de seq. com. praec.

31. Fer. V. *Alb.* **S. Raymundi Nonnati C.** *dupl.* — In Vesp. com. seq. et Ss. Duodecim Fratrum Mm.

(Continuabitur).

Archaeologia Liturgica.

De osculo pedum Romani Pontificis.

(Continuatio. Vide num. 1 curr. anni, pagg. 36-42).

III. Quomodo autem honor Christo exhibitus, possit etiam laudabiliter homini tribui et *adoratio* appellari, accuratioribus verbis dici nequit, quam illis, quibus S. Thomas usus est in declarando quid importet *Adoratio*. Scribit itaque Angelicus Doctor: « Deo debetur reverentia propter ipsius excellentiam, quae aliquibus creaturis communicatur, non secundum aequalitatem, sed secundum quamdam participationem et ideo alia veneratione veneramur Deum, quod pertinet ad latriam, et alia veneratione quasdam excellentes creaturas, quod pertinet ad duliam » (1).

Interim tamen animadvertimus quod:

1° Veneratio, quae Summo Pontifici, Episcopis et Sacerdotibus laudabiliter in Ecclesia exhibetur, non potest vocari simpliciter *dulia;* appellatione enim duliae, modo ille designatur cultus, qui creaturis defertur ob excellentiam supernaturalem in ordine sanctificationis et coniunctionis cum Deo ad distinctionem a cultu *latriae* (2).

---

(1) S. Thomas 2, 2. q. 84, a. 1.

(2) HURTER, *Comp. Theol. Dogm.*, Oeniponte, 1908, T. III, n. 727; pag. 693. Quidam tamen optimae notae Theologi, cum cl.mo Billot docent: « Ad significandum honorem, qui debetur alicui ratione excellentiae, dominii, praelationis, vel cuiuscumque praeminentiae, impositum est nomen *duliae*..... Cum autem huiusmodi excellentiae ratio non sit eadem in diversis, puta in Deo, in Sanctis, in praelatis, in patre, in rege, in magistro et sic de aliis, ideo plurimae sunt species *duliae* » etc. BILLOT, *De Verbo Incarnato*, Quaest. XXV-XXVI. Romae 1904 pag. 340, 341. — Ballerini iam scripserat: « Reverentia, quae praestatur parentibus, regi, Sacerdoti, Pontifici, *dulia* quaedam est » Bal-

2° Veneratio seu cultus, qui Ecclesiae ministris exhibetur ob excellentiam dignitatis et characteris supernaturalis, vocatur *cultus sacer* ad distinctionem et in oppositione ad *cultum civilem,* qui ob naturalem tantum excellentiam vel praeminentiam exhibetur.

3° Vox *adorationis* indeterminata est, quae potest significare cultum latriae, cultum duliae, cultum sacrum, immo et cultum civilem, uti pluribus in locis Sacrae Scripturae hunc sensum habere vidimus: potiori ratione ad cultum sacrum significandum adhiberi potuit et vulgo aliquando adhibetur. Ergo ex subiecta materia vel ex contextu sermonis videndum est, quo sensu accipienda sit vox *adoratio.* Ita cl.mus Theologus Chr. Pesch (1).

Hisce praepositis, iterum Angelicum Doctorem audire oportet, qui ita *adorationis* conceptum praeclare exponere pergit: « Secundum reverentiam ergo, quae creaturae excellenti debetur, Nathan adoravit David, secundum autem reverentiam, quae debetur Deo, Mardochaeus noluit adorare Aman, timens ne honorem Dei transferret ad hominem, ut dicitur Esther III et XIII; et similiter, secundum reverentiam debitam creaturae excellenti, Abraham adoravit Angelos, et etiam Iosue, ut legitur Iosue V: quamvis possit intelligi quod adoraverit adoratione latriae Deum, qui in persona Angeli apparebat et loquebatur. Secundum autem reverentiam, quae debetur Deo, prohibitus est Ioannes Angelum adorare, Apoc. ult., tum ad ostendendum dignitatem hominis, quam adeptus est per Christum ut Angelis aequetur; unde ibi subditur: *Conservus tuus sum et fratrum tuorum*, tum etiam ad excludendum idololatriae occasionem unde subditur: *Deum adora* » (2).

---

lerini-Palmieri *Opus Thologicum Morale* etc. *De primo Decalogi praecepto,* Prati 1892, Tom. II, pag. 218. — His non obstantibus, communi usu ad cultum Sanctis debitum dumtaxat indicandum *duliae* verbum modo adhibetur.

(1) PESCH S. I., *Comp. Theol. Dogm.*, Friburgi Brisgoviae 1913, T. III, n. 184, pag. 109.

(2) S. THOMAS, 2, 2, 2, 84, A. 1.

Ipsa verba ab exordio relata, quibus reverentia Summo Pontifici exhibenda praescribitur, terminum etiam enuntiant ad quem ea reverentia ordinatur, excellentiam innuunt, ob quam ea debetur, nempe facienda dicitur: *in honorem Salvatoris nostri Iesu Christi*, ob rationem, quia *eius vices in terris gerit*.

De hac igitur reverentia optime scripsit I. Baptista Casalius: « Honor quem deferunt Catholici Summo Pontifici non remanet, nec consistit in illo, sed ulterius usque ad Christum Iesum progreditur: non homini absolute, sed relative ad Deum: non membris sed capiti: non personae individuae, sed dignitati, nec isti temporali, sed spirituali relate ad eum, ante quem Magdalena et aliae Mariae apud Matthaeum 28: *Accesserunt et tenuerunt pedes eius et adoraverunt eum* » (1).

Ex his clare intelligitur, cur adhibeatur verbum *adorationis*, quando fit mentio de reverentia seu de obedientia, quae Summo Pontifici in eius creatione a Sacro Cardinalium Collegio tribus distinctis vicibus exhibetur. Unde recenter quoque cl. F. Cappello de hoc scripsit: « Eiusmodi obedientia passim ab Auctoribus nuncupari solet, vi etymologica inspecta, *Adoratio*; et merito quidem. Perperam autem protestantes exinde calumnias et dicteria in catholicam fidem iniiciunt » (2).

Quidam tamen putant verbum *Adoratio* amodum improprium et periculosum esse, ideoque ab eius usu cavendum quandocumque de honore creaturis exhibendo agitur, licet hae sint Sancti in coelis et etiam ipsa B. Virgo Maria. Potiori ratione, dicunt, ab eo cavendum in exprimendo honore homini debito. Sed quamcumque huiusmodi generis dubitationem depellit frequens usus in Scripturis et in Patribus occurrens ad honores et reverentias quascumque indicandas.

---

(1) CASALI, *De veter. sacr. Christ. Ritibus* cap. LXXXI. Francofurti et Annoverae 1681, pag. 408.

(2) F. CAPPELLO *De Curia Romana*, Romae 1912, Tom. II, *Sede vacante*, pag. 581.

Quae paulo ante adduximus, potissimum ex S. Thoma, dubia penitus tollunt.

Dubitatio insuper ex falso supposito procedit, nempe quod verbum *Adoratio*, verbo *latriae* aequivaleat. Praeterquam quod Sacrae Scripturae et Patrum usus contradicit, communis Theologorum doctrina est, duplicem distingui adorationem; alteram quae *latriae*, et alteram quae *duliae* nomen accipit. Utriusque conceptus ita praeclare a cl.mo Pesch exponitur: « *Adoratio est diversa pro diversitate excellentiae, quae est eius terminus formalis.....* Haec autem est duplex: aut enim versatur circa increatam excellentiam et vocatur *latria*, aut versatur circa creatam excellentiam supernaturalem, quae est in angelis et sanctis in coelis et vocatur *dulia* » (1). Et nos addimus: vel versatur circa excellentiam supernaturalem hominibus in terris participatam, qua supra ceteros quamdam praeminentiam obtinent et vocatur *cultus sacer*, uti superius cum Hurter innuimus.

Non dissimiliter haec omnia a cl.mo Billot exponuntur: « In obiecto cui (seu in persona cui exhibetur adoratio) distinguitur aliquid ut *materiale* et aliquid ut *formale*. *Materiale* est persona ipsa ad quam dirigitur honor. *Formale* est ratio, quae hanc personam cultu dignam efficit, scilicet aliqua eius excellentia causans et determinans rationem et modum cultus ut debiti. Sequitur ergo, infert idem cl.mus Theologus, tot esse adorationis species quot sunt excellentiae diversae, super quas honorificationis debitum fundatur. Porro potissima divisio est in adorationem *duliae* et adorationem *latriae*. Et *latria* quidem non est nisi una, sed *dulia* est aliquid genericum; quin imo in sua generalissima acceptione analogatur ad Deum et ad creaturas » (2).

---

(1) PESCH: *De Verbo Incarnato*, n. 191, Friburgi Brisgoviae 1909 p. 111.

(2) BILLOT: *De Verbo Incarnato*, Quaestio XXV-XXI, Romae 1904, pag. 340. Hoc idem, vel fere idem, videri potest apud Theologos quoscumque ubi *adorationis* conceptum explanant eiusque divisiones tradunt.

Ex quibus omnibus plane sequitur verbum *Adoratio* nullo modo verbo *latriae* aequivalere. Sequitur etiam tuto adhiberi, et usque modo congruenter adhibitum fuisse, ad honorem, venerationem ac obsequium significandum, quo Catholici divinam Summi Pontificis dignitatem recognoscunt ac reverentur.

Nulla igitur in hoc adhibendo obsequio exaggeratio, nulla in verbo *Adorationis* improprietas dictionis, aut incongruentia.

Hisce veluti praeliminaribus positis notionibus, ad historicam huius obsequii evolutionem enarrandam accedimus.

(Continuabitur).

Fr. IOSEPHUS ANT. O. M. Cap.

Quaestiones Liturgicae.

De Missa pro defunctis non celebranda nisi pro ipsis applicatur.

Pluries in nostris *Ephemerid. Liturg.* propugnavimus doctrinam, quae tenet, non posse sacerdotes celebrare missam pro defunctis, nisi quando applicant sacrificium pro ipsis. Ratio potissima huius sententiae desumitur, ex gravi lege, quae praescribit: *Missa cum officio concordare debet.*

Diebus quidem inferioris ritus, ut omnes norunt, permittit Ecclesia, ut, servata lege praedicta inviolabiliter pro missa Conventuali (et aliquando etiam parochiali), missae privatae celebrari valeant pro defunctis, vel votivae, seu non concordantes cum officio; ponit tamen conditionem aequam et rationabilissimam, *id tamen passim non fiat, et nisi rationabili de causa.* Voluntas scilicet Ecclesiae ea est, ut missa, quae pars mobilior officii diei esse censetur, semper per se cum officio ipso concordet, ideoque, permissio de qua loquimur, si ex una parte pietatem Ecclesiae demonstrat erga animas piacularibus flammis addictas, ex alia non agi nisi de exceptione insinuat.

Ut ergo sacerdos missam de die relinquat, et celebret missam pro defunctis, non sufficit quod ei libertatem tribuat rubrica missalis, et dispositio Calendarii annualis, sed oportet, pro utenda facultate, *ut habeat sufficientem rationem;* atque, sacerdos sciens quod missa, quam celebrat, applicari debeat pro vivis, deficit *ratio sufficiens* pro ea celebranda in nigris.

Scimus quod multis in eeclesiis, praesertim Regularium, sacerdotes nesciunt pro quibus missam applicare debeant, applicant enim ad mentem sui Superioris: attamen huius-

modi regula, si est commoda, non in omnibus tamen est conformis legibus pro celebrandis missis, traditis in Edictis Eminentissimi Cardinalis Vicarii in alma Urbe a Cavalerio relatis (Tom. V, pag. 84 et 86).

In edictio enim diei 1 oct. anni 1704, legimus: « Praescribitur quod sacerdos celebraturus, cum ad sacristiam pervenerit, videat librum missarum, et recognoscat particulam celebrationis a se faciendae, in qua signum celebrationis ipsius, per verbum *celebravi*, scribere debebit; ibique apponat nomen suum et cognomen. Postquam autem celebraverit, addat ad nomen, verbum *celebravi* ».

In alio edictio diei 25 ian. 1708, clarius disponitur: « Omnes cappellani, sacerdotes, canonicis, abbates, beneficiati, et alii cuiuslibet status, gradus, conditionis, etiam privilegiati et privilegiatissimi, quorum specialis mentio fieri debeat, tam seculares quam regulares cuiusvis Ordinis et Instituti, comprehensis undecim congregationibus, et Patribus Societatis Iesu; cuiuscunque monasterii, conventus, hospitii, oratorii, ecclesiae vel alius loci pii huius Almae Urbis Romae, qui onus habent celebrandi missas in determinato Altare, deinceps celebrare debeant in eodem, et non in alio Altare, etsi similiter vel magis privilegiato; ut autem constet de oneris adimplemento, supradicti sacerdotes, qui celebraverint, propria manu adnotabunt ipsam celebrationem in libro, qui ad hoc adservatur in sacristia hoc modo; *Ego N. N. celebravi ad al Altare S.......* Aliter ipso facto incurrent in poenam decem scutatorum aureorum, si missae ad proprium Altare non fuerint celebratae, **aut non notatae in forma supradicta** ».

Eodem sensu, nisi iisdem verbis, loquuntur statuta dioecesana plurima, in quibus districte praecipitur quod sacerdotes celebrantes habeant librum in quo signent quotidianam applicationem, maxime in satisfactione Legatorum ex Fundatione.

Scimus quod 90 supra 100, missae fundatae Legatorum quae adimplentur in ecclesiis, sunt pro anima fundatorum,

et ex hoc capite, tuta conscientia sacerdotes Regulares bene possunt celebrare ad mentem sui Superioris, si agatur de adimplendis legatis, et idcirco missam celebrare pro defunctis, quando ritus diei permittit; sed in casu quo aliquis novit intentionem esse pro vivis, profecto missam defunctorum celebrare non debet.

Quod si agatur, non de missis fundatis, sed de missis manualibus, praesertim in Sanctuariis oblatis, tunc, ut plurimum, sunt vel in honorem Titularis Sanctuarii ipsius, vel pro gratiis obtinendis a vivis. Qui ergo applicat missam eiusmodi, nisi sciat explicite, quod sit applicanda pro defunctis, eam in nigris celebrare non valet.

Esto quod doctores moralistae doceant quod missa vivis vâlide applicatur, licet celebretur in nigris: quia nos non agimus hic de *validitate* applicationis sacrificii, sed de *liceitate* negligendi missam de die, ut celebretur in nigris.

Valde gaudemus quod scriptores Ephemeridis quae vocatur *Il Monitore Ecclesiastico* (Num. Martii 1915) eamdem doctrinam defendunt, et summopere esset optandum ut Sancta Sedes hac de re declararet mentem suam, eo quod in ultima medietate saeculi transacti, usus invaluit in ecclesiis, etiam magis regularibus, quod diebus a rubrica permissis in sacristia non parantur nisi planetae nigri coloris: quod, ut nobis testabatur cl. Mancini harum Ephemer. Litur. fundator, antea numquam fiebat, sed casulae erant in colore diei. Optandum est etiam ut prodeat huiusmodi declaratio, eo quod etiam viri, alioquin docti et pii, ex usu praedicto supponunt quod sufficiat licentia data a rubrica Missalis, celebrandi missam pro defunctis quibusdam diebus, ut quisque pro lubito ea libertate uti valeat, absque ulla obligatione animadvertendi utrum pro defunctis applicetur Missa vel non. Utinam prodeat!

P. P

Consultationes.

De reverentia praestanda Cruci Altaris a Celebrante, tum in accessu ad Altare, tum in recessu ab eo.

(Continuatio - Vide pag. 108)

2° In praesenti examinemus, quid clarissimus Rubricista, Caietanus Maria Meratus, circa hoc punctum nos docet. Si huius auctoris doctrinam bene inspicimus, dicere debemus ipsum pariter tenere, uti Gavantum, quod iuxta Rubricas Missalis nulla differentia existat inter reverentiam praestandam Cruci Altaris a celebrante, tum in accessu ad Altare, tum in recessu ab eo, tum in transitu ante illud.

Et revera laudatus auctor in suis *Novis observationibus et additionibus in Gavant.* (tom. I, Part. II, Tit. II, n. 1), loquens de variis inclinationibus, sequentia dicit: « II... Caeterum cum impraesentiarum de reverentia, seu inclinatione mentio facta sit; sciendum est, inclinationes ab anctoribus peritioribus ad tres reduci classes, quae dicuntur *profunda, media* et *infima* ».

« Inclinatio *profunda* fit capitis atque humerorum profunda incurvatione; et bene describitur in Caeremoniali PP. Discalceatorum B. V. Mariae de Monte Carmelo (Part. I, § 3), ubi dicitur, quod profunda inclinatio, seu integra, est cum stando, ita deorsum flectitur caput et corpus, ut in modum Crucis manus ambae dispositae utrumque genu facile contingant. Hanc profundam inclinatione facit Sacerdos, quoties in Rubricis praescribitur profunde esse inclinandum, veluti... dum dicit *Confiteor* etc., *Munda cor* etc.... » (1).

(1) Haec inclinatio vocatur a recentioribus Rubricistis *profunda corporis*.

« Inclinatio *media* dicitur illa, quae fit capitis, et modica humerorum inclinatione. Haec inclinatio media fit, quoties in Rubricis absolute aliquantulum esse inclinandum praescribitur, velut ad Vers. *Deus, tu conversus* etc. usque ad *Aufer a nobis* exclusive, cum dicit *Oramus te, Domine* etc... » (1).

« Inclinatio *infima* est illa, quae fit sola capitis inclinatione. Haec inclinatio infima, nempe solius capitis, subdividitur ab aliquibus in tres alias classes, quarum prima vocatur *minimarum maxima,* secunda *minimarum media,* tertia *minimarum minima.* — Primam *minimarum,* seu simplicium reverentiarum *maxima* consistit in capitis profunda inclinatione, quae trahit secum modicam etiam humerorum inclinationem (2). — Secunda, nempe *minimarum media* comprehendit notabilem solius capitis inclinationem. — Tertia, seu *minimarum minima* absolvitur levi capitis inclinatione. — *Prima* ex dictis inclinationibus sibi vindicat nomen *Iesu,* transitus ante Crucem Altaris, *accessus ad eam, et recessus ab ea* (3), prolatio plurium verborum, in quibus proferendis praescribitur a Rubricis inclinandum esse caput, ut ad *Gloria Patri et Filio* et cum sub Hymno *Gloria in excelsis* dicitur *Adoramus te, Gratias agimus tibi,* etc., et cum sub *Credo* di-

(1) Hanc inclinationem nominant auctores recentes *mediam corporis.*

(2) Uti patet, haec inclinatio potest haberi uti inclinatio *corporis media.* Hinc iure merito S. R. C. d. 16 febr. 1906 ad 1, n. 4179 ad dub.: « Cum flectendum est utrumque genu ad Sacramentum adorandum (puta in accessu ad Altare, ubi expositum est SS.mum Sacramentum et in recessu ab eodem), flexioni genuum estne addenda profunda inclinatio totius corporis, an solius capitis? » — *Resp.:* « Inclinatio mediocris, i. e. capitis, et modica humerorum inclinatio, quae in casu habetur uti profunda ».

(3) Lectores bene perpendant haec ultima verba cl. Rubricistae Merati. Ex iis enim clare constat, quaenam sit doctrina dicti auctoris circa reverentiam praestandam Cruci Altaris a Celebrante, tum in accessu ad illud, tum in recessu ab eo, tum in transitu ante illud.

citur *In unum Deum - Iesum Christum - simul adoratur,* etc. — *Secunda* fit cum proferimus nomen *Mariae,* quod est proprium Deiparae. — *Tertia* denique fit cum proferimus nomina Sanctorum et Papae viventis, de quibus suo loco dicemus ».

« Regulariter igitur *prima* ex dictis inclinationibus correspondet adorationi *latriae, secunda* adorationi *hyperduliae,* et *tertia* cultui *duliae:* et admissa hac inclinationum divisione maiori claritate, et facilitate conciliantur diversae Rubricarum et Doctorum Rubricistarum dictiones, ac dispositiones. Haec collecta sunt ex Bauldry (Part. 3, Cap. 5, n. 1), ex Gerl. Vinitore (Part. 2, tit. 2, § 13 et sqq.), ex Hyppolito a Portu, Constantino Hagerer, Francisco Gervasi, Pennatio et aliis » (*Ita Meratus, loc. cit.*).

Ex praedictis itaque manifeste constat, quod iuxta cl. Meratum *inclinatio capitis profunda* seu *mediocris corporis inclinatio* a Celebrante sit praestanda Cruci seu imagini illi Sacristiae, antequam ipse procedit ad Altare; item Cruci Altaris maioris, quando transit ante illud, in quo non adest SS.mum Sacramentum; necnon Cruci Altaris, quando Sacerdos pervenit ad illud, ubi est celebraturus, et denique, quando ab eodem recedit.

Insuper ex praedictis satis manifestum est quod, quando idem auctor (in hoc loco Gavanti, n. II), loquitur de reverentia praestanda a Celebrante Cruci vel imagini illi quae est in Sacristia, nimirum « *reverentia capite cooperto profunda,* h. e. *profunda capitis et humerorum,* eadem sit ac illa quae a Rubricistis recentioribus nominatur *inclinatio capitis profunda,* seu *mediocris corporis inclinatio* ». — Idem dicendum est, quando idem auctor postea (tit. II, n. 2) ait: « IX... Celebrans vero ante infimum Altaris gradum, detecto capite, ut supra, Altari tantum profunde se inclinat, si ibi non asservetur SS.mum Sacramentum », quod scilicet per ea verba ille auctor nihil aliud indicare voluerit, quam quod Sacerdos Altari reverentiam praestat, *profunda capitis et modica humerorum inclinatione.*

Demum ex praedictis satis evidens est, quod, uti cl. Meratus dicit, pro maiori claritate et facilitate conciliationis circa diversas Rubricarum et Doctorum Rubricistarum dictiones ac dispositionss, necessario admittenda sit illa subdivisio inclinationis *infimae* seu *capitis* in alias tres classes. Nam, si habetur *profunda* capitis inclinatio, necessario admittenda est alia quae non est profunda, scilicet *media et infima*. Quod vero admittenda sit inclinatio *profunda capitis*, distincta a *profunda corporis* inclinatione, hoc patet etiam ex Caeremoniali Episcoporum (lib. II, Cap. VIII, n. 46), ubi praescribitur Diacono canenti Evangelium, ut caput inclinet *profundius*, cum dicit *Iesus;* et nonne in ipsa Rubrica Missalis (P. I, tit. XVII, n. 3) habetur: « *caput tantum profunde inclinat apertum?* Et nonne in Ritu servando in celebratione Missae, tit. VIII, n. 4, Rubrica dicit: Celebrans « ... *caput aliquantulum inclinans?* »

(Continuabitur).

VICTORIUS AB APPELTERN,
O. M. C.

De nonnullis evitandis in translatione SS. Sacramenti ab uno ad aliud altare.

Quaer. In aliquibus ecclesiis, quando celebratur magna solemnitas, ad quam accedit vel Episcopus, vel Cardinalis, pro impertienda benedictione, transfertur SS. Sacramentum ad altare maius, ritu privato, antequam initium habeat concio, vel aliqua alia sacra functio. Data postea benedictione cum SS. Sacramento, statim ac Episcopus, vel Cardinalis, e presbyterio exiverit, sacerdos ad altare ascendit, tabernaculum aperit, et ritu solito, comitantibus duobus clericis cum intorticiis et alio cum umbella, ad altare consuetum transfert SS. Sacramentum. In alia ecclesia, cantantur Vesperae ritu pontificali ad faldistorium, quibus expletis, et postquam Episcopus benedictionem impertitus est cum ℣. *Sit nomen Domini benedictum* ad altare, quia usus

invaluit ut ipse impertiatur et benedictionem cum SS. Sacramento, sacrista, comitatus ut supra, transfert Hostiam consecratam a suo altare ad altare maius, transiens per medium populum stipatum, ingreditur Chorum, ubi chorales et Episcopus expectant.

Quaeritur quid sentiant *Ephemerides Liturgicae* de utroque usu ?

Resp. EPHEMERIDES LITURGICAE statim respondent usus praedictos, tamquam abusus esse eleminandos.

Et sane, nihil prohibet quod ab uno ad aliud Altare transferatur SS. Sacramentum, quibusdam in functionibus, maxime in ecclesiis in quibus non adservatur in altari maiore: in una quidem ex suis septem synodis dioecesanis, quas Episcopus Riboldi, postea Cardinalis, celebravit Papiae, prohibuerat quominus SS. Sacramentum umquam transferri posset a suo ad aliud altare, et praeceperat quod preces ad Sanctos ad proprium altare funderentur, ac postea celebrans ad altare ubi adservatur SS. Sacramentum se conferret, ibique extracto ostensorio et cantato more solito *Tantum ergo,* populo benediceret. Attamen lex ista singularis est, reliquis enim in dioecesibus, non prohibetur translatio SS. Eucharistiae, sed praecipitur ut privatim fiat ante quamlibet functionem; et similiter, expleta functione non referatur ad suum altare nisi quando populus pene totus ex templo exierit. Non sunt ergo laudandi usus in quaesito propositi, imo damnandi.

Non primus, dum siquidem Episcopus vel Cardinalis relicto presbyterio adhuc pergit per ecclesiam et ad sacristiam se confert, ut plurimum multi fideles accurrunt ad illum videndum et honorandum in suo transitu, et alii plurimi turmatim exeunt de ecclesia: gravis proinde est irreverentia quod SS. Sacramentum tunc extrahatur e Tabernaculo, et deferatur ad suum altare comitantibus tantummodo clericis cum intorticiis et umbella, absque ullo honore et quasi cum neglectu fidelium.

Accedat ergo Episcopus vel Cardinalis ad Sacristiam,

detur locus etiam fidelibus ut de ecclesia exeant, et cum maneant tantummodo nonnulli devotiores, qui non derelinquunt templum nisi quando clauditur, tunc sacerdos, et non prius, transferat SS. Sacramentum ad suum altare; pauci tunc erunt quidem fideles comitantes, sed sine stepitu et cum quiete ac devotione maiori fiet huiusmodi translatio.

Multo minus admitti potest secundus usus, deferendi SS. Sacramentum post Vesperas, manente in choro clero et Episcopo; in casu enim Episcopus ipse, toto comitante clero SS. Sacramentum accipere deberet et deferre ad altare. Male ergo inspicitur, quod Redemptor noster, velatus quidem in Sacramento, sed vivus et verus, sicut est in coelis, deferatur privatim, dum magna est multitudo fidelium in ecclesia, et dum Episcopus cum toto clero et suis ministris manet in presbyterio, quasi expectans Regem regum et Dominum dominantium. Deferatur ergo SS. Sacramentum ad altare maius antequam incipiant Vesperae in casu.

Nec valet opponere quod, iuxta Caeremoniale Episcoporum (I, xij, 8), retineri non debet SS. Sacramentum in altare in quo pontificalia celebrantur; quia idem Caeremoniale (ibid. n. 9) aliquando permittit ut retineri possit. Ut ergo magna irreverentia evitetur, quae exoritur procul dubio, quando Sacramentum transit per medium adstantium fidelium, qui stipantur ante altare chorale, et non attendunt ad istam translationem, et in choro stant expectantes clerus et Episcopus, melius est profecto, ut sacratissima Eucharistia in Tabernaculo Altaris maioris ante Vesperas in casu transferatur, et tempore Vesperarum retineatur.

Esto quod Episcopus celebret ad Faldistorium, quia non vertit renes ad Tabernaculum, sedens in latere Epistolae, sicut non vertit Parochus quando sermonem ad populum habens post evangelium Missae parochialis, *super predella* in cornu evangelii sedet, licet SS. Sacramentum sit in Tabernaculo altaris. Ergo a pari, imo a fortiori, potest in casu Episcopus sedere ad Faldistorium *in plano,* licet in altare servetur Sacratis sima Eucharistia.

Ceterum, caeremoniae in Vesperis tales sunt, quae a praesentia SS. Sacramenti mutari non debeant, nisi in eo, quod Episcopus facit genuflexionem loco inclinationis capitis, sicut faciunt ministri et inferior Clerus; itaque, ex hoc quoque concludi debet quod, ad evitandam irreverentiam non exiguam, de qua loquimur, decet omnino ut ante Vesperas in casu Sacramentum ad altare maius transferatur.

P. P.

De nomine Episcopi Dioecesani exprimendo a Regolaribus exemptis in Precibus ferialibus.

Quaer. An Regulares exempti teneantur exprimere nomen Episcopi loci in Precibus ferialibus, quando hae recitandae sunt in divino Officio? — Inquirens adiunxit: certum est, quoscumque Regulares Episcopis subdi quantum ad observanda in celebratione Missae, iuxta Concilium Trident. sess. XXII, Decret. *de observandis et evitandis in celebratione Missae*. Imo S. Congr. Conc. d. 21 mart. 1642 decrevit: « Licere Episcopo punire Regulares committentes prohibita vel indecentia in ecclesiis etiam suorum Ordinum circa Missae Sacrificium » (Vide Ferrar., verb. *Regulares*, art. II, n. 17; Pallot. verb. *Episcopus*, VII, 92; iuxta ipsum, decr. habet annum 1662).

Hinc S. Rit. Congr. iure merito decrevit: 1. in *Canone* et *Collectis* omnino facienda est mentio Episcopi dioecesani, etiam ab exemptis, non tamen Abbatum et Praelatorum regularium, quod valet etiam pro Sabbato sancto in *Praeconio* (Vide Decr. nn. 194, 924 ad 6; 1333 ad 9; 149 ad 6, et 1827 ad 1 et 2).

2. Sine indulto speciali S. Sedis, Superiores regulares indicere nequeunt aliquam Missam votivam solemnem *pro re gravi*, sine licentia Ordinarii loci (Decr. n. 3922, § II, n. 1), neque psaescribere sine eiusdem licentia aliquam Collectam (Decr. n. 2514 ad 6).

Sed aliter dicendum est quoad officium divinum, cum Regulares quoad eiusdem recitationem, sive publicam sive

privatam, omnino dependeant a suis respectivis Superioribus. Hoc satis patet ex iis quod Regulares exempti habeant Kalendarium et Breviarium respective proprium, necnon Caeremoniale pro suo Ordine exaratum et approbatum, etc.

Insuper, nonne per istam pronuntiationem nominis Episcopi diocesani, et non Praelati Regularis in Precibus ferialibus, Regulares exempti ipso facto demonstrare debent, ut ipsi sint subiecti Episcopo loci quoad illam partem Officii divini? Et si in una parte, quare non in toto Officio? Et si Regulares exempti sint subiecti Episcopo loci quoad observanda et evitanda in recitatione divini Officii, nonne ex hoc sequitur quod Episcopi dioecesani in disciplina interna Regularium visitationem et correctionem facere valeant, scilicet quoad tempus, locum et modum recitandi divini Officii, quod pro Religiosis Choro addictis est pars principalis quotidianae vitae religiosae, ex quo certe frequentes conflictus inter potestates (scilicet Episcopi loci et Praelati Regularis) necessario sequi debent? — Et nonne ex hoc pariter sequitur quod ipso facto pro magna parte exemptio Regularium non solum restringitur, sed omnino tollitur? — Praeterea, nonne Religiosi magis obligati sunt orare, etiam publice, pro suis Superioribus quam pro Episcopo dioecesano? Vel an Superiores Regulares precibus suorum subditorum minus egent pro eorum gubernatione, quam Episcopi locorum?

Cum itaque dicta praescriptio Rubricae Psalterii, si intelligenda sit, ut etiam Regulares exempti teneantur exprimere nomen Episcopi loci in Precibus ferialibus, tam magnas consequentias in se contineat; idcirco mihi videtur mentem S. Sedis potius fuisse, ut Regulares, praesertim exempti, non nomen Episcopi loci, sed nomen Ordinarii sui, scilicet Praelati Provinciae, in dictis Precibus exprimere debeant.

Demum, quando Regulares sunt in itinere, vel extra suam domum et dioecesim versantur, multum difficile est pro ipsis cognoscere nomen Episcopi loci, quod non habet locum pro Missa, cum nomen Episcopi loci fere in una-

quaque Sacristia sit affixum. Ob dictas rationes ego puto, ait inquirens, Regulares exemptos, vel omittere debere illum Versiculum cum suo Responsorio in Precibns ferialibus, vel in iis exprimere teneri nomen sui Praelati Provinciae.

Quid de hac opinione dicendum?

Resp. Circa hanc quaestionem, Rubrica (*in Precibus ferial. ad Vesp. et Laud.*) dicit: « Romae praecedens Versus cum suo Responsorio omittitur, alibi vero ad litteram N. ab omnibus nomen dioecesani Episcopi exprimatur. Vacante Apostolica vel Episcopali Sede, alteruter vel uterque respectivus Versus cum suo Responsorio praeteritur ».

Insuper S. Rit. Congregatio, d. 22 mart. 1912 ad III et IV, decrevit: Ad Versiculum *Oremus et pro Antistite nostro N.* cum suo Responsorio, inter Preces feriales inserta, Episcopi Titulares non tenentur cum pronuntiatione nominis Episcopi dioecesani; neque idem Versiculus dicendus est a Missionariis cum pronuntiatione nominis Vicarii Apostolici, aut Praefecti, aut Praelati, nisi eadem nomina in Canone Missae ex Apostolico indulto pronuntientur (*Vide Acta Apost. Sedis, vol. IV, pag. 275*).

Hinc, cum Rubrica explicite dicat, extra Romam ad litteram N. in Precibus ferialibus *ab omnibus* nomen dioecesani Episcopi esse exprimendum, eaque Rubrica, sicut reliquae Psalterii, a SS.mo D. N. Pio Pp. X, felic. recordat., sit approbata; et insuper cum in praecitato Decreto S. Rit. Congr.nis Regulares exempti non sint excepti; idcirco mihi videtur, donec aliter a S. Sede sit decisum, Regulares exemptos etiam teneri extra Romam ad litteram N. in Precibus ferialibus nomen Episcopi loci exprimere, non obstante eorum exemptione quoad Officium divinum, quia S. Sedes iure certo gaudet dictam exemptionem restringendi vel extendendi.

Quod si pro Regularibus sit valde difficile cognoscere nomen Episcopi loci, praesertim quando sunt in itinere, vel extra suam domum et Dioecesim (ubi morantur) versantur, id omnino verum est, sed eadem difficultas existit pro Clero

saeculari, et quaestio est, quid in eo casu sit faciendum?

Ad hanc quaestionem solvendam, mihi videtur hic inquirendum esse, quodnam Kalendarium Sacerdos, extra Dioecesim et domum suam versans, sequi debeat in recitando suo Officio?

Respondeo 1° Quoad *Saeculares:* omnes beneficiarii, vel qui alicuius ecclesiae stricto servitio sunt adscripti, tenentur ad Officium propriae ecclesiae, et consequenter ipsi, etiam dum extra Dioecesim suam versantur, tenentur exprimere in Precibus ferialibus nomen Episcopi suae Dioecesis. — Simplices vero Sacerdotes, nulli ecclesiae stricto iure addicti, se conformare possunt cum Officio loci ubi ad tempus morantur vel cum Officio loci ubi habent domicilium; ideoque huius alterutrius loci nomen Episcopi exprimere possunt in dictis Precibus.

2° Quoad *Regulares:* a) Si agatur *de iis qui Choro sunt adstricti, in itinere* sequi debent Kalendarium Coenobii a quo discesserunt, indeque ipsi exprimere tenentur nomen Episcopi illius Dioecesis, in qua situm est dictum Coenobium. — Dum ipsi *perveniunt et manent in altero Coenobio,* huius Kalendarium sequantur, et huius loci nomen Episcopi exprimant. — Si ipsi ibi solummodo *hospitentur ad tempus, in Choro* huius Coenobii Kalendarium est sequendum, huiusque loci nomen Episcopi dicendum; — *privatim* vero (sive intra sive extra Conventum) servandum est Kalendarium Coenobii a quo discesserunt, huiusque loci nomen Episcopi est exprimendum.

b) Si agatur *de Religiosis Choro non adstrictis,* hi aequiparandi sunt simplicibus Sacerdotibus saecularibus quoad pronuntiationem nominis Episcopi in Precibus ferialibus, uti supra.

P. Victorius ab Appeltern, O. M. C.

Ad maiorem elucidationem huius consultationis perbelle a nostro inclyto adlaboratore P. V. ab Appeltern confectae, sequentia ponimus, quae ad rem edidit alter collega noster Dr. P. Pia-

cenza in Appendice ad suum Commentarium in Bullam « Divino afflatu » anno 1912.

Opportunissime in hac nova psalterii emendatione adiecti sunt versiculi pro Papa et pro Episcopo dioecesano. Notandum est ergo, quod in speciali rubrica, post adiectos versiculos istos, dicitur, exprimendum esse *ab omnibus,* nempe a saeculari clero et a regulari, nomen Episcopi dioecesani; sicut enim regulares in sabbato sancto et in canone missae nomen exprimunt Episcopi loci, in quo degunt (S. R. C. 12 nov. 1605, n. 194), ita et hisce in precibus. Quia vero rubrica ista explicite dicit exprimendum esse nomen *Episcopi dioecesani,* non vero Ordinarii, dicendum est, in territorio *nullius dioecesis* exprimi non posse nomen Abbatis vel praepositi exempti, quia, ut notat Benedictus xiv (Syn. Dioec. II, 11, 15), licet Ordinarius sit, non est tamen Episcopus: igitur nominari potest Episcopus vicinior, ad cuius synodum dioecesanam accedere debet exemptus praelatus, et ad quem mittit suos clericos pro ordinatione in sacris, quique nominatur in canone missae (Cf. Gavantum p. 2, tit. 8, rub. 2, *o*). Cum autem plurimi hodie teneant cum s. Alphonso (Caer. Mis. c. 8, 2) quod in territorio *nullius,* nemo in canone praeter summum Pontificem sit nominandus, ideo videtur, quod etiam in precibus omitti debeat versus pro Episcopo dioecesano.

Ad preces ergo nunc credimus esse applicandas regulas, quas S. R. C. tradidit pro exprimendo vel omittendo nomine Antistitis in canone, nempe: *a*) Quando Episcopus, consecratus vel non, possessionem dioeceseos non adhuc susceperit, non est nominandus (decr. 1500, II). *b*) Nominandus est Episcopus dioecesanus etiam ab exemptis (decr. 924, VI; 1827, I, et 1333, IX). *c*) Quando Ordinarius loci, non sit verus illius loci Episcopus, sed, licet consecrationem episcopalem sit consecutus, attamen dioecesim administrat, tamquam vicarius capitularis, aut apostolicus administrator (decr. 2274). *d*) Item in missionibus, quae reguntur a Praefectis vel Vicariis apostolicis (decretum 3047, 4), in quibus, sicut et in urbe Romae, dicendus est versus tantummodo,

Oremus, pro beatissimo Papa nostro. Ratio est, quia hisce in casibus territorium missionum est sub immediata iurisdictione romani Pontificis, qui curam animarum illis in regionibus gerit per suos delegatos; igitur, hi, dignitate episcopali fulgeant vel non, non sunt Episcopi illarum regionum, sed Papa tantummodo. Id etiam fit Romae, ubi in canone non exprimitur nomen Cardinalis Vicarii, licet sit verus Ordinarius, eiusque iurisdictio non cesset in morte summi Pontificis.

Quaestio potius facienda est, utrum clericus, extra propriam dioecesim recitans officium, in precibus exprimere debeat nomen Episcopi proprii, vel illius Episcopi, in cuius dioecesi fortuito degit. Procul dubio in canone missae, ut aperte praescribit rubrica missalis (Rit. VIII, 2): Non (specificatur nomen) alterius superioris, etiamsi celebrans omnino sit exemptus, vel sub alterius Episcopi iurisdictionem; ergo semper exprimitur a celebrantibus nomen Episcopi loci, in quo missa revera celebratur. Sed huiusmodi lex ubique servata, debetne applicari ad preces feriales?

Si consideretur officium, etiam private recitatum, non esse nisi officium publicum, forsan quis arguere inde posset, eadem lege nomen Episcopi loci, in quo clericus degit, esse exprimendum in precibus ad laudes et vesperas; attamen aliter nos sentimus, salva declaratione, quae a competenti auctoritate erit expectanda. Ratio est, quia beneficiatus, etiam extra suam ecclesiam et dioecesim, omnino recitare debet officium iuxta calendarium ecclesiae, ubi habet beneficium (haec est sententia communis declarata a S. R. C. per decretum n. 2682, ad 46). E contra missa celebrari debet iuxta calendarium ecclesiae, in qua fit sacrum (S. R. C. decr. 3862); ergo datur vera differentia inter officium private recitatum, et missam private celebratam; recitatio officii sequitur personam, missae vero celebratio sequitur locum. Quam ob rem beneficiatus, licet extra patriam degat, dum canonicas horas persolvit, fictione iuris quasi cum sodalibus in choro recitat, qui profecto exprimunt nomen Episcopi dioecesani; e contra, qui celebrat in ecclesia non sua,

fictione iuris fit quasi unus ex sacerdotibus ecclesiae illius, qui nomen in canone exprimunt Episcopi loci, in quo exstat ecclesia ipsa. Datur ergo vera differentia, ideoque, sine errandi formidine, asseri potest quod sacerdos beneficiatus, etiam extra suam dioecesim degens, nomen Episcopi sui omnino exprimere debet in precibus. Alius vero clericus, qui non habet beneficium, et in aliena dioecesi moratur per maiorem anni partem, melius est ut se conformet calendario illius dioecesis (decr. 1596, n. 61). Ab iis autem, qui recitant simul officium, ex. gr. tempore exercitiorum spiritualium, nomen Episcopi loci in precibus exprimendum erit, ut patet.

An Canonicus Titularis, qui antea honorarius fuerat, si canonicatui renuntiat, ius habeat retinendi insignia Canonici honorarii.

Quaer. Florentius sacerdos benemeritus electus fuit Canonicus honorarius Cathedralis; paucos vero post annos Canonicus titularis seu de numero et cum praebenda in eadem Cathedrali renunciatus est; nunc autem promotus fuit, per concursum, ad beneficium parochiale in eadem civitatate episcopali. Quaeritur, an adhuc Florentius uti possit privilegiis canonicorum dictae Cathedralis tamquam Canonicus honorarius?

Resp. Si revera sancta Ecclesia mater sapiens et provvida, honores tribuit ecclesiasticis viris, qui virtutibus et laboribus Ecclesiam ipsam illustrant, et populo Christiano sunt utiles, procul dubio respondere debemus affirmative in casu.

Et sane, si Florentius electus fuit Canonicus honorarius Cathedralis suae civitatis, certo certius, tam Episcopus, quam Capitulum (quorum est nominatio canonicorum ad honorem) in ipso Florentio merita honoris digna invenerunt. Quae merita vere praeclara fuisse dicendum est, eo quod paulo post Canonicus titularis renuntiatus est, in eadem Cathedrali.

Nunc vero, vacante parochia in civitate, per concursum

eam obtinet, ac proinde beneficio canonicali valedicit, uti lex Tridentina praescribit.

Licet in casu nulla ratio proferatur de huiusmodi promotione ad paroeciam, non longe abiret a vero, qui diceret, Florentium magis diligere curam animarum, quam honores canonicorum; et in hoc aliud meritum in eo reperitur; nam, quidquid sit de maiore dignitate Canonicali, procul dubio ministerium parochiale magis est meritorium quam ministerium Chori, quando cum recta intentione et cum charitate exerceatur; illud proximius accedit ad munus Apostolorum a Christo Domino institutum, quo funguntur Episcopi, quam cetera ministeria, quae ab aliis viris ecclesiasticis exercentur.

Licet ergo dignitas canonicalis, ad effectum praecedentiae in functionibus, maior existimetur quam dignitas parochorum, attamen id non procedit nisi ex unione Capituli cum Episcopo, cuius Canonici sunt membra et consiliarii nati, et adiutores in directione dioecesis, et ad servitium liturgicum ecclesiae Cathedralis. Parochi vero coadiutores sunt Episcopi in pastorali ministerio, et in cura animarum: pro quibus Redemptor noster Sanguinem suum profudit. Aliis verbis, Canonici participant muneribus episcopalibus, quatenus Episcopus est Praelatus et Pontifex et Rector: Parochi vero quatenus est Pater, Magister et Pastor.

Quibus consideratis (quae non ab re sunt in ista quaestione), Florentius noster, Canonicatui renuntians ut munia parochialia assumere possit, sicque melius in bonum animarum, quod est finis praecipuus Ecclesiae Dei, in peiorem conditionem devenisse non est dicendus, quam antea: imo, coram Deo et Ecclesia maioribus meritis dignus: ergo privilegiis, quibus potiebatur antequam Canonicus effectivus eligeretur, privatus esse dici nequit, hoc enim alienum foret menti Ecclesiae.

Scimus quod Canonicus honorarius, si praebendatus Canonicus fiat in eadem ecclesia, eo ipso cessat esse Canonicum ad honorem seu fictitium illius ecclesiae, ut effectivus

dicatur et sit: ideoque ius ad privilegia et insignia Canonicorum habet, non amplius ut honorarius, sed ut verus Canonicus. Hinc, si hodie deperdit ius ipsum, quia renuntiat Canonicatui effectivo, cum non amplius sit Canonicus honorarius, iura ad honorarios Canonicos spectantia deperdisse dicendus est.

Attamen, si bene res consideretur, quando Canonicus honorarius fit effectivus, honores non dimittit, imo augentur; cessat esse honorarius, quatenus fit effectivus, sed non cessant honores; itaque, renuntiando Canonicatui effectivo, Florentius honoribus non renuntiat, et ius ad privilegia et insignia, quibus potiebatur cum erat tantummodo honorarius, reviviscit.

Aliter esset dicendum si, ex. gr., Florentius ob aliquod crimen privaretur suo Canonicatu effectivo; tunc enim in poenam delicti omnia iura, privilegia et insignia, cum privatione Canonicatus, omnino amitteret: in casu autem nostro, cum Florentius dignus reputetur ut curam animarum suscipiat, magis est honorandus, et ideo privari non debet honoribus quibus fruebatur antequam Canonicus effectivus renuntiatus esset.

Difficultas tamen exurgere potest. si in Cathedrali, de qua agitur, habeantur tot iam Canonici honorarii qui duas partes Capituli exaequent: tunc enim casus, esset contra Constitutionem Leonis xiij (29 ian. 1894, n. 3817), in qua agitur de Canonicis honorariis et dicitur quod exinde Honorarii *numero sint tertia parte* minores cunctis Canonicis. Igitur, si Capitulum in casu constat Canonicis duodecim, Canonici honorarii esse possunt octo tantummodo: si ergo renunciante Florentio canonicatui effectivo, iam in eadem Cathedrali habeantur octo honorarii, Florentius nonus esset, quod contradiceret citatae constitutioni.

Hoc tamen non obstante, putamus quod Episcopus petere bene posset dispensationem in casu, ut Florentius amittere non debeat antiqua iura, quibus fruebatur dum erat honorarius Canonicus.

P. P.

De commemoratione SS. Sacramenti; utrum excludat tertiam orationem in Missa semiduplicis, vel secus collectas imperatas.

Quaer. In Missis ritus semiduplicis et etiam in feriis, si accidat quod fieri debeat commemoratio de SS. Sacramento in altari exposito, omittendane est III oratio, vel si omitti nequeat, connumerari debet oratio SS. Sacramenti inter orationes praescriptas a rubricis, ita ut omittantur collectae imperatae?

Resp. Videtur quod oratio SS. Sacramenti, dicenda tempore Expositionis in missis privatis, aequiparari possit commemorationi alicuius Sancti Simplicis: non enim additur ex praecepto Ordinarii, sicut ceterae collectae, sed ex Decretis S. Rituum Congregationis; atqui S. Congregatio est supra ipsa Rubricas, quas mutat, corrigit, amplificat et abrogat, ergo est vera commemoratio illius diei. Quando manet expositum SS. Sacramentum in throno, quodammodo recolitur festum secundarium in eius honorem, de quo et celebratur missa solemnis in cantu: commemoratio ergo est ad instar commemorationis Sancti Simplicis, quae in feriis secundum locum habet, et proinde III loco dicitur ea, quae II loco esset dicenda. Videtur ergo quod in casu proposito, omitti deberet III oratio praescripta a rubricis, dicendo II loco orationem de SS. Sacramento et III loco eam quae II loco dici deberet.

Attamen S. R. C. suis decretis pluries declaravit quod huiusmodi oratio SS. Sacramenti facienda sit *post omnes orationes de praecepto* (decr. 2515 ad I, 3328 ad 2, 3365 ad 5); at omnes commentatores iugiter interpretati sunt, quod sit dicenda post tres orationes, quas rubricae praescribunt in semiduplicibus et simplicibus: ergo aequiparari nequit commemorationi Sancti Simplicis.

Quod si res ita se habet, tunc commemoratio SS. Sacramenti, in casu, considerari debet tamquam Collecta imperata ab Episcopo, cuius revera est moderari expositiones SS. Sacramenti, ideoque connumerari nequit inter orationes

a rubricis praescriptas, ad effectum omittendi collectas quando illae superant numerum ternarium.

Romae ergo, ubi hoc anno toto mense februario dicendae erant tres collectae, *pro pace, pro Papa* et *ad postulandam serenitatem*, post tres orationes praescriptas a rubricis, in semiduplicibus et feriis, dicenda erat tempore Expositionis oratio de SS. Sacramento, et postea tres quoque collectae imperatae ab E.mo Cardinali Vicario.

Hoc tamen dicendum erat sub imperio antiquarum legum: nam hodie, post decretum S. R. C. 21 iunii 1912 ad 5, omitti debent collectae (excepta collecta *pro re gravi*) quando post tres orationes diei, addenda sit commemmoratio SS. Sacramenti.

Idcirco, sacerdotes Romani addentes orationem pro Defunctis, iuxta novissimas rubricas, in missis feriarum Quadragesimae, octo orationes dicere debuissent (et scimus quod revera nonnulli sacerdotes octo in casu dixerunt), iuxta vero citatum decretum sex tantum erant dicendae.

Aliqui tamen, non sine fundamento, ex rubrica Missalis (tit. IX n. 12), collata cum alio decreto eiusdem anni, diei 22 martii ad 10, deducunt mentem esse Ecclesiae, quod orationes in Missa qualibet, numquam esse debeant plusquam septem.

Quod hic dicimus de commemoratione Sanctissimi Sacramenti dici etiam deberet de oratione pro defunctis: licet enim ipsa non sit de praecepto, sed facultativa, quando dicitur in missis Quadragesimae, tamen quasi tenet locum missae pro defunctis, quae non amplius admittitur eo tempore.

Porro nobis videtur quod esset optandum, ut fieret postulatio ad S. Sedem, pro declaratione facienda, ut oratio SS. Sacramenti tempore Expositionis addenda revera esset deinceps quasi commemoratio Simplicis, imo ante commemorationem Simplicis, ideoque in casu omitti deberet III, oratio et aliquando etiam II iuxta rubricas. Attamen usque dum huiusmodi dispositio non detur, in casu proposito oratio SS. Sacramenti non excludit III orationem, sed tantum, in casu, collectas imperatas. P. P.

De colorum diversitate in ss. paramentis, pro Missis in duplicibus maioribus et minoribus ac semiduplicibus, occurrentibus in feriis propriam missam habentibus.

Quaer. Vi novissimarum Rubricarum, in omnibus vigiliis et Feriis propriam missam habentibus, exceptis Feriis et vigiliis I classis, si occurrat aliquod festum duplex maius vel minus, aut semiduplex, sacerdotes ad libitum possunt celebrare missam vel de festo. vel de feria, aut de vigilia: in Cathedralibus, ad obtinendam uniformitatem in coloribus paramentorum, praefectus sacristiae debetne parare omnes casulas eiusdem coloris, scilicet omnes de Sancto, vel omnes de feria?

Resp. Negative: Scilicet, praefectus sacristiae parare debet casulas in colore festi, et in colore feriae vel vigiliae, ut quisque pro lubito suo celebrare possit missam. Hoc autem fieri debet, non tantum pro sacerdotibus, qui sunt de gremio Cathedralis in casu, sed etiam pro advenis qui fortuito ad ipsam concurrunt pro missa celebranda.

Uniformitas coloris servari debet tantummodo diebus in quibus rubricae nullam libertatem tribuunt circa missam seligendam. Servari etiam debet, quandocumque in ecclesia fit officium duplex, extra ferias et vigilias propriam missam habentes, et sacerdotes alienigenae ius non habent exquirendi colorem conformem officio suo. Antiquitus quoque, quando scilicet nondum statutum fuerat, ut sacerdotes exteri semper celebrare deberent missam iuxta calendarium ecclesiae, si ritus ecclesiae erat duplex, sacerdotes exteri in eodem colore missam celebrare debebant propriam, si color concordabat, alioquin missam iuxta calendarium ecclesiae. Quod si ritus esset semiduplex, diebus non exceptis, sacerdos extraneus poterat celebrare missam suam cum iure exquirendi casulam in colore sui officii.

Ius huiusmodi tribuebant rubricae antiquae s. Pii V, et adhuc tribuunt novissimae rubricae, quando permittunt pro libitu missam vel de festo vel de feria, vel de vigilia, aut

pro defunctis. Et sane, si ritus diei permittit, et ego eleemosynam accepi pro defuncto, pro ipso missam celebrare debeo in paramentis nigris; tu vero accepisti pro salute alicuius infirmi, et missam celebrabis pro ipso infirmo in colore violaceo: alter missam applicare debet in honorem S. Cordis, et colorem adhibet album: alter missam de sancto martyre simplici occurrenti celebrare intendit, et ideo in rubris; alter de feria post Pentecosten, in viridi paramento. Ecce quod omnes sacerdotes isti in colore diverso celebrare possunt in eadem ecclesia, eadem die et forsan eadem hora. Quid contra legem tu vides in huiusmodi difformitate? Reprobatur ne ipsa deformitas a rubricis? Nequaquam; ergo negative respondendum est ad dubium propositum.

P. P.

Unde sumendae sint lectiones III nocturni per octavam cuiusdam Sancti Patroni.

Quaer. In dioecesi N. habetur et recolitur tamquam principalis Patronus s. Sabinus Episcopus, in cuius missa legitur evangelium *Ego sum pastor bonus,* ac proinde tum in festo, tum in die octava habentur lectiones iij nocturni super idem evangelium. In Proprio etiam dioecesano pro diebus infra octavam liberis habentur quidem Lectiones ij et iij nocturni ex Octavario desumptae; sed pro iij nocturno Lectiones non sunt super idem Evangelium; numquid adhuc possunt huiusmodi Lectiones ahiberi? Et cum hodie, post calendarii dioecesani recognitionem liberae sint tres dies infra octavam, quaeritur unde sumendae sint Lectiones in casu?

Resp. Procul dubio iuxta novissimas rubricas, infra octavas, quae non sunt in breviario romano, sumendae sunt lectiones ij et iij nocturni ex Octavario romano, si habeatur, alioquin ex Communi. In casu autem proposito, bene possunt excipi ex Octavario romano, pro diebus infra octavam, lectiones ij nocturni, non vero pro iij, quia non habentur homiliae super idem evangelium. *Ego sum pastor bonus;* quid ergo faciendum? Num repetendae sunt lectiones de festo?

Id revera tradunt novissimae rubricae (Tit. I, n. 7), et qui litterae rigorose adhaerent, non aliam habere posse in-

terpretationem locum illum rubricarum facile contendunt. Attamen nostro iudicio aliter fieri potest in casu; ut enim in nostro Commentario in novissimas rubricas Breviarii typici docuimus (nota 27), teneri potest sententia Gavanti, qui in praefatione sui Octavarii habet: « Quod si in iij nocturno non deserviunt communes lectiones pro aliquibus festis, quae videlicet proprium habent evangelium, eo in casu, post diem festum (in quo legi debet proprium evangelium cum sua homilia) in sequentibus diebus infra octavam lege evangelium in missa et in officio, vel primum, vel aliud congruentius de Communi, cum suis homiliis ». Et sane, idem liturgista in suo Octavario, pro sancto Episcopo confessore, qui in Missa habeat evangelium *Videte, vigilate, orate,* ponit homiliam in eodem evangelio tantummodo pro die festo et pro die octavo; infra vero octavam mandat ad homilias super evangelium *Vigilate, quia nescitis,* quod in missa iis diebus erit quoque legendum, ne evangelium officii discordet cum evangelio missae.

Quam doctrinam Gavanti S. R. C. admisit per suum decretum 19 feb. 1622, quo adprobavit Octavarium, illudque adhibendum proposuit pro octavis celebrandis quae non sunt in Breviario romano.

Esto quod novissimae rubricae dicant: *sed quando non habeantur Lectiones de Homilia in Evangelium Festi, tam infra Octavam quam in die octava, Lectiones iij nocturni dicuntur ut in Festo;* nos enim arbitramur mentem explicitam non fuisse Sanctae Sedis, in revisione rubricarum, ut doctrina Gavanti in casu, et decretum S. R. C. illam adprobans, non amplius locum haberent; multo magis, quia verba novissimae Rubricae intelligi forsan possunt de illis lectionibus iij nocturni, de quibus nil tradit Octavarium romanum.

Siquidem, mens est Ecclesiae ut quoad fieri potest, lectiones easdem non repetamus in eadem octava, ideoque in Breviario romano ponuntur semper diversae lectiones pro diebus infra octavas tam in ij quam in iij nocturno. Gavantus autem doctrinam suam confirmat exemplo officii,

quod habetur pro diebus infra octavam Ss. Petri et Pauli, in quibus lectiones iij nocturni non sunt de evangelio neque festi, neque diei octavae, sed in aliud evangelium *Ecce nos reliquimus omnia,* quod legitur in missa infra eamdem octavam.

Fatendum est tamen, quod sententia nobis contraria, post novissimas rubricas Breviarii, argumento non contemnendo fulcitur; quia vero in Proprio dioecesano iam sunt in usu lectiones super aliud Evangelium, hanc consuetudinem uti magis consonam menti Ecclesiae servari posse credimus.

In casu ergo proposito suadendum est exquirenti ut, retentis lectionibus iij nocturni quas legere consuevit huc usque in die festo et in die octava super evangelium Missae *Ego sum pastor bonus,* pro duobus diebus quae liberae hucusque fuerunt, infra octavam sumat lectiones de Proprio dioecesis, depromptas ex Octavario romano, scilicet lectiones ij nocturni ex illis quae ponuntur pro uno Episcopo Confessore, pro iij autem nocturno accipiat lectiones super evangelium *Vigilate, quia nescitis,* quod et in missa iis diebus legere debet. Idem faciat in tertia quae hodie, post calendarii reformatione libera effecta est.

Haec nostra sententia non solum congruit cum mente Ecclesiae, quae, ut diximus, desiderat ut quotidie infra octavas diversae legantur lectiones, sed etiam cohaeret cum S. R. C. decreto n. 3431 p. ij, ad. 2, in quo concessum est *pro gratia iuxta petita,* quod extendi possint pro octavis Titularium aut Patronorum, lectiones quae alibi, adprobante eadem s. Congregatione, leguntur in festis et per octavas.

P. Piacenza.

De quadam speciali structura cerei paschalis.

Quaer. Cum ex Decreto S. Rituum Congregationis, diei 11 maii, 1878, n. 3448, xiii, tolerari possit usus cereorum fictorum ex metallo, in quibus machina quadam itroducitur cereus, putatur idem valere pro cereo paschali, praesertim si me-

tallum omnino cera contectum sit; quaeritur an mos iste servari possit?

Resp. Certe absoluteque damnabilis corruptela illa est, qua, Sabbato sancto, larva quaedam cerei adhibeatur, cum parva intus candela, ope instrumenti in summitate emergente ut accendatur, quamvis, quod oculis videtur, sit cera super tubo ex lamina confecto illita: sed neque potest admitti, quod cereus huiusmodi, nulla quamvis peracta in Sabbato Sancto functione, ad meram formam exponatur: 1° quia huic cereo nequit tolerantia applicari, quae pro cereis communibus altarium admittitur, hi enim non benedicuntur, et e converso cereus paschalis reipsa benedicitur, uti eruitur ex verbis Missalis: *Benedictio cerei..... in hac cerei oblatione solemni... cereus iste in honorem tui nominis consecratus... in odorem suavitatis acceptus.* Neque obstat quod minister huius benedictionis non sit sacerdos, quia etiam ministri inferiores benedicunt, v. gr. lectores benedicere possunt panem et fructus novos; 2° quia res benedicendae debent ita constitui et esse, quemadmodum lege praecipitur; nunc vero cereus in casu non est cereus, sed figmentum cerei, non enim constituitur duobus elementis ad verum cereum constituendum requisitis, cerae nempe volumen circa ellychnium. Quod si dicatur verum cereum esse parvam candelam intus salientem, respondebimus concedendo quod sit cereus, attamen negando quod illa benedicatur, quia caeremonia notabilissima, et forsan praecipua, impositionis granorum incensi benedicti ad modum Crucis, nullo alio Crucis signo praecepto, uti assolet in benedictionibus, non perficeretur in ipsa candelula, sed in quadam, ut ita dicamus, theca; 3° quia, quod stabili ratione benedicitur, non debet esse de materia fragili, uti esset cereus iste vacuus cera illitus, si cereus tamen sensu communi acceptus dici posset.

Praeterea, etiam dato et non concesso quod candelula foret benedicta, augeretur inconveniens, ex eo quod, uti asserebat Rev. Consulens, ipsa candelula cito consumitur, et ideo substitueretur alia, numquam benedicta.

Quid vero, si benediceretur cereus parvae molis, qui postea reponatur, et super candelabro in ecclesia exponeretur cereus ille fictus? Respondemus, nihil obstare quominus cereus diversus ab illo, qui in functione fuit benedictus, post functionem exponatur, verumtamen, si alias fuit, v. gr. anno praecedenti, benedictus (Cfr. S. R. Congregrationis Decr. nn. 3352, I; 3358; 3895, II).

Hinc, concludendum est, standum sincere et reverenter praescriptis S. Ecclesiae, ac potius quam consulere vanae pulchritudinis ostentationi, consulatur rei substantiae, cereum minoris formae et simplicioris ornatus comparando.

M.

De Sancto Patrono Collegii parochorum, an queat solemniter celebrari, ubi sub ritu tantum simplici describitur.

Quaer. Collegium parochorum civitatis Parmae solemniter colit uti patronam S. Apolloniam V. et M.; paucis ab hinc annis, deseruit suam parvam ecclesiam in honorem dictae Sanctae dicatam et, permittente Episcopo, in ecclesia parochiali S. Vitalis, inter alias functiones, celebrat die 9 februarii suum festum patronale cum magno concursu: celebrantur primae et secundae Vesperae et Missa solemnis cum interventu omnium parochorum cum insignibus collegialibus, cum multis Missis lectis, inter quas Missa praelatitia celebrata a R.mo Episcopo vel eius Vicario. Olim in dioecesi agebatur de S. Apollonia, ritu duplici; nunc vero, post reformationem Kalendarii, fit de S. Cyrillo cum Commemoratione S. Apolloniae. Imo, videtur quod antiquitus omnes parochi celebrabant hoc festum ritu duplici 1 cl. cum Octava, et etiam cum Officio; hoc eruitur ex libello edito an. 1797, ubi adest Octava per extensum. De qua tamen consuetudine nulla alia adest memoria. Possuntne celebrari Missae omnes, vel saltem solemnis de S. Patrona? Et sub quo ritu? Et quatenus negative, possetne fieri recursus ad S. R. C. pro gratia obtinenda?

Resp. Facile concedetur, nullum ius invocari posse in favorem festivitatis sub altiori ritu celebrandae a parochis

in casu. Patronatus Collegii parochorum non est liturgice attendendus; titulus ecclesiae S. Apolloniae non est translatus ad ecclesiam parochialem. Attamen, solemnitate etiam in populo considerata, en quomodo res componi potest:

Quod attinet Vesperas, indubie hae celebrari possunt, tamquam votivo-festivae, ex Decreto S. R. C., n. 3365, X, quod, etsi datum sit pro casu in quo Missa solemnis cantatur de festo transferendo, *iuxta rubricas*, profecto applicari potest praesenti casui, ob Decretum de quo infra, quod aequiparat festum simplex, solemniter celebrandum, festo transferendo et tamen celebrando cum sola Missa solemni: cauto tamen, ut, qui obligatione divini Officii tenentur, privatim Vesperas, uti in Kalendario praescribuntur, recitent, etiamsi Vesperis solemnibus votivo-festivis interfuerint. Et si quis dubitet de hac interpretatione, succurrit aliud Decretum, n. 3624, XII, in quo dicitur, quod Vesperae, quae ad devotionem populi Dominicis et festis cantantur in ecclesiis mere parochialibus, ubi non est obligatio chori, cantari possunt de quolibet Officio, dummodo ii, quid ad horas canonicas tenentur, privatim recitent illas de Officio occurrente.

Quod Missam respicit, non permittitur, in casu, nisi Missa solemnis seu cantata, ex Decreto n. 1421, II, quod cum respondeat ad dubium propositum pro occurrentia Dominicae et feriae Quadragesimae, de Dominica loquitur et de eiusmodi feria, sed, evidenter et a fortiori, applicari potest festo duplici minori; imo ab Auctoribus applicatur eodem modo ac rubrica tit. VI Missalis, de festo transferendo: « In diebus Dominicis non possunt dici Missae de festo simplici in ea occurrente... *Ratione tamen confluentiae* potest in eodem festo simplici cantari Missa solemnis votiva cum *Gloria* et *Credo,* sine Evangelio et commemoratione Dominicae; dummodo tamen alia conventualis de Dominica non omittatur, in qua, in tali casu, nulla debet fieri commemoratio eiusdem festi simplicis..... In feriis praedictis, ratione concursus, poterit etiam cantari de eodem festo simplici Missa solemnis, quae similiter erit votiva, etc. ».

Quod demum spectat recursum ad S. Congregationem, pro ceteris Missis, seu melius pro festo ad ritum duplicem restituendo in ecclesia S. Vitalis, videat Collegium ipsum, et de re conferat cum R.mo Ordinario. M.

BREVIORA RESPONSA

Pro civitate P. — In hac civitate, ecclesia parochialis existit dicata S. Ulderico Ep. Conf. cuius dies natalis est 4 iulii; cum vero Patronus huius civitatis s. Antoninus occurrat eadem die, semper celebratum fuit festum Titularis sequenti 5 eiusdem mensis; cum autem nunc Patronus non amplius celebretur cum feriatione, Parochus quaerit an possit restituere sanctum Titularem in sua propria die.

Resp. Procul dubio, sanctus Patronus civitatis, ratione *feriationis,* praeferri debuit sancto Titulari propriae ecclesiae, quia, cum ambo sint festa revera *propria,* ratio praeferentiae inter ipsa desumebatur ex feriatione, quae a populo servabatur. Haec regula nunc quoque est retinenda, quia ex novissimis rubricis, secundum criterium praelationis est *maior solemnitas,* scilicet. si festum celebretur cum feriatione, *etiam in foro reducta vel sublata.* Licet ergo nunc s. Patronus Antoninus feriatione careat, quia ex decreto 10 iulii 1911 sublata fuerit in foro, mansit tamen feriatio in choro, nempe solemnitas Patroni celebrari debet cum omnibus iuribus et privilegiis, quae pertinent ad festa feriata. Scopus enim abrogationis is fuit praecipue, ut legitur in decreto suppressionis, « ne commercia et negotiorum tractationes ex interposita frequentia festorum morae aliquid pati, neque populus christianus plus aequo opera servilia saepius intermittere deberet ». Iis porro in festis, in quibus sublata fuit feriatio, adhuc manet excellentia quaedam in festiviori ritu ac solemnitate, quae servatur in choro ut antea, nec non in obligatione parochorum applicandi Missam pro populo, qui ex consilio ad eam audiendam invitatur.

Parochus ergo, in casu, pergat in celebratione festivitatis s. Uldarici sui Titularis die 5 iulii, prout hactenus ipse, et sui praedecessores fecerunt. P. P.

Pro Gallia. — I. Ad conficiendum *Ordinem* particularem festi Sancti Titularis, aut Patroni, cuius mentio tantum fit in *Martyrologio* (ut confessor, vel martyr, etc.), sed non in *Missali,* quomodo se gerere debet Kalendarista? Quaenam principia sunt ut eligatur, inter plures missas de eodem Communi, missa pro tali vel tali Patrono? Utrum liberum sit cuique Kalendaristae eligere missam quae videtur magis propria?

Resp. Pro responsione huiusce quaestionis distinguendum est: vel agitur de Titulari novae ecclesiae nuper constructae, vel de Titulari antiquae ecclesiae; si primum, Kalendarista audire debet Episcopum suum, pro seligenda missa celebranda in eius festo, quae in casu sumi potest ex Missali quae magis convenire iudicatur, uti habetur in fine cuiusque Communis; ideoque, ut patet, et lectiones III noturni in officio adhibendae erunt, quae cum evangelio missae conveniunt.

Si secundum, nempe si agatur de Titulari antiquae ecclesiae, tunc Kalendarista missam et officium notare debet in kalendario prout hucusque factum est.

Quod dicimus hic de sancto Titulari, dicendum est etiam de sancto Patrono loci. Si agatur de Patrono noviter electo, ex concessione S. Sedis, in casu bene poterit exquiri a S. Congregatione Rituum etiam quae missa et quod officium sit persolvendum pro novo Patrono; si autem agatur de Patrono antiquo, Kalendarista ut supra dictum est de Titulari notare debet in kalendario suo.

II. Utrum, hoc anno 1915, feria V post Cineres (18 febr.) (*de ea*) celebrari potuerit missa *privata* de Requiem? In Quadragesima, haec feria erat enim prima dies libera in Kalendario hebdomadario pro missis privatis de Requiem; et pluribus visum est quod ea missa permissa fuerit, illa feria V; aliis autem, negative. Quid?

Resp. Affirmative, in casu enim Feria V post Cineres erat prima feria libera in hebdomada Quadragesimae. Esto quod forsan praecedentes Feria II et III liberae fuerint; quia vero illae extra Quadragesimam erant, impedire nequeunt quominus ego facultatem non utar, quam mihi porrigit nova Rubrica, dicendi missam pro defunctis, in prima die libera infra hebdomadam Quadragesimae.

III. Propter quamnam rationem S. R. C. concedit omnibus dioecesibus Galliae *quae desiderant*, Sanctae Coletae festum? Utrum hic modus agendi non est contrarius normae S. R. C. ipsius, quae permittit *tantum* in Propriis dioecesanis festa Sanctorum qui nati sunt, aut vixerunt aut obierunt in dioecesi, aut quorum corpora asservantur in dioecesi? Obiectio saepe proponitur, et mihi solutio difficilis videtur.

Resp. Nulla difficultas in casu, nam S. R. C. in ordinandis Kalendariis iuxta suum decretum 28 octobris 1913, non tantum admisit festa *Propria pro unaquaque dioecesi*, sed nonnulla Festa quoque uti *propria totius Regionis* vel *Nationis*. Inter sanctos totius nationis Gallicae recensenda est etiam S. Coleta, cuius Festum ab Apostolica Sede extensum fuerat ad Galliam et ad suas colonias. En ratio cur in kalendariis quarundam dioecesum in Gallia retentum fuit huiusmodi Festum.

IV. Utrum rite ordinatur Kalendarium pro anno futuro 1916, quod sic se habet;

Maii 31. — (In Gallia) Fer. IV Rogat. — Vigil. Ascens. (sine ieiunio ex Indulto) Beatae Ioannae de Arc, dupl. ij classis. — IX lectio de Vigilia, cuius *ad laudes* Commemor., et etiam in laud. commem. S. Angelae (simplif.) et S. Petronillae. — In Missa, 2ª orat. S. Angelae, 3ª Vigiliae, 4ª Rogation. (5ª *in miss. priv.* S. Petronillae). — Ult. Evang. de Vigil. (Ubi unica missa et fit processio, 2ª orat B. Ioannae, 3ª S. Angelae, tantum).

Iunii 18. (Dom.). — *In Choro*, solemnitas *anticipata* (propter impedimentum in Dom. seq.) S. Ioannis Baptistae, Patroni dioecesis.

25. (Dom.). — *In Choro,* solemnitas SS. Corporis X.[ti] et Processio.

29. — Octava SS. Corporis X.[ti], cum commemor. Vigiliae SS. Petri et Pauli; ad Vesp. 1 Vesp. SS. Petri et Pauli, commem. praeced.

30. — SS. Petri et Pauli (De Commemor. S. Pauli nil fit hoc anno 1916).

Iulii 1. — Pretiosissimi Sanguinis X.[ti]. Ad Vesp. 1 Vesp. Visitationis B. M. V., etc.

2. (Dom.). — Visitationis B. M. V. — *In Choro,* solemnitas SS. Petri et Pauli (2[a] processio in hon. SS. Corporis X.[ti]). Ad Vesperas: 1[ae] Vesp. de Festo *Anniversarii Dedicat.* Ecclesiae Cathedr. dupl. 1 clas. cum commem. praeced. et Dom.

3. — Anniversarii Dedicat. Eccl. Cathedr. dupl. 1 clas. Ad Vesp., commemor. sequentis.

4. — SS. Cordis Iesu, dupl. 1 classis (e 30 iunii).

9. (Dom.). — *In Choro* (pro nostra dioecesi), solemnitas SS. Cordis Iesu.

Resp. Kalendarista bene se egit in dispositione calendarii anni sequentis 1916 uti proponitur in casu, exceptis diebus 31 maii, 29 et 30 iunii, ac die 4 iulii, qui ita corrigendi erunt:

31 Maii (ubi unica Missa et fit process., Miss. de Rog. 2. or. b. Ioannae, 3. s. Angelae, 4. Vigil.).

29 Iunii, Ss. Petri et Pauli App. dupl. 1 cl. cum Oct. — Com. diei oct. Ss. Corporis Christi. In Vesp. com. seq. (Vide 13 Notandum post Tabellam occurrentiae in novissimo Breviario typico editum).

30 Iunii, S. Cordis Iesu dupl. 1. cl. comm. distincta S. Pauli et S. Petri App. in Laud. et Miss. priv. tantum. In Vesp. com. diei oct. s. Ioannis Bapt. tantum.

Hinc die 4, nisi occurrat aliud festum IX lectionum, agendum erit officium de octava Ss. Apostolorum.

P. P.

Pro Urbe. — I. Sunt qui dicunt quod in Dominica anticipata ad Tertiam, Sextam et Nonam, Capitulum breve de Dominica per annum desumenda sint. Rubrica autem de iis

nihil habet, quamvis ad Primam ipsa explicite indicet Capitulum de Dominica *Regi saeculorum*. Quid tenendum?

Resp. Quamvis in Rubricis Ordinarii nihil explicite inveniatur de hoc puncto, in Rubrica tamen speciali quae habetur ante Sabbatum I post Epiphaniam, satis clare indicatur, ea Capitula et Responsoria brevia esse desumenda de Officio feriali per annum. Ibi enim legitur: « In Officio huius Dominicae anticipatae omnia dicuntur de Sabbato, et, in I Vesperis et Completorio eas sequenti, de Feria VI, ut in Psalterio, praeter Capitulum Primae, quod dicitur de Dominica, ut in Ordinario, Orationem, Lectiones cum suis Responsoriis et Antiphonam ad *Benedictus*, quae de ipsa Dominica dicuntur ». In Officio itaque huius Dominicae omnia dicuntur, praeter excepta, de Sabbato; et, cum ea Capitula et Responsoria brevia non inveniantur inter excepta, ex eo manifeste sequitur, ea esse desumenda de Sabbato, nempe de Officio feriali, seu uti Officium de Sabbato dicendum est.

II. Nonne habetur inconsequentia inter sequentia: iuxta Rubricas Suffragium et Preces non dicuntur in die octava simplici. Porro die 28 ianuarii omnia Calendaria annualia praescribunt Suffragium et Preces die S. Agnetis secundo, qui dies censetur dies octava festi S. Agnetis Virg. et Mart. — Quid dicendum?

Resp. Nulla in eo inconsequentia habetur, cum, in casu S. Agnetis die 28 ianuarii, quamvis haec dies uti dies octava ipsius Sanctae olim consideraretur, haec tamen octava usque nunc a S. Sede non sit recognita, neque praescripta, et consequenter iura et privilegia eiusmodi Octavis annexa habere nequeat.

P. V. ab A.

Pro N. N. — I. In Breviario, sub finem, ubi describitur modus agendi gratias post prandium aut post coenam in Nativitate Domini legitur: *qui Psalmus* (Ps. 116. *Laudate Dominum, omnes gentes*) *ad beneplacitum dici potest etiam in aliis solemnitatibus*. Quaeritur an id valeat quoque pro Feria V in Coena Domini et Feria VI in Parasceve.

Resp. Negative. Sensus obvius rubricae quae invenitur in breviario, ubi describitur modus agendi gratias post prandium, aut post coenam *in Nativitate Domini,* ita intelligitur: Psalmus *Laudate Dominum, omnes gentes,* ad beneplacitum dici potest etiam in aliis solemnitatibus, *ubi aliud non praescribitur.* In breviario ex. gratia typographiae Desclée (Partis Vernae) sic habetur: « Praedictus modus benedicendi mensam, et agendi gratias, servatur omni tempore huius Partis Vernae, praeterquam diebus infrascriptis, quibus Versiculi et Psalmi tantum variantur. Feria quinta in Coena Domini dicitur absolute et sine nota etc... In fine repetitur ℣. *Christus factus est.* Postea Psalmus *Miserere mei, Deus,* 55, quo finito sine ℣. *Gloria Patri,* secreto dicitur *Pater noster* etc. » Et infra: « In Parasceve eodem modo fit sicut in Coena Domini, sed additur ad ℣. *Christus factus est... mortem autem crucis* etc.

II. Item praedicta rubrica de benedictione mensae Feria V in Coena Domini haec habet: Dicitur absolute et sine nota *Christus factus est* etc. Quid significant haec verba *sine nota?*

Resp. Apud veteres ordines monasticos, ex. gr. apud fratres Carmelitas, benedictiones gratiarumque actiones ad communes refectiones cum cantu, praesertim diebus solemnioribus, efficiebantur. Opportunum quidem videbatur in benedictione feriae V in Coena Domini addere verba *sine nota,* ob ritus moestitiam.

III. Quomodo dicendum est *Kyrie eleison* in benedictione mensae, in horis canonicis publice recitandis v. gr. ad Primam post *Pretiosa... Sancta Maria* etc... Scilicet, dicendum ne est alternatim ut ad Missam (ita ut sacerdos dicat *Kyrie eleison,* et cum ceteri responderint *Christe eleison,* ipse iterum dicat *Kyrie eleison*), an per modum versiculi (ita ut sacerdos vel hebdomadarius dicat *Kyrie eleison* et ceteri respondeant *Christe eleison, Kyrie eleison*)?

Resp. Praxis quoad recitationem *Kyrie eleison* etc. in benedictione mensae, necnon in horis canonicis publice recitandis, in aliisque benedictionibus non est uniformis, ob

silentium rubricae. Opportunum autem erit praxim loci uniuscuiusque sequi. D.

Pro Gratianopoli. — Moniales C. SS. R. in choro divinum officium persolvunt iuxta Kalendarium Patrum C. SS. R. Quaeritur ergo.

I. Utrum missa principalis (et plerumque unica) quae quotidie celebratur, uti conventualis haberi debeat in praxi, iuxta responsum S. R. C. n. 4141, ad 5^m?

Resp. Missa in casu officio diei conformis semper esse debet. Diebus etiam in quibus unica est. Haec lex exceptionem non patitur ideoque neque in feria VI quae primo occurrit in mense, magnam licet moniales devotionem habeant ad reparandas iniurias SS.mo Cordi Iesu illatas; neque diebus in quibus aliquam missam votivam solemnem Sancta Sedes, vel Ordinarius loci concessit vel iussit.

II. In locis ubi de praescripto Ordinarii, necnon et S. R. C. Indultorum (ut in Gallia), solemnitates externae transferendae sunt in omnibus ecclesiis publicis, quid agendum in casu?

Resp. Licet Pius X f. r. indulserit (14 ian. 1914) ut in Gallia ubi una tantum missa habeatur, missa parochialis sit de festo translato, hoc indultum non valet pro missa *conventuali,* ergo in casu oratio de festo translato addi potest in missa conventuali et nil aliud.

III. Ad celebrandam ibi missam de Requie (loco missae conventualis), praeter diem II Novembris, utrum requiritur ut officium defunctorum recitatum sit, et missa haec cantetur?

Resp. Negative, sed observetur rubrica missalis, et quoad cantum legitima consuetudo.

IV. Utrum missa conv. celebranda sit statim post horam canonicam prout praescribitur missali (scilicet post tertiam in officiis IX lectionum, etc.)?

Resp. Affirmative, iuxta rubricas missalis.

V. Utrum, post hanc missam, preces a Leone XIII praescriptae valent omitti?

Resp. Debent omitti omnino si cantetur, possunt si legatur, iuxta decreta.

VI. In Ecclesia ubi moniales in choro, non officium canonicum, sed officium parvum B. M. V. persolvunt, post missam principalem omittuntur preces a Leone XIII praescriptae, sola ratione officii recitati. Utrum recte?

Resp. Negative, missa enim in casu privilegium non habet missae vere conventualis. Si tamen chorus continuatur, tunc omitti possunt iuxta recens decretum S. R. C., quo nominatur pium aliquod exercitium seu s. functio; officium in choro monialium videtur eiusmodi esse.

VII. In aliqua monialium capella, tabernaculum conopaeo non tegitur. Cum a novo Capellano interrogarentur qua de causa Ritualis et Decretorum praescripta non servarentur, Superiorissa respondit dispensationem ab Ordinario obtinuisse. Utrum in casu Capellanus hac de re silere debeat aut saltem possit?

Resp. Procul dubio, Episcopus, nisi dispensationem obtinuerit a S. Sede, derogare nequit a lege pluries confirmata de conopaeo tabernaculi; ne autem minuatur auctoritas Episcopi in casu, Capellanus acquiescat ad tempus, sed de re debita reverentia apud ipsum Episcopum conferat.

VIII. Quando ad lucrandas diversas indulgentias, visitanda est pluries Ecclesia, utrum, hae visitationes fieri possunt in sacristia, ianua aperta? E contra, cum ad iterandas visitationes exeundum est paulisper ex Ecclesia, utrum exeundum sit etiam e sacristia, ianuis ad ecclesiam clausis?

Resp. Ad 1. partem, affirmative; non oportet enim in ambitum Ecclesiae ingredi, ut ibi oretur, ergo. Ad 2. partem, item affirmative, ut distincta toties quoties fiat visitatio.

IX. Iuxta regulam C. SS. R., S. Stanislaus Kostka est patronus novitiorum. Sed, in recentissima reformatione Kalendarii huius Congregationis, hoc festum expunctum est. Quomodo nunc ille patronus in novitiatu liturgice colendus est?

Resp. Cum missa tantum, sua die 13 nov. iuxta meam sen-

tentiam. Melius tamen si Novitii Officium quoque integrum persolverent ex devotione, vel saltem Vesperas decantarent. Arbitramur autem quod rationes non deficiant ad postulandam facultatem a S. R. C., pro domibus tantum novitiatus C. SS. R., inducendi iterum in Kalendarium festum S. Stanislai patroni.

Pro Gallia. — 1° Die 3 ian. anni curr., habuimus SS. Nomen Iesu et S. Genovefam, duplex pro Gallia, 9 lectio huius S. Virginis erat-ne legenda (Dominica!)?

Resp. Licet in casu agatur de festo occurrenti in Dominica, nihilominus officium non est de ea, hinc exulat ratio omittendi IX lectionem de simplificato, ut nempe fiat lectio integrae homiliae super Evang. Dominicae; igitur non debuerat omitti ea die IX lectio S. Genovefae.

2° Die 30 ianuarii (1915) factum est Officium Dom. IV post Epiphaniam, quaenam ℟℟. erant legenda in 1° Nocturno? *Ami du Clergé,* indicat ℟℟. de tempore feria currenti! *Ephemerides Liturgicae* eligunt ℟℟. Dominicae IV, quod mihi videtur magis congruere Regulis.

Resp. Ephemerides nostrae *Liturgicae* recte indicarunt ℟℟. de IV Dominica anticipata, iuxta novas Rubricas; quodammodo enim in casu cessat hebdomada III, et incipit IV post Epiphaniam.

3° Quando festum duplex (etiam semiduplex) *perpetuo* simplificatur, habet-ne ius commemorandi, tributum festis simplificatis per incidens?

Resp. Affirmative, sicut enim, etiam iuxta antiquas Rubricas, de Dominica aut de die octava perpetuo simplificata, commemoratio fiebat quoque in II Vesperis, ita hodie fieri debet de duplici vel semiduplici, et contrarium Decretum non amplius tenet (Vide noviss. Rubr. tit. VI, n. 1 et VII n. 2). P.

Pro Lucana archidioecesi. — In *Ephemerides Liturgicae* curr. anni, pag. 48, n. XIII, dicitur editio typica Breviarii Pustet errata, die 18 martii, quoad lectiones I Noct. Quomodo id intelligitur, dum nullum extat indicium?

Resp. Quaerimus: Ubinam deest indicium? Forsan in Breviario typico Vaticano? Hoc significat, lectiones I Nocturni debere sumi ex respectivo *Communi*, scilicet Doctorum. Forsan in quibusdam exemplaribus editionis typicae Pustet? Hoc significat, illa exemplaria esse emendata. Optime in his omnibus!

Pro Salisburgo. — Iuxta S. R. C. responsum n. 235 ad 12, et decretum 1333, 4, in Missa votiva solemni pro re gravi, quando celebratur cum paramentis violaceis, non dicitur *Gloria* nec *Credo* (« praeterquam — ut adnotat Index Gen. Decr. authent. pag. 478 — in Dominicis, in quibus *Credo* non omittitur »); Decretum vero generale, *De Missis Votivis* (n. 3922, II, 3), haec habet: « In huiusmodi Missis semper dici debent *Gloria in excelsis* et *Credo*, nisi Missa celebretur in paramentis violaceis, ... quia tunc non dicitur *Gloria* ». In illis decisionibus lego: « Non dicitur *Gloria* nec *Credo* »; in hoc vero Decreto Generali habetur: « Tunc non dicitur *Gloria* ». En contradictio! Quid ergo tenendum?

Resp. Legitima est Indicis Decretorum interpretatio circa *Credo* dicendum in Dominica, in casu; namque fundatur super explicita declaratione rubricae Missalis, tit. XI, in fine: « Item dicitur *Credo* in Missis votivis, quae solemniter pro re gravi, vel pro publica Ecclesiae causa, celebrantur; etiamsi dicantur in paramentis violaceis in Dominica ». Igitur, Decretum n. 3922 ita interpretari debemus, ut ideo sileat de *Credo*, quia *interdum* dicendum est in Missis votivis solemnibus pro re gravi cum paramentis violaceis, scilicet in Dominicis; dum *Gloria* omittendum est *semper*. Ceterum, si Decretum istud datum fuisset ad rubricam generalem Missalis moderandam, hoc explicite dictum fuisset.

Pro Arborea. — I. Quid dicendum de usu hodie pluribus in locis invecto, ut plures Episcopi una simul populo solemniter benedicant, verbis concordi voce prolatis?

Resp. Usus hiusmodi novitatem sapit, et irrisioni facile obnoxius est. Ubi maior cessat minor, et etiam inter aequales alicui tantum defertur, numquam omnia omnes faciunt, quasi

invidi. Rectus sensus, etiam in libris liturgicis consecratus, a similibus refugit.

II. An vere communis prope consuetudo inter Episcopos nigrum habitum praelatitium in funeribus abolevit?

Resp. Nescimus quamnam extensionem adepta sit huiusmodi consuetudo, sed valde profecto est diffusa; forsan oeconomiae studio introducta est, sed et est praxis romana; Romae quippe, E.mi DD. Cardinales vestes rubras in violaceas immutant, Episcopi vero aliique Praelati semper violaceas adhibent, excepta Sede vacante. Sunt qui dicunt, fore ut non multo post tempore, uniformitas in vestibus, tum Cardinalium tum aliorum Praelatorum, ex lege inducatur, etiam pro iis qui assumuntur ex Ordinibus regularibus, pro qualibet anni et functionum contingentia.

Pro Abula in Hispania. — I. In quadam ecclesia Civitatis, consecrata est parva lateralis cappella: potestne vel debet fieri Officium Anniversarii Dedicationis cappellae huius?

Resp. Potest et debet, quia non datur in iure liturgico ut consecratio ecclesiae maneat sine memoria anniversaria; lege sextam lectionem diei octavi Dedicationis ecclesiae in Breviario, ex canonico iure desumptam (de consecr. dist. 1, c. 17): « Solemnitates Dedicationum ecclesiarum et Sacerdotum, *per singulos annos* solemniter *sunt celebrandae* ». Difficultas oriri potest super voce *cappellae,* in casu; sed forsan ita vocatur illa S. Aedes ex ipsius parvitate; attamen parvitas loci non nocet; videmus equidem multas parvas ecclesias consecratas, et numquam data est, neque ab Auctoritate, neque ab Auctoribus s. Liturgiae, norma ad hanc rem. Iudicium ergo opportunitatis consecrationis alicuius loci pro ecclesia, stat omnino penes Episcopum. Porro, non dubitamus hanc cappellam esse locum satis distinctum ab ecclesia, quia nesciremus quomodo consecrari potuerit parva pars ecclesiae. Verum, dari posset casus de quadam parva ecclesia consecrata, quae postea facta sit cappella maioris ecclesiae circa eam aedificatae. In quadam cathedrali Italiae (ni fallimur, Reatina) fit de Anniversario consecrationis tum

ecclesiae superioris, tum alterius subterraneae, utriusque separatim consecratae.

II. Ecclesia cuiusdam conventus monialium consecrata est, de Anniversario Dedicationis agitur non ipso die anniversario, sed illo die qui in Kalendario approbato Ordinis pro Anniversario omnium ecclesiarum consecratarum eiusdem Ordinis electus est. Eodem die occurrit Anniversarium dedicationis cathedralis. Quid facere debent moniales istae cum Anniversario Dedicationis cathedralis?

Resp. Moniales conventus istius possunt et debent Anniversarium propriae ecclesiae una cum aliarum proprii Ordinis celebrare, si legitime Ordinis Kalendario utuntur. Oportet, consequenter, ut de Anniversario Dedicationis Cathedralis agatur, apud illas, die sequenti, non impedito, iuxta rubricas. Fiet autem, in secundis Vesperis Dedicationis ecclesiae propriae, commemoratio Dedicationis cathedralis, si postridie recolenda est, per orationem de die Dedicationis, uti cavetur in rubrica Breviarii; ex qua rubrica confirmatur sententia Auctorum qui unanimiter admittunt, Dedicationem diversarum ecclesiarum considerari diversum obiectum, quamvis eiusdem Mysterii.

III. Titularis cathedralis est Sanctus Confessor; *Credo* in Missa dici debet in omnibus ecclesiis civitatis et dioecesis, vel in cathedrali tantum?

Resp. Si standum esset rubricae, tit. XI, prope finem: « In festis Sanctorum quibus dedicata est ecclesia », et ibidem, in fine: « Item in festo... Tituli ecclesiae », posset, quia verum est, Titularem cathedralis esse illum Sanctum cui dedicata est ecclesia de qua agitur; sed S. R. Congregatio, per Decretum n. 2189, declaravit: « Non esse recitandum Symbolum Apostolorum, nisi *in ecclesia propria* », et praecise responsum istud datum est ad dubium expositum pro S. Laurentio, Titulari cathedralis Perusinae, quoad ecclesias Regularium.

IV. Vigilia Epiphaniae est privilegiata 2 cl. ac locum tenet Officii Dominicae, eiusdemque privilegiis gaudet. Po-

teruntne in isto die Missae de Requie de die III, VII, XXX et anniversario cantari?

Resp. Negative, privilegium enim, iuxta locutionem Decreti 21 iunii 1912, ad VI (in resp.) privilegiis Dominicae gaudet, absque ulla limitatione: quod confirmavit rubrica novissima Breviarii typici: « Officium huius Vigiliae *locum tenet* Officii Dominicae.... proindeque gaudet *omnibus* privilegiis Dominicae ». Quod valet pro Officio, valet profecto et pro Missa, Officii enim pars ipsa est.

V. Moniales quaedam huius civitatis, ad ordinem S. Bernardi pertinentes, Kalendarium dioecesanum abhinc multos annos servarunt. Ignoratur utrum Kalendarium proprium Ordo ad quem pertinent habeat necne. In Kalendario dioecesano nuper approbato, Officia particularia, quae recitare debent moniales istae indicantur, sed quid facere debeant diebus infra octavas Patronorum localium, dioeceseos etc., Kalendarium omnia silet. Quaeritur ergo: Hae moniales, Kalendario dioecesano utentes, festa Patronorum nationis, dioecesis ac civitatis debentne celebrare cum octava vel sine ea?

Resp. Si ignoratur utrum Ordo ad quem pertinent moniales, de quibus in dubio, habeat Kalendarium proprium, necne, id significat, quod, etiamsi habeat, non extenditur ad praedictas moniales, secus ipsi Superiores Ordinis de eo providerent; seu, aliis verbis, moniales in casu non videntur, esse subiectae Ordini primario, sed potius esse dioecesani Instituti, subiecti Episcopo, et ideo dioecesanum Kalendarium sequi debent. Circa octavas igitur Patronorum, stent in omnibus Kalendario dioecesano, uti fieri omnino debet, ex Decreto S. R. C., d. d. 28 februarii 1914.

M.

CAPUT SEXTUM.

Continuatio praecedentis.
De Commercio spirituali in primordiis Ecclesiae Dei.

44. Cum ecclesia Dei universaliter sumpta in suis primordiis constare angelis et hominibus (1) adhuc in statu viae constitutis, sed etiam originali iustitia praeditis, operae pretium est inquirere de commercio spirituali quod vigebat inter membra illius. Ad vitam et perfectionem societatis requiritur ut pro invicem sollicita sint membra, et mutuam benevolentiam foveant per paternae dilectionis opera non solum, sed etiam per bonorum permutationem, per quam abundantia unius sit supplementum inopiae alterius, et vicissim iuxta leges aequitatis et iustitiae. Hoc est quod constituit commercium societatis; quod varium et multiforme est secundum variam et multiformem naturam societatis, et bonorum eius. Datur ergo et commercium societatis theocratica, quae est ecclesia; commercium spirituale quod est permutatio bonorum spiritualium in societate spirituali, cuius finis et obiectum est bonum spirituale, et supernaturale; et hoc est quod inquirimus in hoc capite: de commercio spirituali in primordiis Ecclesiae Dei.

45. Tres sunt factores Ecclesiae Dei universalis: Deus, ut bonum commune et caput societatis theocraticae; angeli, et homo ut membra; et inter hos omnes tres vigere commercium spirituale necesse est; et sic, ut in suis primordiis Ecclesia Dei perfecta erat, ita perfectum debuit esse commercium eius spirituale, et vigere 1° inter Deum, angelos et homines; 2° inter angelos mutuo; 3° inter angelos et homines; 4° inter homines mutuo.

I. *Commercium inter Deum, angelos et homines.* Duo hic quaeruntur: *a)* quidnam est quod Deus dat angelis et hominibus in statu innocentia; *b)* quidnam est quod angeli et homines in illo statu Deo reddunt.

---

(1) Homines in primordiis Ecclesiae universalis erant duo progenitores nostri: Adam et Eva in statu innocentiae, seu istitiae originalis.

46. Quoad primum, certum est quod Deus praeter intelligentiae lumen quod dat omni creaturae intellectuali Deus dat angelis et hominibus in statu iustitiae constitutis lumen fidei et gratiae, ut vivere possint ex fide, sicut congruit statui iustitiae, et praeterea gratias actuales necessarias pro exercitio fidei et bonorum operum quae vitam dant fidei, et sanctitatem perficiunt.

De eo autem quod angeli et homines in statu innocentiae et gratiae sanctificantis constituti Deo tribuebant argumentum indubbium habemus ex natura ipsius status: Nam recipiendo semen gratiae in corde bono et optimo retribuebant Domino sensus et actus pietatis, obsequia perfectae servitutis, et sacrificia laudis. Non est datum nobis nosse istorum sensuum et actuum naturam et formam in concreto: tantum asseri potest tales fuisse quales decebant pro eorum statu innocentiae ac sanctitatis.

47. Addendum autem eiusmodi actus religionis extrinsecos seu extrasubiectivos esse debuisse, cum essent opera socialia, et vincula societatis theocraticae. Et hic videri potest quoddam germen operis liturgici, seu sacrae liturgicae, cuius est instituere et tueri commercium supernaturale inter Deum et creaturas spirituales.

(Continuabitur).

PROPRIETAS LITERARIA

IMPRIMATUR

Fr. Albertus Lepidi O. P., S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Franciscus Faberj, Vicariatus Urbis *Adsessor.*

Augustus Zucconi, Director Domus editricis Desclée et Soc., Romae, *Sponsor.*

Ex Officina Polygraphica Latiali, Fratrum Tempesta, Via Boccaccio, 7 - Roma

Acta Sanctae Sedis
sacram Liturgiam spectantia.

S. CONGREGATIO RITUUM

VERAPOLITANA

DUBIUM.

Archiepiscopus Verapolitanus sacrae Rituum Congregationi pro opportuna declaratione haec quae sequuntur reverenter exposuit :

In loco Verapoly exstat Ecclesia Metropolitana, mater omnium ecclesiarum archidioecesis Verapolitanae, in qua tamen Religiosi Carmelitani Discalceati, qui ibi residentiam habent, sua officia et sacras functiones exercent, necnon et fidelium curae per verbi divini praeconium et admnistrationem sacramentorum deserviunt.

Hinc quaeritur : An in Ecclesia Metropolitana Verapoly Kalendarium regulare Ordinis Carmelitarum Discalceatorum servari debeat, iuxta decreta S. R. C. 4150 Ratisbonen., 27 ianuarii 1905 et 4252 Secovien., 22 aprilis 1910, vel Kalendarium Dioecesanum ab Apostolica Sede rite approbatum ?

Et sacra Rituum Congregatio, exquisita specialis Commissionis sententia, omnibus sedulo perpensis, proposito dubio respondendum censuit : Negative ad primam partem ; et decreta in medium allata non respiciunt ecclesias Cathedrales aut Metropolitanas : Affir-

mative ad secundam. Atque ita rescripsit et declaravit die 20 martii 1915.

ANTONIUS Card. VICO, S. R. C. *Pro-Praefectus.*
L. ✠ S.

† Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., *Secret.*

Commentarium.

Benemeriti Patres Carmelitae, qui zelo incensi animarum curam gerunt animarum Verapoli, in Indiis Britannicis, cuius etiam Cathedrali deserviunt, plus aequo S. R. C. decretis insistentes, et maxime decreto N. 4253, hoc argumento usi sunt: Decreta S. R. C. ius recognoscunt Religiosorum Familiis, quibus aliqua ecclesia ab Ordinariis concredita sit, ut in ea proprio calendario uti queant, in missis aliisque functionibus celebrandis; atqui nostrae Familiae Carmeliticae concreditum fuit servitium ecclesiae metropolitanae Verapoli, quasi Religiosi essent canonici, ergo divina officia celebrare possumus, iuxta nostrum carmeliticum calendarium.

Sed, et per consequens, addunt: Alio suo decreto N. 4150 S. R. C. declaravit, quod in ecclesiis Regularibus concreditis, non tantum ipsi Religiosi, sed et sacerdotes saeculares ibi celebrantes, imo et Episcopus, conformari se debeant calendario Familiae Religiosae, agitur enim de calendario ecclesiae; ergo, Missionarii Carmelitani inde arguebant, quod et ipse Archiepiscopus Verapolitanus sequi deberet, quando celebrat in sua Metropolitana, calendarium Ordinis, non vero dioecesanum.

Procul dubio, aliud est servitium praestitum in aliqua ecclesia a Sacerdote Religioso personaliter deputato, aliud servitium alicui Familiae Regularium concreditum; in primo casu ecclesia manet ecclesia saecularis, et per accidens aliquis religiosus in ea praestat servitium suum; in secundo vero casu, ecclesia, quoad servitium liturgicum, Regularis efficitur, ideoque calendarium respectivi Ordinis in ea est

adhibendum. Si aliter esset, continuo Regulares privatim divinum officium recitare deberent iuxta proprium calendarium; in ecclesia vero, quae sua non est, iuxta calendarium dioecesanum; missam celebrare, uti sacerdotes extra propriam ecclesiam; quod non intendit Ecclesia neque congruit cum antiqua consuetudine Romana. Romae enim habentur plures ecclesiae parochiales, quae a saeculis deserviuntur a Regularibus, et parochus ipse est Religiosus, et tamen in eis semper adhibitum fuit calendarium Ordinis, non vero Cleri Romani. Imo sunt parochiales quae deserviuntur a Cisterciensibus, a Dominicanis, a Carmelitis antiquae Observantiae, in quibus non tantum calendarium, sed etiam specialis ritus eorum servatur.

Huiusmodi consuetudo seu ius Regularium, apprime recognoscitur in multis S. R. C. decretis, sed maxime in decreto d. d. 15 dec. 1899, Urbis, N. 4051 ad II et III, in quo apertissime declaratur:

In ecclesiis alicui Familiae Religiosae concreditis, Sacerdotes exteri in illis celebrantes tenentur sequi calendarium eiusdem Familiae, si habeatur. Id tamen non est dicendum de ecclesiis, quae non Religiosae Familiae, sed tantum alicui personae privatae. etsi ad Familiam regularem pertinenti, commissae sunt.

In casu autem proposito, agitur revera de ecclesia alicui Familiae Religiosae concredita? Carmelitae Verapolitani id supponunt, sed non ita iudicavit Archiepiscopus, qui licet et ipse sit ex ordine Carmelitarum excalceatorum, nihilominus censebat quod citata decreta non essent applicanda ad ecclesias Cathedrales et Metropolitanas.

Et sane, huiusmodi ecclesiae matrices sunt et capita omnium ecclesiarum dioecesis. Ecclesia Cathedralis est reduplicative, ut ita dicam, ecclesia Episcopi, in ea ergo divina officia celebrari debent ab Episcopo et suo clero iuxta ritum suum, ac proinde iuxta calendarium dioecesanum; alioquin haberetur calendarium dioecesanum, sequendum in ecclesiis dependentibus, et non in Cathedrali.

Esto quod in casu nostro, de quo agit decretum, Cathedralis Verapolitana deserviatur a Patribus Carmelitanis, quia ecclesia Cathedralis, ex natura sua, pertinet ad dioecesim, non ad Ordinem. Quod si in Missionibus nonnullis licet iam ecclesiastica hierarchia, Deo adiuvante, sit rite constituta, et dioeceses canonice erectae, nihilominus, ob clericorum saecularium deficientiam, vel exiguum numerum, aliisque de causis, ut plurimum, non solum novae Cathedrales deserviuntur a Missionariis pertinentibus Ordini Regulari, cui Apostolica Sedes ab initio fidei praedicationem commiserit, illis in regionibus, sed et Episcopus eligitur ex alumnis ipsius Ordinis.

Hinc est, quod et in casu nostro, ecclesia Metropolitana Verapolis ministratur a Religiosis Carmelitanis, qui inibi residentiam habent, sacras functiones exercent, et fidelium curam gerunt, atque ipse Archiepiscopus assumitur ex ipso Ordine Carmelitico. Hoc tamen est *factum transitorium*, non *ius stabile et determinatum*, quia nunc ecclesia Veropolitana, est vera dioecesis ex sese, et bene potest ad ipsam cathedram Archiepiscopalem elevari sacerdos saecularis, vel ex alio Ordine; ergo ex natura sua ecclesia illa Cathedralis manet semper ecclesia saecularis, seu cum suo calendario dioecesano, quod in ea ab omnibus est sequendum.

Huic doctrinae adversari videtur usus ecclesiarum abbatialium, ius Cathedralium habentium, ex. gr. Montis Casini et Ss. Trinitatis Cavensis, in quibus Abbates cum suis monachis utuntur, non tantum calendario, sed et Breviario benedictino, dum clerici locorum iurisdictioni abbatiali subiectorum officium persolvunt more romano.

Attamen, si res bene consideretur, comparatio non valet; ecclesiae enim abbatiales, licet sint et Cathedrales per privilegium, eo quod Romani Pontifices Abbatibus concesserunt iurisdictionem in populo extra claustra, nihilominus ex ipsarum constitutione pertinent ad Ordinem, ideoque sunt Abbatiae benedictinae, in earumque ecclesiis abbatialibus adhiberi

debet calendarium et ritus, quo utitur Abbas cum suis monachis.

Non ergo in casu, de quo agit decretum nostrum, Archiepiscopus sequi debet calendarium Patrum Carmelitarum, qui in sua Cathedrali deserviunt, sed isti illius.

Quod si in citatato decreto N. 4150 Congregatio praescribit, ut et ipse Episcopus conformari debeat calendario ecclesiae Regularium in qua celebrat, res differt toto coelo, in casu enim agitur de ecclesia quae, respectu Episcopi, est quodammodo aliena, ideoque Episcopus ad eam pergens celebraturus celebrare debet missam ipsius ecclesiae, non vero missam proprio officio respondentem. Hoc faciunt ipsi Patres Cardinales passim celebrantes in ecclesis Regularium in die solemnitatis sancti Fundatoris; ex. gr. die 19 iulii, Cardinales in Urbe degentes, persolvunt officium s. Symmachi Papae, nihilominus qui Sacrum faciunt in ecclesia Ss. Trinitatis et Apollinaris dicta die, celebrant missam s. Vincentii a Paulo, et quidem propriam Congregationis Missionis, ad quam hodie pertinet dicta ecclesia. Pariter dicatur de missa quam celebrant die 2 augusti de s. Alphonso M. de Ligorio, non vero de s. Stephano, cuius ea die persolvunt officium.

Evidenter igitur non potest afferri dictum decretum in favorem Patrum Carmelitarum Verapolis. Concludendo itaque, dicendum est, quod revera in Cathedralibus adhibendum est Calendarium ipsius Cathedralis, non vero cuiusvis Ordinis qui per accidens illi deserviat, nullimodeque decreta S. R. C., ac praesertim N. 4150, applicari possunt Cathedralibus ecclesiis.

Ne autem Religiosi Carmelitani in casu, qui apud Metropolitanam degunt, in eaque sacras peragunt functiones, quotidie missam celebrare cogantur officio proprio non respondentem, facultatem postulare possunt, sequendi calendarium dioecesis, cuius Cathedrali deserviunt.

P. PIACENZA.

S. CONGREGATIO DE SACRAMENTIS

MELITEN.

Dubiorum circa Ordinariorum facultatem permittendi celebrationem Missae per modum actus.

In generali eminentissimorum ac reverendissimorum huius S. Congregationis Patrum Cardinalium Conventu die 20 mensis martii 1915 habito, sequentia dubia super Ordinariorum facultate permittendi celebrationem Missae per modum actus (« Acta Apostolicae Sedis » : *Romana et aliarum. Iurium.* Vol. IV, p. 725) proposita sunt :

I. An Ordinarii ex iustis et rationabilibus causis, servatisque de iure servandis, permittere possint per modum actus celebrationem Missae, domi, quocumque die?

II. An Ordinarii ex iustis et rationabilibus causis, servatisque de iure servandis, permittere possint per modum actus celebrationem Missae, domi, eorum favore qui domestici Oratorii indulto gaudent, etiam iis diebus qui in obtento indulto excepti sunt?

Et eminentissimi ac reverendissimi Patres, universis mature perpensis, respondendum censuerunt. :

Ad I. Affirmative.

Ad II. Affirmative, dummodo iustae et rationabiles causae aliae sint ab eis, ob quas concessum fuit indultum Oratorii domestici.

Quae responsa Ss.mus Dominus noster Benedictus Pp. XV in audientia habita ab infrascripto Se

cretario die 22 martii 1915 rata habere et confirmare dignatus est.

Datum Romae, e Secretaria huius S. Congregationis, die 22 martii 1915.

PILIPPUS Card. GIUSTINI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

ALOISIUS CAPOTOSTIP, Ep. Therm., *Secretarius.*

Commentarium.

Communiter uti notum est non licet celebrare missam nisi in locis sacris, nempe in ecclesiis consecratis, sive in ecclesiis seu oratoriis saltem benedictis. *Communiter* diximus, quia per indultum a Romano Pontifice concedendo, celebrari licet etiam in aliis locis, super aram viatoriam.

Quod autem attinet potestatem Episcoporum tribuendi facultatem pro missa celebranda extra ecclesias et in privatis domibus, non semper concordes fuerunt doctores: quamvis communis sententia cum s. Alphonso de Ligorio (VI, iij, 556) doceat « posse Episcopos in aliquo casu particulari ex iusta causa permittere, ut celebretur extra ecclesiam, in altari portatili ». Et postea (ibid. n. 559) addit: « nam Episcopi, licet hodie facultate careant permittendi ad sui libitum, ut in privatis domibus Sacrum fiat, quam olim habebant, sicut apparet ex *can. Missarum, dist. i de consecr.*, permitti dicitur celebrare in locis ab Episcopo consecratis, vel ubi ipse permiserit: et ex *can. Hic ergo,* in locis in quibus Episcopus proprius iusserit ».

Quod si Concilium Tridentinum facultatem huiusmodi Episcopis abstulerit, hoc est intelligendum, addit iam s. Ligorius « de licentia perpetuo celebrandi per modum habitus, iuxta facultatem quam Episcopi prius habebant: at minime est eis vetitum huiusmodi concedere licentiam per modum actus, pro aliquo tempore, si iusta adsit causa ».

Et citat Suarez, qui docet: « Facultas aech est per mo-

dum dispensationis: Concilium autem ab Episcopo non abstulit potestatem rationabiliter dispensandi, quam habet in huiusmodi rebus, maxime cum revera sit moraliter necessaria ». Et subdit: « Tandem usus hoc confirmat, quia fit sine scrupulo. In qua doctrina plurimi alii sunt Doctores summopere concordes ».

Quamquam enim accipi nequeat sententia illorum qui censent posse Episcopum dispensare in omnibus legibus canonicis, in quibus non est ipsi ab Apostolica Sede expresse reservata dispensatio, attamen s. Ligorius (ib. n. 359) docet, illam sententiam habere locum saltem in iis quae saepe accidunt, et dispensationem requirunt, vel si occurrat aliqua gravis utilitas.

Aliis verbis, videtur quod in casibus particularibus, gravi interveniente causa, Episcopus *directe* non dispensat a lege non sua, quod exorbitat a sua facultate, sed potius *indirecte,* declarans in casu determinato ad legem ipsam non teneri.

Itaque huiusmodi doctrina, quae suo tempore Benedicto xiv (*De Sacrif. Mis.* III, vj, 1) non videbatur esse admittenda, nunc per hoc solemne decretum ab Apostolica Sede opportunissime declarata et adprobata fuit.

Possunt ergo Episcopi, *rationabilibus causis, servatisque de iure servandis,* nempe iis quae a Rubricis Missalis et Decretis praecipiuntur circa missam, celebrationem *permittere per modum actus,* nimirum non per modum habitus, sed data occasione *celebrationem missae in domo privata,* et quidem *quocumque die.* Si *quocumque die,* etiam diebus in quibus ut plurimum non permittur missa extra ecclesiam vel in domibus privatis, nempe solemnioribus festis. Ex quo deducitur quoque alia declaratio, quod scilicet Episcopi possunt eamdem permissionem concedere, *iis qui privilegio gaudent Oratorii privati,* iis diebus qui in indulto pontificio excepti fuerint.

P. Piacenza.

Acta Academiae Liturgicae Romanae.

Die 10 februarii 1915 apud ecclesiam Ss. Trinitatis et S. Apollinaris Congreg. Missionis, habitus est conventus academicus, in quo Rev. Marcus Pala, *e Pontificio Seminario Lateranensi quaestionem enodavit:*

De loco mulieribus ac puellis in functionibus liturgicis assignando.

Post Censorum animadversiones, R. P. Ambrosius a Verona Ord. Min. Capp. *epitomen resolutionum fecit, ac postea unus ex Presbyteris Congr. Missionis pium sermonem habuit.*

IV.

Opilius, pro sua devotione, in festo B. M. de Rosario ecclesiam petit, in qua solemniter idem festum celebratur; cum non parva tamen sua admiratione videt quod in processione adsunt puellae quae deferunt vexilla quindecim, in honorem quindecim mysteriorum Rosarii, et permixtae pergunt cum clero; imo, finita processione, non tantum in presbyterium ascendunt, sed tali dispositione altare maius circumdant, ut populus conspicere nequeat sacros ministros et functiones quae celebrantur ad altare. Quia vero agebatur de ecclesia valde insigni, in qua, ut ferunt aliqui, diligentissime observantur leges liturgicae, quaerit:

1. *Quid tradunt sacri Canones et Congregationum Romanarum Decreta circa locum mulierum et puellarum in ecclesiis et processionibus?*

2. *Quid dicendum de vexillis, quae in processio-*

nibus adhibentur, qua forma esse debeant, quibusve ornamentis depicta?

3. *Utrum aliqua nova lex permittat quod mulieres aut puellae in presbyterio aliquando maneant, et quid dicendum in casu?*

Solutio.

Ad I. In ipso limine responsionis dicimus: quod *per se* mulieres in Ecclesiis degere debent in loco omnino a viris seiuncto: hac de re antiquae disciplinae rigor perceleber fuit. Tunc enim, non modo sola erat distinctio sexuum, sed cuique ordini Fidelium, Poenitentium, Catechumenorum, etc. competens locus assignabatur. Nec mirum, nam eadem invenimus apud hebraeos, qui mulieribus, viris et ministris locum distinctum assignabant: quae praxis accepta fuit a Christianis in eorum conventibus, quod satis deducitur quoque ex praecepto Pauli apostoli, iubentis mulieres in ecclesiis velatas manere; si velatas, multo magis a viris distinctas.

Hoc de origine legis huiusmodi, quae extitit a primordiis Religionis Christianae: et scimus quod antiquae basilicae tribus alis partitae erant, pro viris, pro mulieribus et pro clericis: et iuxta Crostarosa *(Basilica Liberiana illustrata)*, adhuc in eadem basilica conspici possunt foramina, in quibus anuli ad sustinenda velamina pro divisione sexuum, collocabantur.

Attamen rigor iste lapsu temporis emollitus est, quoddam autem vestigium superest huiusmodi disciplinae quoad presbyterium, quod a reliqua ecclesia separari debet omnino, per transennam et cancellos, ita ut, praeter eos qui altaris ministerio sunt addicti, aliis cuiusvis gradus, sexus et conditionis laicis, praeclusus sit aditus, eo praesertim tempore quo Sacra peraguntur. Quod convenit cum edicto s. Gelasii papae (492-96), qui post descriptum locum unicuique ordini fidelium in ecclesia proprium, haec habet (Ep. iij apud Mansi

Coll. Conc.): « ... in alio ecclesiae spatio stabant ceteri fideles laici, segregati a clericis », et Benedictus xiij (Conc. Rom., tit. xxij, 2), iuxta statuta Canonum, nedum expresse prohibet « intra presbyterium et altarium septa, dum missae ibi celebrantur, aliave divina officia persolvuntur, saecularium personarum cuiuscumque conditionis et sexus assistentiam, sed et contra inobedientes interdicti poenam ipso facto incurrendam comminatur ». Idem praecipiunt plurima S. R. C. decreta, nempe 175, 275, 1259, 1288, 1832, 1777, et praesertim illud d. d. 4 febr. 1600 in Compostellana in quo edicitur: *Non licere nec permitti debere laicis, dum divina officia in ipsa ecclesia peraguntur, in choro vel presbyterio stare vel sedere.*

Quo autem in loco stare debeant mulieres? En secunda pars primae huius quaestionis. Caeremoniale Episcoporum (I, v, 6) iubet magistrum caeremoniarum ut... *viros a mulieribus, cum commode fieri potest distinguendo et separando, operam det...* Quod semper fuit mens Ecclesiae. Et S. R. C. (18 dec. 1908) aperte declaravit mentem ipsam, nempe *mens est ut viri a mulieribus et puellis omnino sint separati,* et in alio decreto in Angelopolitana (17 ian. 1908) iam rescripserat, licere et permitti posse quod mulieres et puellae canerent in functionibus liturgicis, dummodo a reliquo populo non distinguantur, salva virorum a mulieribus separatione ubi laudabilis huiusmodi servatur consuetudo. Quae omnia nobis indicant, mentem esse quidem Ecclesiae ut viri in templis sacris a mulieribus sint distinctae, et hanc esse legem, eius tamen rigor non est nimis urgendus, ut verba demonstrant: *cum commode fieri potest,* de Caeremoniali Episcoporum, et: *ubi huiusmodi servatur consuetudo,* citati decreti. Nihilominus ut quisque videt, praeter esclusionem mulierum a presbyterio, et separationem a viris, nil pressius de loco statuunt, mitigata super hoc veteri ecclesiae consuetudine.

Quod autem attinet ad locum assignandum mulieribus et puellis in processionibus, Rituale Romanum (tit. IX j, 4)

habet: *Laici a Clericis, foeminae a viris separatae orantes prosequantur,* nil autem de loco praecise dicitur.

Et S. R. C. interrogata quo loco mulieres incedere deberent in processionibus (decr. 797), respondit: Rituale tantum iubet ut viri a foeminis sint separati.

Sequendae ergo sunt in casu consuetudines locorum ab Episcopis adprobatae, ita tamen quod locus dignior detur clericis. Locus autem dignior est ille in quo incedit Celebrans, sicque ante Celebrantem procedere debent digniores de clero saeculari, ante istum Regulares, Confraternitates saccis indutae, aliae associationes virorum sine sacco, et pueri; ante omnes viros et pueros, alicubi procedunt mulieres, et ante ipsas puellae. Post autem Celebrantem veniunt digniores ecclesiastici sine habitu sacro, et viri nobiliores vel magistratus, et postea, si qui sint, viri alii et denique mulieres, quae locum in processione ante clerum non habuerunt, dummodo semper maneant a viris distinctae.

Praecedentia enim in processionibus demetienda est a propinquitate Celebrantis, vel Ss. Sacramenti aut alicuius statuae Sanctorum quae defertur in processione. Qui praecedunt Celebranti, ita ordinantur, ut minus digni praecedant dignioribus; qui vero sequuntur Celebrantem, digniores praecedunt minus dignis. Ideo, mulieres quae partem occupant in processione ante Celebrantem, praecedere debent viris omnibus et pueris; illae vero quae partem occupant posteriorem processionis, sequi debent viros. Alicubi consuetudo est, quod mulieres semper sequantur viros post Celebrantem, nec umquam in parte anteriori ordinentur ante viros, usus locorum est observandus, iuxta mandata Episcopi.

Si vero praecedunt, saltem aliquo spatio separentur. Iamvero, vox *separati* iam indicat spatium; nullibi sane dicitur quod in processione clerici inferiores incedant separati a superioribus, sed utique quod incedant distincti. Hinc huiusmodi separatio debet haberi etiam inter laicos viros et clerum.

Ad II. Duo quaeruntur, de *forma* nempe, et de *orna-*

mentis Vexillorum quae in processionibus deferri valeant. Ad formam quod attinet, distinguenda sunt vexilla sacra quae in processionibus liturgicis requiruntur a Rituali, et illa quae adibentur, maxime hisce nostris temporibus, a Catholicis associationibus.

Vexillum illud, quod liturgicum quodammodo vocamus, iuxta Rituale (ibid.) debet esse *sacris imaginibus insignitum, non tamen factum militari seu triangulari forma;* vexilla vero pro dictis associationibus, alia forma sunt et possunt esse, et Episcopi ea non excludunt, imo et benedicunt.

Igitur in casu nostro agitur de vexillis Associationis Puellarum, ac proinde bene possunt construi vel rectangulari forma quae ab hasta pendeant, vel etiam triangulari quae pendeant a latere hastae ipsius. Ceterum benedicuntur vexilla militum quoque, et alicubi etiam vexilla Communitatum municipalium, cuiusvis formae sint, et data occasione admittuntur in ecclesiis; ideoque non sunt excludenda a processionibus vexilla benedicta, imo summopere commendanda, quia, uti notum est, valde desiderant iuvenes viri et pueri sub proprio vexillo procedere, ideoque hac de re, honesto desiderio debet parochus vel alio superior satisfacere.

Circa ornamenta autem vexillorum, notandum est quod S. Congregatio Inquisitionis die 3 sept. 1887 iussit...: « *non esse benedicenda vexilla..... nisi haberent aliquod Religionis signum, nullum autem emblema reprobandum* ». Decet tamen quod vexilla piarum associationum sacris imaginibus sint insignita, ad instar illorum quae a Confraternitatibus adhibentur; et benedici debent iuxta formulam in Rituali positam: nam eadem Congregatio Inquisitionis, praescripsit: « *non esse admittenda in ecclesiis* (et ideo *neque in processionibus*) *nisi vexilla Confraternitatum, et ea quae benedicta fuerint* ».

Ad III. Statim responderi debet, quod nulla lex nova permittit umquam, quod mulieres seu puellae in presbyterio consistant; antiqua et rigorosa lex, quam supra vidimus, quoad ingressum in presbyterium omnino adhuc servari debet. Sanctimoniales quidem in earum choro manent, ibique

divinum officium cantant, attamen chorus ille, qui retro altare, ut plurimum extat, vel ad latus eius, non constituit presbyterium, cuius vocabulum ex sese excludit praesentiam eorum qui clerici non sint. In sacris ergo functionibus, numquam mulieribus et puellis permittendus est accessus; permixtio enim et confusio clericorum cum laicis viris, si vetita est, uti vidimus, eo magis cum mulieribus, etiamsi agatur de puellis.

Permitti quidem potest ut mulier, vel puella (Cf. S. R. C. decr. 2745 ad 8, et 4015 ad 6) respondeat sacerdoti celebranti missam, extra tamen cancellos, vel longius ab altari, et sacerdos sibi vinum et aquam ministrare, et Missale transferre debet; nam foeminis accessus ad altare numquam permissus fuit (Lib. iij *Decretal.* II, 1, et Quarti II, ij, dub. 1). Ratio est, quia si moniales in proprio choro respondere possunt sacerdoti celebranti missam in cantu, eodem modo mulier vel puella, dummodo ad altare non accedat ministrans, bene potest repondere loco ministri. Aliud est enim respondere sacerdoti, quod pertinet tam clero quam populo qui viris et mulieribus constat; aliud ministrare ad altare Dei, quod est proprium Clericorum, aut virorum.

Quoad modum pergendi in processionibus, reprobandum est omnino quod puellae permixtae cum Confraternitatibus, et maxime cum clericis, incedant; processio enim est quodammodo continuatio functionis quae in presbyterio celebratur; si ergo in presbyterio puellae non admittuntur, nec in processionibus admitti possunt; ceterum id aperte reprobatur a decreto S. R. C. n. 397, in quo praescribitur « laicos non esse intermiscendos cum clericis », ergo a fortiori cum mulieribus.

Quoad vexilla quindecim in honorem mysteriorum Rosarii, nil dicendum videtur, dummodo ab Episcopo sint admissa, et ornamentis sacris insignita.

Reprobandum dein est prorsus quod puellis eadem vexilla gestantibus concessum fuerit altare maius circumdare, propter duo: primum, quia ad altare numquam accedere

debent, ut vidimus; secundo autem quia, dato et non concesso quod ad altare appropinquare potuissent piae puellae in casu, non tamen ita circumdare illud debuissent, *ut populus conspicere nequeat sacros ministros et functiones quae ad altare celebrantur.*

Finita erat quidem processio, ut dicitur in casu, non tamen functio expleta erat, ergo in presbyterio ascendere nullatenus poterant puellae, et in hoc graviter errasse dicendus est rector ecclesiae.

Ceterum curandum est, ut functiones sacrae ad altare peragantur, patenti modo, ideoque nedum puellae, ut in casu nostro, sed neque viri nec ipsi clerici ita altare circumdent, ut fideles facile sacros ritus conspicere queant, ad hoc enim functiones celebrantur ut a populo christiano videantur, et sic sensus pietatis excitentur.

Expositio Rubricarum.

In Novissimis Rubricis Breviarii.

Assertae diminutionis cultus Sanctorum in propriis dioecesani et maioris prolixitatis officii quotidiani

Confutatio.

In Constitutione « Divino afflatu », Summus Pontifex Pius X f. r. voluntatem suam fuisse declaravit, *ne recitatione integri Psalterii hebdomadae spatio conclusa, ex una parte quicquam de Sanctorum cultu decederet, neve ex altera, molestius divini officii onus clericis, imo temperatius, evaderet.* Cum vero in kalendariis tum dioecesanis, tum Ordinum Regularium, suppressa fuerint plurima festa Sanctorum, et cum de facto maius quam antea tempus insumatur in recitatione. quotidiani officii, multi de Clero passim conqueruntur dicentes, servatam non fuisse praefatam Pontificis voluntatem, neque in recognitione Propriorum, neque in ordinatione novi psalterii. *Decessit* enim non parum cultus plurium Sanctorum, quorum officia expuncta sunt, et onus officii quotidiani, si excipias Dominicas, *molestius evasit,* saltem quoad eius prolixitatem.

De bina huiusmodi assertione gratuita nobis est agendum, ut evidenter probetur, nullimode frustratam fuisse mentem Pontificis.

I.

De asserta diminutione cultus Sanctorum.

Procul dubio cultus Sanctorum, qui sunt solemniter canonizati, per totam Ecclesiam tribuendus est; attamen non de omnibus officium recitari potest, ut patet. Sunt qui-

dem in Kalendario universalis Ecclesiae plurima festa Sanctorum, sed quid est eorum numerus si referatur cum innumerabili multitudine Sanctorum, quorum nomina in Martyrologio inscribuntur, et eorum qui in locis particulariter venerantur? Ex eo ergo quod non omnes Sancti speciali festo recolantur, inde deduci nequit, quod illorum oblita sit sancta mater Ecclesia, quae supplet partim per festa particularia locorum, ad quae pertinent, et generaliter per celebrationem Solemnitatis Omnium Sanctorum.

Quod si revera ex Propriis Dioecesanis et Ordinum Regularium expuncta fuere plurima officia Sanctorum, nil contra mentem Pontificis Pii X actum est; siquidem, citata verba Constitutionis eius, intelligenda sunt de non minuendo cultu Sanctorum, qui celebrari *debent de praecepto* in tota Ecclesia; et reapse, nullum ex festis huiusmodi suppressum fuit, nulliusque ritus imminutus.

Reductum fuit quidem ad suum antiquum ritum duplicem 2 classis festum s. Ioseph die 19 martii, sed auctus fuit ritus ad 1 classem Solemnitatis eius post Pascha, eique data octava, quod certe non indicat cultus diminutionem. Suppressa sunt quidem duo festa *ad libitum,* tum s. Canuti, tum s. Remigii, sed relicta fuere *simplicia de praecepto,* quae dispositio, quod attinet ad s. Canutum, aequivalet ad quoddam augmentum cultus, nam antea, nisi celebraretur ritu semiduplici, officium eius penitus omittendum erat. Ergo revera nullum ex officiis Ecclesiae universalis abrogatum fuit, nulliusque ritus imminutus.

Sed et festa localia, quae revera sunt *propria,* non fuerunt abrogata: nam, inter officia quae paulatim inscripta sunt in kalendariis dioeceseon et Ordinum Regularium, aliqua sunt *propria* et *de praecepto,* et aliqua *particularia* quidem, sed ex mero *indulto* s. Sedis concessa (1). *Propria* sunt,

(1) Cum De Herdt (part. 4, n. 268, Reg. 3) observandum est, non omnia festa, quae sunt *particularia,* dicuntur idcirco *propria* esse.....

Iuxta enim probatos auctores (Cf. Guyet I, XIV, 2 et Cava-

ideoque *non facultativa* festa S. Patronorum, Titularium, et eorum qui vel nati, vel mortui sunt in loco, vel episcopi fuerunt, aut fidem invexerunt, aut habetur eorum Corpus vel insignis Reliquia, iuxta novissimas Rubricas (tit. II, n. 2, cf. nostrum Comment. nota 38); *Particularia* quidem, sed *non propria*, sunt festa, quae praesertim saeculo xix indulta fuerunt in levamen oneris clericorum, qui, loco officii ferialis prolixioris, brevius officium sanctorum recitare malebant (2), quin ad *Ecclesiam, vel locum, vel personarum coetum*

---

lerium II, decr. 121, n. 3), illi veri sunt sancti proprii, qui vel ortu, vel occubitu etc. particularem ad respectiva loca quandam habent attinentiam. Diversa tamen ratione est quoad officia, quae alicubi ex speciali recitantur indulto. Hoc probatur ex S. R. C. decreto d. d. 31 mart. 1821, sub n. 4581 ad 3 antiquae collectionis. Ad quaesitum enim: « An officia specialiter concessa patribus Congregationis Ss. Redemptoris, consideranda sint tamquam *Propria* Ordinis, ac propterea in paritate ritus sint praeferenda in occurrentia Sanctis, qui sunt in kalendario dioecesano, iuxta quod unaquaequae domus tenetur recitare horas canonicas? » S. R. C. respondit: *Negative*.

Et cl. Gardellini in nota ad hoc decretum haec habet: « Quoniam alumni Congregationis Ss. Redemptoris kalendario dioecesano uti debent (hodie non amplius), et officia particulariter ipsis concessa, vere propria Congregationis non sunt, quamvis improprie talia dicantur, quia ab iis tantummodo recitantur et non ab aliis, qui eodem kalendario utuntur, ideo ad propositum dubium S. R. C. respondit: *Negative*, quod idem est ac si dixisset: in occurrentia, ceteris paribus, praeferentiam dandam esse Sanctis, qui in kalendario dioecesano notantur. Aliud certe fuisset responsum si festa illa, quae in dubio *propria* dicuntur, ad eamdem Congregationem iure quodam pertinuissent, utpote Sanctorum, quos aluit, vel quorum regulam sequendam sumpsit ».

(2) Singularis est prorsus postulatio capituli Tudertini, quae legitur in S. R. C. decreto 16 maii 1902: « Etsi officia votiva ad ecclesiam universalem spectantia a Capitulo et Clero Tudertinae dioecesis recepta fuerint, haud pauci in kalendario perpetuo dies vacant, quibus DE DOMINICA VEL FERIA OFFICIUM RECITARI CON-

specialem rationem haberent, ut verba citatae rubricae utamur. Itaque cum officium feriale brevius evaserit, causa cessavit huiusmodi concessionum, et nulla ratio existit ut retineri queant praedicta officia *particularia* et *non propria*: ideoque indultum ablatum est, et sic frequentius locum habet officium feriale, quod est *praeceptivum*, ut cedant officia praedicta, quae non erant nisi *facultativa*.

Non est tamen ambigendum quod habebantur communiter in fere omnibus kalendariis dioecesanis et Ordinum Regularium festa nonnulla, quae, licet non essent de praecepto in toto orbe, de facto tamen fere ubique celebrabantur: verbi gratia, S. Familiae, Ss. Raphaelis et Gabrielis Archangelorum, s. Ioannis Nepomuceni, s. Rochi, et praesertim octo officia Instrumentorum passionis Domini, quae, uti aiunt aliqui, servari poterant maxime ob devotionem populorum.

Quod attinet ad festa S. Familiae, Ss. Gabrielis et Raphaelis, Ioannis Nepomuceni et Rochi, ob eorum universalitatem, forsan si in definitiva Breviarii et kalendarii universalis recognitione, Episcopi postulaverint a S. Sede, ipsa ad universalem ecclesiam extendi poterunt: modo tamen, ii, qui munus a sacra Congregatione acceperant recognoscendi et noviter ordinandi kalendaria particularia, festa praedicta retinere nequibant, nisi habuissent specialem relationem in locis; hoc enim iisdem praescripserat S. Congregatio.

Circa vero officia Instrumentorum D. N. I. C. de quorum abrogatione plurimi summopere dolent, nonnulla sunt adnotanda: 1° Ipsa sunt recentissimae institutionis, et pro aliquibus locis concessa, quin relationem specialem in locis habeant; 2° Ipsa impediebant quominus a Septuagesima usque ad Palmas (nempe per *octo continuas hebdomadas*) numquam

---

TINGAT, nimio cum onere praesertim parochorum et aliorum sacerdotum qui Sacramentum poenitentiae fidelibus debent ministrare ». Hisce de causis, tam mira sinceritate expositis, quaesivit Capitulum praefatum, non solum festa Omnium Ss. Pontificum Romanorum, sed et quam plurima festa Dominicis diebus assignata!....

integre psalterium recitaretur; quomodo ergo, mera *facultas* prohibere poterat renovationem antiqui ac salutaris *praecepti* persolvendi integrum psalterium in termino unius hebdomadae? 3° Quoniam erant recitanda in feriis determinatis, quotannis, nempe *perpetuo*, officium proprium cuiuslibet feriae VI quadragesimae impeditum manebat, quod est prorsus contra votum Ecclesiae. 4° Facile devotioni populorum erga Passionem Domini fit satis, in ecclesiis ubi ipsa vere vigescit, per celebrationem missae votivae ex indulto concedendae. 5° Huiusmodi officia confecta fuerunt, non iuxta leges ac traditiones acceptissimas Romanae Ecclesiae, quas perfectissime servavit divus Thomas, in constructione officii Ss. Sacramenti, in multis enim uti iam notavit P. Aloysius a Carpo (*Bibliot. Lit.* II, 33) sunt errata (1).

---

(1) Si excipias officium *Commemorationis Passionis,* in quo non alius error invenitur, nisi quod capitula ad Sextam et Nonam, non sunt deprompta ex eodem capite libri sacri, in aliis partibus, maxime in pulcherrimis responsoriis, non parum est laudandum, cetera officia plus minusve erroribus scatent permultis.

Officium *Orationis*, habet capitula deprompta ex Evangelio, et quidem non ex eodem; iuxta vero legem constantem Romani Breviarii (quae nonnisi in praedicto officio et in recentissimo S. Familiae inobservata videtur) capitula desumenda sunt ex Epistola missae (Cf. Gavantum *de capitulis,* n. 2. Guyet III, 6 et 9, nostras Praelectiones n. 87-88); atqui sicut Epistola sumi nequit ex Evangelio ita nec Capitula in officio. Responsorium I et III, male constructa sunt, non enim congruit secunda pars cum prima; antiphonae VII, VIII, et IX in Matutino sunt psalteriales, non tamen ex proprio psalmo depromptae; psalmi autem non ordinatim sibi sequuntur, nempe: 16, 27, 141, 42, 63, 120, 3, 12 et 87, imo duo ex ipsis 120 et 141, sunt psalmi vespertini.

Huiusmodi malam ordinationem psalmorum invenimus quoque officiis *Flagellationis*, *Sindonis*, et *Quinque Plagarum*. Capitula non ex eodem loco Scripturarum habentur in officiis *Coronae Spineae*, *Lanceae* et *Clavorum* ac *Quinque Plagarum*. Antiphonae psalteriales proprio psalmo non impositae occurrunt in officiis *Flagellationis*, *Lanceae* et *Clavorum* et *Sindonis*. Habent non quatuor, vel

Hisce ergo ex rationibus, consultum fuit huiusmodi officia abrogare; quod si alicubi habeatur unum ex Instrumentis Passionis Dominicae, fiet locus postulationis et concessionis festi in eius honorem, iuxta litteras Innocentii vj, quae leguntur in officio Lanceae et Clavorum, nempe: « Dignum et conveniens reputamus si de Passionis specialibus Instrumentis, *et praesertim in partibus in quibus Instrumenta ipsa dicuntur haberi,* solemne et speciale festum celebretur et fiat, nosque illos fideles Christi, qui aliqua ex Instrumentis ipsius se gaudent, in eorum devotione divinis officiis atque muneribus specialibus foveamus ». In locis vero ubi haec sacra pignora non adservantur, Clerus contentus sit, suae devotioni erga Christi Passionem satisfacere per recitationem officii ferialis quadragesimae, quod aptissime facit ad rem.

Idem dicendum de aliis *officiis, ex. gr. B. M. de bono Consilio,* cuius festi denominatio, non aliam memoriam recolit nisi apparitionis cuiusdam imaginis in provincia romana, et nihilominus romanus clerus eius Officium numquam celebravit; et circa officium Translationis Domus Lauretanae notandum est, quod retentum fuit in kalendariis totius provinciae Picenae, eo quod illius provinciae erat *proprium;* non vero alibi, ceterum, sciendum est etiam, quod inter officia *pro aliquibus locis* in correctione Breviarii sub Benedicto xiv abroganda, habebatur quoque Translatio almae Domus.

Nil dicimus de festis secundariis quae in determinatis Dominicis assignata erant, Puritatis B. M. V., Maternitatis, Patrocinii, de Succursu, de Gratia, de Suffragio, de Consolatione, Matris boni Pastoris, etc. etc., quae maxime in men-

---

quinque ad summum, versiculos, iuxta constantem traditionem Romanam, sed *novem*, officium *Flagellationis*, et *septem* officium *Quinque Plagarum*, et male ordinatos officium *Coronae Spineae;* responsoria tandem, exceptis illis supra laudatis in officio de *Passione*, rarissime apte e congruenter in istis officiis sunt proposita, iuxta eximii Elisarchii regulas, qui tempore Ludovici I responsoria emendavit.

sibus augusti, septembris et octobris, omnes Dominicas impediebant. Opportunissime abolita sunt, sicque antiquus honor diei Dominicae restitutum.

Notandum est etiam, quod ultimis nostris temporibus, plurima festa Beatorum celebrabantur in locis non propriis, ex. gr. b. Iulianae Corneliensis, Margaritae Alacoque, beati Gregorii x, Eugenii iij, Benedicti xj, Innocentii v, et Urbani v, ut taceamus de aliis plurimis; quorum celebratio continenda erat intra limites ab Alexandro vij praescriptas; cultus enim Beatorum est tantum facultativus, et solummodo certis in locis vel ecclesiis vel Ordinibus Regularium reservatus; ex hoc quoque capite lugenda non est suppressio huiusmodi officiorum.

Nullum ergo officium Universalis Ecclesiae expunctum fuit e kalendario, ideoque ex hac parte rigorose observata est mens Pontificis reformatoris, *ne* scilicet *quicquam de Sanctorum cultu decederet.*

Doctores omnes melioris notae, qui de divinis officiis scripserunt, semper conquesti sunt de nimia quantitate festorum, quae in kalendariis inducebantur. Gregorius xiij, immediatus Pii v, successor, in sua Constitutione *Pastoralis officii cura,* d. d. 30 dec. 1573, inm conqueri coeperat, quia ob plurima festa Hispaniae concessa « sequebatur ut officium maioris partis feriarum omitteretur, et ordo Breviarii fere subverteretur ». Gavantus, qui obiit anno 1638, ideoque nondum creverant sicut in diebus nostris festa Sanctorum, tamen ad rem scribit: (Sect. 3, c. 3, n. 5): « Videant Episcopi, ne pluritate festorum fiat iniuria officio feriali ». Guyetus qui anno 1658 opus suum edidit (L. 1, c. 1, q. 19) loquitur « de notabili detrimento, quod infertur officio de Tempore, ex ingenti illa festorum coacervatione, quam eo usque demum aliqui promovent, ut vix locus ullus, aut certe exiguus admodum, feriis supersit ». Eadem verba sua facit Meratus (sect. 7, c. 1, n. 5).

Cavalerius vero, qui scripsit anno 1743-48, eo nempe tempore quo dies liberae per annum adhuc erant 103 (T. 1,

c. 6, n. 1) ait: « Festorum prurigo multorum de Clero tam saeculari, quam regulari, animos ita pervasit, ut nihil optent, nisi fere vehementius ambiant, quam abactis procul omnium feriarum officiis, continuis ac prope quotidianis festis indulgere, opinantes sibi et Religioni magnum augmentum et ecclesiae suae vel Ordini splendorem accivisse, si corrogatis undique opportune, importune Sanctis, confertum et coagmentatum atque supereffluens kalendarium proprium compegerint. O quam vereor ego, ne specioso pietatis praetextu, in istis se tegat innatum plerisque in divino officio brevitatis sollicitandam studium! »

Sed et ipsi Summi Pontifices easdem lamentationes manifestarunt, Gregorius xiij supra citatus, iam vidimus quid solemniter edixit hac de re; Clemens vero x, licet ut notat Guéranger (1), plurima festa duplicia in kalendario univer-

(1) Clarissimus D. Guéranger, qui sub Pio IX anno 1856 (Cf. Baumer part. III, c. 13) unus fuerat ex consultoribus in commissione pro revisione Breviarii, ad rem nostram ita libero calamo scribit (*Instit. liturg.* II, p. 98): « Par ses nombreuses additions au Calendrier, Clément X peut être considéré comme l'auteur d'une veritable révolution liturgique. Jusqu'a lui, on, avait admis de nouveaux Doubles qu'avec modération afin de sauver la prérogative de Dimanche, et les Semidoubles mêmes n'avaient créés que en petit nombre; ce Pape dérogea à cette règle d'une manière si solennelle, qu'apres lui la plupart (imo ab anno 1769 nullum festum semiduplex inductum fuit, nisi s. Ioannis a Capistrano sub Leone xiij) des offices qu'on établit l'ont été du rite double; ce qui a changé définitivement la face du calendrier romain »: Et Baumer (p. 3, c. 9, pag. 296) addit: « Comme les fêtes devenaient peu à peu prépondérantes, l'office du Dimanche, à l'exception de l'Avent et du Carême, devait très souvent leur céder le pas. De plus, fort souvent, la semaine se trouvait entièrement ou en grande partie si bien remplie par les fêtes transférées qu'il était, la-plupart du temps, impossible de réciter tout le Psautier dans les heures canoniales ».

Notatu est dignum, quod Benedictus xiv in suo non brevi pontificatu, nullum unquam novum festum in Kalendario Universalis Ecclesiae induxit; nil aliud in Breviario novi molitus est, nisi qualitatem Doctoris concedendo s. Leoni I Papae.

sali induxisset, suo tamen decreto 20 iunii 1671 statuit, « ne per quinquaginta annos verbum fiat de concessione novorum officiorum ». Similiter Clemens xj, decreto 14 maii 1714 eamdem innovavit prohibitionem.

Item Benedictus xiv, qui (De Canon. Ss. IV, p. 2, vj, 6) improbat immodicam festorum concessionem quae « disciplinae ecclesiasticae non admodum consona videtur » explicite (l. c. n. 11) principium tradit pro concessione festorum ad Universam Ecclesiam; nam, cum adhuc ipse esset Fidei Promotor, postulata fuerat extensio officii S. Silvestri Ab. monachorum Silvestrinorum fundatoris, at ille, in suis animadversionibus, cum proposuisset: « religionem ab eo fundatam non egredi terminos Italiae, Ordinemque vigere in Marchia Anconitana, Umbria, Tuscia, et habere dumtaxat monasteria viginti quinque, in quibus habitant monachi circiter trecenti, ita ut absonum quodammodo videri posset, obtentu fundationis Religionis, ad Ecclesiam universam extendere »; Apostolica Sedes postulatam concessionem negavit. Eadem ex causa in correctione Breviarii sub ipso Benedicto xiv, Commissio pontificia proposuerat, nonaginta et unius festorum expunctionem; ut saepius per hebdomadam feriale officium recitari potuisset (1).

(1) Cl. Roskovàny (*Coelibatus et Breviarium* V, pag. 584) notat quod congregatio a Benedicto xiv creata pro Breviarii reformatione, anno 1741 sequentia festa e kalendario expungenda proposuerat: nempe: « Ss. Nominis Iesu, Canuti, Raymundi de Pennafort, Scholasticae, VII Dolorum B. M. V. in quadragesima, Casimiri, Vincentii Ferreri, Soteris et Caii, Apparitionis s. Michaelis, Antonini Ep., Ubaldi, Venantii, Gregorii VII, Magdalenae de Pazzis, Iulianae de Falconeriis, Aloysii Gonzagae, Leonis pap. II, Comm. s. Pauli, Anacleti, B. M. de monte Carmelo, Alexii, Inventionis s. Stephani, Hyacinthi, Raymundi nonnati, Laurentii Iustiniani, Ss. Nominis Mariae, Stigmatum s. Francisci, Ianuarii et soc., Eustachii et soc., B. V. de mercede, Wenceslai, Ss. Rosarii B. M. V., Dionysii et soc., Francisci Borgiae, Hedvigis, Andraeae Avellini, Didaci, Gertrudis, Elisabeth vid. Ioannis a Cruce, Catharinae V. et M., Bi-

Notandum est tamen, quod tempore, quo Lambertinius et Cavalerius scripserunt, in universali kalendario non habebantur nisi 189 officia ix lectionum; quid porro nunc dicerent in eodem kalendario videntes ad 236 ascendisse eorum numerum? Imo, quid dicerent si prae oculis haberent kalendaria quamplurium dioeceseon, quae usque nunc in usu fuerunt, et praesertim kalendaria basilicae Lateranensis, Ordinis Fratrum Minorum, et dioecesis Bononiensis (1), in quibus fere nulla sedes libera habebatur?

---

bianae, Petri Chrysologi, Eusebii Vercellensis; nempe festa novem lectionum numero 46: insuper 39 simplicia, et nonnulla pro aliquibus locis, scilicet Desponsationis b. Mariae, Expectationis partus, Patrocinii, et Translationis Domus Lauretanae, Margaritae Cortonensis, Felicis a Cantalicio, Rosae Viterbiensis, in totum festa nonaginta unum.

Procul dubio, si iidem Consultores nunc viverent, multa festa eiusdem dignitatis expungere proponerent, ex illis, quae post Benedictum xiv Ecclesiae Universali concessa fuerunt. Eiusmodi, nostro iudicio arguendo a pari, forent Martinae, Andreae Corsini, B. V. de Lourdes, Perpetuae et Felicitatis, Patricii, Ioannis Damasceni, Ioannis a Capistrano, Hermenegildi, Iustini M., Georgii, Fidelis a Sigmaringa, Petri M., Catharinae Senens., Stanislai Ep. et M., Nerei et Soc., Paschalis Baylon, Bernardini Senens., Augustini ep., Francisci Caracciolo, Bonifatii Ep. M., Margaritae Reg., Ioannis a s. Facundo, Paulini ep., Cyrilli et Methodii, Elisabeth Reg., Henrici Imp., Ioannae de Chantal, Rosae Limanae, Stephani reg., Nicolai de Tolentino, Ioseph a Cupertino, Thomae a Villanova, Birgittae Vid.. Eduardi reg., Ioannis Cantii, Ioannis a Cruce, Silvestri ab., et Thomae Cantuar., nempe 38.

(1) Kalendarium dioecesis Bononiensis anno 1094 non habebat dies liberos ab officio ix lectionum nisi quatuor mense Aprili, ita ut, quando inducta fuerunt festa B. M. de Lourdes, Ss. Perpetuae et Felicitatis, ac s. Paulini, una tantum remanserit. Quam nimis grandem congeriem festorum lamentabatur Cardinalis Svampa Archiepiscopus, et nobis ipsis manifestavit mentem suam respuendi plurima festa, quae cum sua dioecesi nullam prorsus relationem habebant; attamen morte interceptus, desiderium eius impletum ex-

Attamen, dicet aliquis qui huiusmodi sanctorum expunctiones deplorat, licet nullum ex festis Universalis Ecclesiae fuerit expunctum, nihilominus in particularibus kalendariis nonnulla ex ipsis ritu simplici sunt modo recolenda, quando occurrunt eadem die cum sanctis propriis, uti ex. gr. pro Clero Romano s. Vincentius a Paulo die 19 iulii, et s. Alphonsus de Ligorio die 2 augusti, qui non amplius habent nisi commemorationem. Ergo saltem ex hac novarum rubricarum applicatione, cultus plurium Sanctorum aliquod detrimentum passus est.

Sed contra, ad rem haec sunt animadvertenda prout scripsimus in nostro Commentario ad novissimas Breviarii typici Rubricas, nota 53. Inter vota, circa emendationem breviarii, in Vaticano concilio exhibita, illud quoque fuit, ut e

---

stitit. Suus tamen successor, Iacobus Della Chiesa, hodie BENEDICTUS XV feliciter Petri Cathedram tenens, statim ac prodiit Constitutio « Divino afflatu », eiusque Rubricae declaratae, adhibitis studiis virorum in rebus liturgicis et historicis peritorum, qui Bononiae nunquam defuerunt, recognitionem proposuit Bononiensis Kalendarii, quod uti ipsemet scripsit S. Rit. Congregationi, *ea tantum festa retinuit quae ad dioecesim attinent,* et non solum cetera non propria expunxit numero 100, sed etiam duo, nempe s. Basilii episcopi et Ss. Hermetis, Aggaei et Caii, qui bononienses fuisse censebantur, sed eorum existentia prorsus nòn comprobatur. E contra duo nova festa induxit, qua a bononiensibus merito sunt recolendi. Nos ipsi, ex summa benignitate tanti Archiepiscopi, omnino extranei non fuimus in huiusmodi recognitione, eiusque nomine illam exhibuimus Rituum Congregationi, quae in omnibus admisit et adprobavit. Iure ergo in epigraphe quam proposuimus nostro : *In Novissimas Rubricas Breviarii Romani Commentario,* Pontifici dicato, scribere potuimus :

BENEDICTIO XV PONT. MAX. – QUI ECCLESIAE BONONIENSIS ANTISTES - FUIT UNUS EX EPISCOPIS – NOVAE BREVIARII REFORMATIONIS – PRIMIS INTRODUCTORIBUS – NOVUMQUE PROPRIUM DIOECESANUM – PRAESCRIBENTIBUS – AUCTOR PLAUDENS EX ANIMO – HUMILLIME DEDICAT.

medio tollerentur nimis frequentes translationes sanctorum (Cf. *Coll. Lac. concil.* t. VII, p. 874). Leo xiij partim voto ipsi satis fecit, per decretum suum *Nullo unquam*, diei 28 iulii 1883, quo accidentales translationes semiduplicium et duplicium minorum, exceptis doctoribus, abrogavit. Nunc autem, non tantum ut praedictum votum vaticanum, nec non et recentiores supplicationes Episcoporum plenius exaudirentur, sed et desiderium suum proprium adimpleretur, S. Pont. Pius x statuit, ut deinceps, duplicia sive minora sive maiora, et semiduplicia, etiam perpetuo impedita, reponi amplius nequirent, sed tantum in sua die commemorentur.

Neque quis dicat hoc modo penitus aboleri festa Sanctorum perpetuo impedita a nobiliori festo; etiam antiquitus, quando scilicet dabatur repositio duplicium maiorum et minorum, ac semiduplicium, *festum* sancti impediti in sua die remanebat, et ulterius non transferebatur nisi *officium*. Sit exemplum: Romae die 19 iulii celebratur *festum* s. Symmachi papae confessoris, et *officium* s. Vincentii a Paulo die 27 eiusdem mensis antea recolebatur, attamen fideles romani, qui venerantur hunc sanctum omnium operum charitatis patronum, *festum* eius celebrabant sua die 19, licet *officium* recitaretur a clero in die reposita. Quapropter, hodie etiam, post huiusmodi officiorum repositionem ablatam, melius obtinentur duo bona, quae in celebratione festorum et officiorum sibi proponit Ecclesia.

Primum bonum est, ut populus christianus sanctos colat, eosque roget, eorumque patrocinium imploret; quod nunc melius, quam antea, obtinetur; nam prius, de sancto cuius *officium* transferebatur, nihil in sua die fiebat, nec ipsa commemoratio, nunc vero et in officio et in missa optime commemoratur, ideoque populus in propria sua die *festum* celebrans sancti impediti, audit in officiis et in missa nomen ipsius. Adde quod iuxta novissimas rubricas, quilibet sacerdos potest missam privatam de sancto commemorato celebrare.

Secundum bonum est, ut clerus in recitatione officii,

exemplis erudiatur illius sancti, de quo officium recitat, maxime per lectiones historicas. Enimvero, si res bene consideretur, ut plurimum sancti quorum abrogata est repositio, in officio non habent proprias nisi lectiones et orationes; paucissimi enim sunt sancti cum officio proprio, qui transferri non possunt; reliqua omnia sunt de communi; ergo clerus, non amplius recitans officium translatum de aliquo sancto, amittit tantum partes de communi, quas centies dicit et repetit per annum; dum orationes et lectiones historicas proprias recitat, et quidem in sua die; ergo non sunt audiendae querimoniae illorum, qui lamentantur omissionem officiorum sanctorum qui non amplius transferri possunt.

Qui ergo Romae conqueruntur abrogationem repositionis perpetuae officiorum, eo quod officia, praesertim s. Vincentii a Paulo praedicti, ac s. Alphonsi de Ligorio aliorumque, non amplius recitantur in repositis diebus ut antea, videant e contra, an conditio venerationis sanctorum huiusmodi Romae hodie in melius versa non fuerit; nam de iis, in sua propria respectiva die, in qua revera populus festum concelebrat, agitur saltem commemoratio, imo et missa ad libitum sacerdotis celebratur.

Notandum est insuper, quod sub Leone xiij, de duplicibus minoribus et semiduplicibus, quando accidentaliter impediebantur, nihil prorsus agebatur in duplicibus I classis, dum in huiusmodi festis, si occurrisset dies octavus etiam duplicis 2 classis, de eo agenda erat commemoratio; hodie vero, tam in occurrentia perpetua, quam in accidentali, in duplicibus I classis, exceptis festis primariis Domini universalis ecclesiae, fit commemoratio tam de duplici maiori et minori ac semiduplici simplificato, quam de die octavo ritus duplicis. Quod si commemoratio prohibetur in festis Domini primariis duplicibus I classis Universalis Ecclesiae, nempe in Nativitate et Epiphania, in Paschate et Pentecoste cum duobus diebus sequentibus, in festis Ss. Trinitatis et Corporis Christi, adnotari debet quod duo priora festa sunt *fixa*, reliqua *mobilia*, quapropter in Nativitate et in

Epiphania impossibilis est occursus alicuius festi proprii, ideoque perpetuum impedimentum non datur, ita ut de aliquo officio neque commemoratio umquam fieri possit; quod si in reliquis festis solemnioribus Domini, quae *mobilia* sunt, commemoratio sit prohibita, parvum incommodum huiusmodi prohibitio secum portat, quia, ut patet, solummodo aliquo anno de eodem sancto non fit memoria ».

Nullum ergo detrimentum passus est cultus Sanctorum, quoad festa universalis Ecclesiae et illa quae in locis sunt *propria*.

II.

Officium molestius Clericis non evasit.

Dicunt aliqui quod officium divinum, post reformationem eius a Pio Pp. x praescriptam, ab maiorem eius prolixitatem molestius evasit; si enim excipitur officium Dominicale, quod revera abbreviatum fuit, reliqua officia ix lectionum, non parum prolongata sunt.

Ad hanc gratuitam assertionem explodendam, sufficit operatio arithmetica. Et sane, si animadvertas, in novo Breviario Lectiones, Capitula, Hymni, Versus, Orationes et Responsoria, mutata non sunt, maior ergo vel minor prolixitas officii quotidiani pendet a Psalmis; si ergo tu simul accipis summam versiculorum, quibus constant Psalmi, qui recitabantur in antiquo, et qui recitantur in novo, clarissime apparet, officium hodiernum brevius evasisse.

Officium brevius, quoad numerum versiculorum in Psalmis, quod habebatur in romano Breviario, est Commune Confessorum non pontificum; nam Commune Martyrum habet Ps. *Credidi*, et Pontificum Ps. *Memento* in II Vesperis; porro ut ex sequenti tabella (1) apparet, nullum ex officiis

(1) Prospectus comparativus in quo traditur numerus versiculorum, quibus psalmi constant in qualibet hora canonica, tam in novo psalterio, quam in communioribus officiis breviarii Pii V.

ferialibus novi Psalterii numerum attingit versiculorum in Psalmis qui numerantur in dicto communi Confessorum non Pontificum.

Si vero attendatur: 1° quod Antiphonae novi Psalterii breviores sunt, quam Antiphonae in Communibus: 2° quod in officiis ritus semiduplicis hodie dicitur unum tantum suffragium: antea vero quinque vel sex: 3° quod omittuntur hodie Suffragium ipsum, Preces et Symb. *Quicumque,* quoties commemoratur aliquod duplex: ex his et aliis minoribus abbreviationibus, quae in nostro computo negligendae

Horae Canonicae	In novo Psalterio							In Breviario Pii V		
	Dominica	Feria ij	Feria iij	Feria iv	Feria v	Feria vj	Sabbatum	Dominica	Commune Apostolorum	Commune Confessoris
Matutinum . .	87	127	115	109	110	125	134	287	119	92
Laudes.	56	43	56	54	63	63	56	76	76	76
Prima	61	26	23	29	29	34	37	112	39	39
Tertia	48	32	24	34	28	28	29	48	48	48
Sexta.	48	31	30	38	24	20	36	48	48	48
Nona.	48	36	28	33	22	50	30	48	48	48
Vesperae . .	62	40	32	46	52	58	40	62	55	37
Completorium	30	28	26	30	33	36	41	38	38	38
In totum. .	440	362	334	373	361	414	403	719	471	426

Ex quo prospectu apparet, quod hodiernum officium dominicae, habet 279 versiculos psalmorum, minus quam antiquum; et per hebdomadam, officium hodiernum brevius est, quam officium Confessorum non pontificum, quod, ut diximus, omnium contractius est ex Communibus breviarii Pii V.

non sunt, probe patebit non parum decurtatum fuisse quotidianum officium.

Idcirco, aliud est dicere, quod hodie, cum debeamus legere quotidie diversos et novos Psalmos, qui antea vel numquam vel rarissime occurrebant, in recitatione quotidiani officii aliqua minuta temporis insumimus, plus quam antea, quando memoriter recitabantur Psalmi; aliud dicere quod officium ipsum prolixius evaserit.

Ad rem pius quidam Canonicus aiebat, hodie maiori cum devotione, et etiam cum maiori fidelium aedificatione, officium divinum recitatur in choro, quia psallentes oculos in libro defixos tenere debent non vero vagantes, quomodo antea passim naturaliter faciebant, qui memoriter Horas recitabant.

Adde quod officium dominicale et feriale, temporis quadragesimae, et praecipue in Dominica *in Albis*, quibus temporibus magis occupati sunt sacerdotes, multo est abbreviatum; adde etiam, quod in recognitis kalendariis dioecesanis, numerus percrebuit dierum in quibus dicendum est officium trium lectionum; quibus omnibus consideratis concludendum est realiter officium quotidianum prolixius non esse quam antea, ideoque, in hac quoque parte, voluntas Pontificis finem suum attigisse dicenda est, non enim *molestius divini officii onus clericis, imo temperatius, evasit.*

Itaque, clerici ad horas divini officii persolvendas adstricti, magis studeant novissimam Breviarii Romani reformationem, et clarissime eis patebit, quod per reformationem ipsam satis factum est tot votis, non tantum sapientium virorum a Benedicto XIV et Grancolas, usque ad Guéranger, Cabrol et Batiffol, sed et Patrum Concilii Vaticani.

Contra querimonias ergo aliquorum, qui sacrae antiquitatis studiis parum vacarunt, stant elogia quamplurima a doctis et piis viris promulgata, et gratiarum actiones plurium Episcoporum ad Pontificem Pium X prolatae; pro omnibus referre hic iuvat, quae scripsit citatus Batiffol in gallico

diario, cui nomen *La Croix* (28 dec. 1911), statim ac exivit Constitutio « Divino afflatu », nempe:

Post reformationem Breviarii a Pio v inductam, novam ac meliorem excogitare Pius x non poterat, quae est problematis solutio, de qua Benedictus xiv aliquando desperaverat: solutio, inquam, quae Officia de Tempore instaurat, quin minuat Officia Sanctorum: solutio, ut ita dicam, audax, elegans, et Deo adiuvante definitoria.

Offeramus ergo *hostiam laudis semper Deo, idest fructum labiorum confitentium Nomini eius,* dignam, attentam ac devotam divini officii recitationem, atque humili subiectione accipiamus a Iesu Christi Vicario, novam divinarum laudum dispositionem, ut omnia sint et fiant a nobis ad maiorem Dei gloriam, ed ad nostram sanctificationem.

Dr. Petrus Piacenza.

Archaeologia Liturgica.

De osculo pedum Romani Pontificis.

(Continuatio. Vide num. 3 curr. anni, pagg. 47-50).

ARTICULUS II.

1° *De origine et primo in Ecclesia usu osculandi pedes.* 2° *De osculi pedum frequentia in excipiendis et honorandis viris dignitate ecclesiastica vel sanctitate insignibus.*

I. Usus osculandi pedes in testimonium affectus, venerationis et dependentiae, non aliam originem habet in Ecclesia ac eam, quam habuit in Veteri Testamento.

Adoratio, seu pedum osculatio, a populis ad diversos animi affectus, potissimum ad cultum sive civilem sive religiosum exprimendum adhibita fuit; quapropter non tantum apud populum Domini, sed etiam apud gentes usurpata reperitur. Scriptores de ea loquuntur veluti de caeremonia in Persia magis frequentata, at nihilominus satis communis fuit et in aliis Orientis regionibus, nec a romanis moribus aliena reputatur. In quibusdam enim romanorum imperatorum vitis et de hac caeremonia mentio occurrit, veluti de honore ab ipsis exquisito, vel ab iisdem repudiato. Addendum quoque est, non solum romanos gentiles, sed etiam christianos, Graecorum Augustos, imo et Latinos Reges et Principes hoc obsequium quandoque, uti quaedam probant monumenta, exegisse (1).

---

(1) THOMASSINUS: *Vetus et nova Ecclesiae disciplina* etc.; part. II L. III, cap. 64, n. 12. Neapoli 1772, T. II, pag. 358. — LUPUS CHRIST.: *Synodorum Generalium ac Provincialium Canones et Decreta*: *S. Gregorii Pont. Dictatus*, Can. IX, Venetiis 1725, T. V, pag. 195. — CENNI: *Dissertazioni;* Diss. VI, Pistoia 1728, T. I, pag. 184.

Fatendum tamen est, hoc obsequii genus suapte natura maxime esse accommodatum ad venerationem et ad dependentiam profitendam, et forsan ob hanc rationem eius usus late vulgatus fuit.

Ecclesia, quae plura a natura proferta, sua consecratione sublimavit et ad divinum cultum addixit, hoc quoque obsequium, ad cultum sacrum viris dignitate hierarchica praeditis vel peculiari sanctitate fulgentibus tribuendum, assumpsit ac usu et destinatione sacravit.

Quod protestantes hunc honorem Summo Pontifici exhibitum reprehendant, numquam revera extitit. Ipsi putarunt, Catholicos simplici homini cultum quasi divinum tribuere intendisse.

Ast tota historica huius obsequii evolutio testatur, quam laudabilis et venerabilis fuerit eiusdem usus et frequentia. Honorem enim, non in simplicem hominem, sed in Deum terminari semper intellexerunt Catholici. Ipsa ecclesiastica documenta, quae factum testantur, facti quoque rationem manifesto aperiunt.

Primus huius obsequii usus, qui nobis ex historicis documentis occurrit, non aliam significationem habet, quam eam, quae ex Evangelio in Mariae Magdalenae poenitentis ad pedes Domini lacrimis nobis exhibetur.

Tertullianus, cum fideles sui temporis publicae poenitentiae obnoxios describit, inter opera ab ipsis explenda recenset quoque « presbyteris advolvi et charis Dei adgeniculari » (1). Quae poenitentium acta idem Scriptor, haereticus factus, revocat et Sancto Callisto Pontifici, qui peccatores ad poenitentiam admittebat, ita ironice exprobrat: « Et tu quidem poenitentiam (peccantis) ad exorandam fraternitatem in Ecclesiam inducens (peccatorem), conciliciatum et concineratum (cinere et cilicio indutum), prosternis in medium ante viduas, ante presbyteros, omnium lacinias invadentem, omnium vestigia lambentem, omnium genua detinentem » (2).

---

(1) TERTULLIANUS: *De Poenitentia,* cap. IX; MIGNE P. L. I. 1354.

(2) TERTULLIANUS: *De Pudicitia,* cap. XIII; MIGNE P. L. II, 10, 58.

Quibus autem animi sensibus haec « prosternendi et humilificandi hominis disciplina » peragi debuerit, ex ipsius Tertulliani monitione colligitur; scribit enim: « Ergo cum te ad fratrum genua protendis, Christum contrectas, Christum exoras » (1). Quae verba manifesto ostendunt, ex eo tempore fideles instrui consuevisse, quibus animi sensibus ab ipsis pedum osculatio foret exequenda. Idem ipsum est, quod et nunc fidelibus inculcamus.

Huiusmodi poenitentialis disciplinae testis est etiam Eusebius, qui de quodam Natalio, admissi criminis poenitente, narrat quod « mane consurgens, saccum induit et cinere conspersus cum magno moerore et lacrimis ad pedes Zephyrini Pontificis se supplicem abiecit, et non modo ad Cleri, sed ad laicorum etiam genua advolutus est » (2).

Haec, quae obiter tantum libavimus, probant obsequii genus, de quo loquimur, venerabili vetustate in Ecclesia pollere, et si ad poenitentiae sensus exprimendos Sanctis Patribus adprobantibus, pie et salutariter adhibitum fuit, nihil in eo reprehendendum est, etiam si ad submissionis et ad reverentiae sensus profitendos usurpetur.

Ad quam praecipuam significationem necnon eiusdem obsequii frequentiam ex historicis monumentis eruendam accedimus.

In superiori articulo innuimus, qua ratione laudabiliter Romanum Pontificem eodem honore prosequi possumus, quo Christum venerati sunt Apostolus Petrus, Maria Magdalena et piae mulieres; nunc ex ecclesiasticis monumentis nobis ostendendum est, illam rationem decursu saeculorum revera intentam fuisse, et fideles ea ductos, Pontifices praefato obsequio honorasse.

II. Ab ipso Ecclesiae exordio, fides credentium erat, Episcopum ut ipsum Dominum aspiciendum esse. S. Ignatius M. ad Ephesios veluti de re notissima scribebat: « Manife-

(1) TERTULLIANUS: Ibid. cap. X; MIGNE P. L. I. 1336.

(2) EUSEBIUS: *Historiae*, lib. V, circa finem; MIGNE P. G. XX, 514, 515.

stum igitur est, quod Episcopum aspicere oporteat ut ipsum Dominum » (1). Hoc veluti innixus fundamento Sanctus Martyr fideles hortabatur: « Omnes Episcopum obtemperate, ut Iesus Christus Patrem » (2). Ex his plana est conclusio: Si Episcopus ut Dominus est aspiciendus, eique ut Deo Patri obtemperandum, pari quoque honore est prosequendus. Si iuxta Evangelium, Petrus Apostolus, piae mulieres et alii Christo pedes osculati sunt, congruum omnino est, ut hoc idem obsequium Episcopo exhibeatur, et in primis, illi Episcopo, qui supra ceteros primatum tenet et qui vel a Tertulliano « Pontifex Maximus, quod est Episcopus Episcoporum » (3) dicitur.

Fideles autem hanc arguendi rationem secutos et hoc obsequium praestitisse, et Christum in viris, dignitate vel sanctitate fulgentibus, honorare intendisse, aliqui Sancti Patres testantur.

S. Hieronymus cum venerationis signa S. Epiphanio delata memorat, peculiarem facit mentionem de pedum osculatione; dicit enim, ad eum omnis aetatis et sexus turbam confluisse « offerens parvulos, deosculans pedes, fimbriam vellens » etc. (4).

In vita S. Basilii Sancto Amphilochio adscripta, legitur, Sanctum Pontificem domum cuiusdam Athanasii visitasse et osculo pedum ab eo exceptum fuisse. Auctor, qui se praesentem facit, ita rem enarrat: « Venientibus autem nobis in domum Presbyteri, etiam ipse obviam factus, honorabilis viri (S. Basilii) pedes deosculatur, at ille ei in Domino osculum dedit » (5), eum nempe ad osculum excepit, quod inter fratres adhibetur.

Quod hoc obsequium usuvenerit in occursibus virorum ecclesiastica dignitate vel sanctitate fulgentium, colligitur etiam

(1) MIGNE P. G. V, 714.
(2) TERTULLIANUS: *De Pudicitia*, cap. 1. MIGNE P. L. II, 1032.
(3) S. HIERONYMUS: *Advers. Ioan. Hierosol.*, MIGNE, XXIII, 364.
(4) *Vita S. Basilii*, MIGNE P. G. XXIX, 309.
(5) MIGNE P. G. V, 738.

ex iis, quae enarrat S. Hieronymus in vita S. Paulae. Eius iter in Aegyptum describens, sequentia habet: « Occurrente sibi sancto et venerabili Episcopo Isidoro Confessore et turbis innumerabilibus Monachorum, ex quibus multos sacerdotalis et Leviticus sublimabat gradus; laetabatur quidem ad gloriam Domini, sed se dignam tanto honore fatebatur. Quid ergo narrem Macarios, Arsenios, Serapiones et reliqua columnarum Christi nomina? Cuius non intravit cellulam? quorum pedibus non advoluta est? » (1).

Postquam Sanctus Doctor praestitum obsequium enarravit, mentem quoque indicat et intentionem qua illud praestitum fuit, et prosequitur: « Per singulos sanctos, Christum se videre (sancta matrona) credebat, et quidquid in illos contulerat, in Dominum se contulisse laetabatur » (2).

(Continuabitur).

Fr. IOSEPHUS ANT. O. M. Cap.

---

(1) S. HIERONYMUS: *Epist.* 108, MIGNE P. L. XXII, 890.
(2) S. HIERONYMUS, l. c.

SPECIMEN
KALENDARII ECCLESIÆ UNIVERSALIS
PRO ANNO DOMINI 1916

Paschate occurrente die 23 aprilis

Continuatio — vide pag. 137

SEPTEMBER

1. Fer. VI. *Alb.* **S. Aegidii Abb.** *simpl.* -- Vesp. de seq.
2. Sabb. *Alb.* **S. Stephani Reg. C.** *semid.* -- Vesp. (*Vir.*) de seq. Dom. com. praec.

✠ 3. **Dom. XII. p. Pent. I. Sept.** *Vir.* **De ea** *semid.* — Vesp. de Dom.

4. Fer. II. *Vir.* **De ea** -- Vesp. (*Alb.*) de seq.
5. Fer. III. *Alb.* **S. Laurentii Iustiniani E. C.** *semid.* — In Vesp. nulla com.

Cras Annivers. Coronationis SS. D. N. BENEDICTI PAPAE XV quem Dominus vivificet et beatum faciat.

6. Fer. IV. *Vir.* **De ea** — Vesp. de fer.
7. Fer. V. *Vir.* **De ea** — Vesp. (*Alb.*) de seq. sine com.
8. Fer. VI. *Alb.* **NATIVITATIS B. M. V.** *dupl. 2. cl. cum Oct. simpl.* — Lect. 9. S. Hadriani M. eiusq. com. in L. et M. priv. — In Vesp. nulla com.
9. Sabb. *Alb.* **De S. Maria in Sabbato** *simpl.* — Com. S. Gorgonii M. in L. et M. — Vesp. (*Vir.*) de seq. Dom. com. S. Nicolai de Tolentino C.

✠ 10. **Dom. XIII. p. Pent. II. Sept.** *Vir.* **De ea** *semid.* — Com. S. Nicolai in L. et M. — Vesp. de Dom. com. seq. et S. Nicolai.

11. Fer. II. *Rub.* **Ss. Proti et Hyacinthi Mm.** *simpl.* — Vesp. (*Alb.*) de seq. sine com.
12. Fer. III. *Alb.* **SS. Nominis Mariae** *dupl. mai.* — In Vesp. nulla com.

13. Fer. IV. *Vir.* **De ea** — Vesp. (*Rub.*) de seq. sine com.
14. Fer. V. *Rub.* **Exaltatio S. Crucis** *dupl. mai.* — Vesp. (*Alb.*) de seq. com. praec.
15. Fer. VI. *Alb.* **SEPTEM DOLORUM B. M. V.** *dupl. 2. cl.* — Com. S. Nicomedis M. in L. et M. priv. — In Vesp. com. seq.
16. Sabb. *Rub.* **Ss. Cornelii P. et Cypriani Ep. Mm.** *semid.* — Lect. 9. Ss. Euphemiae et Soc. Mm. et eorum com. in L. et M. — Vesp. (*Vir.*) de seq. Dom. com. praec. et Impressionis Stigmatum S. Francisci.
✠ 17. **Dom. XIV. p. Pent. III. Sept.** *Vir.* **De ea** *semid.* — Com. Impr. Stigm. S. Francisci in L. et M. — Vesp. de Dom. com. seq. et Impr. Stigm. S. Francisci.
18. Fer. II. *Alb.* **S. Iosephi a Cupertino C.** *dupl.* — Vesp. a Cap. de seq. com. praec.
19. Fer. III. *Rub.* **Ss. Ianuarii E. et Soc. Mm.** *dupl.* — Vesp. a Cap. de seq. com. praec.
20. Fer. IV. **Quatuor Temporum et Vigilia S. Matthaei Ap.** (de qua nihil in Off.) *Rub.* **Ss. Eustachii et Soc. Mm.** *dupl.* — Lect. 9. Hom. fer. eiusq. com. in L. et M. in qua fit etiam com. Vigil. — Vesp. (*Rub.*) de seq. com. praec.
† 21. Fer. V. *Rub.* **S. MATTHAEI AP.** *dupl. 2. cl.* — In Vesp. com. seq.
22. Fer. VI. **Quatuor Temporum** *Alb.* **S. Thomae de Villanova E. C.** *dupl.* — Lect. 9. Hom. fer. eiusq. com. et Ss. Mauritii et Soc. Mm. in L. et M. — In Vesp. com. seq. ac S. Theclae V. M.
. Sabb. **Quatuor Temporum** *Rub.* **S. Lini P. M.** *semid.* — Lect. 9. Hom. fer. eiusq. com. et S. Theclae in L. et M. — Vesp. (*Vir.*) de seq. Dom. com. praec. et B. M. V. de Mercede.
✠ 24. **Dom. XV. p. Pent. IV. Sept.** *Vir.* **De ea** *semid.* — Com. B. M. V. de Mercede in L. et M. — Vesp. de Dom. com. B. M. V. de Mercede.
25. Fer. II. *Vir.* **De ea** — Vesp. (*Rub.*) de seq.
26. Fer. III. *Rub.* **Ss. Cypriani et Iustinae V. Mm.** *simpl.* — Vesp. de seq.
27. Fer. IV. *Rub.* **Ss. Cosmae et Damiani Mm.** *semid.* — Vesp. a Cap. de seq. com. praec.

28. Fer. V. *Rub.* **S. Wenceslai M.** *semid.* — Vesp. (*Alb.*) de seq. sine com.

† 29. Fer. VI. *Alb.* **DEDICATIO S. MICHAELIS ARCH.** *dupl. 2. cl.* — In Vesp. com. seq.

30. Sabb. *Alb.* **S. Hieronymi C. D.** *dupl.* — Vesp. (*Vir.*) de seq. Dom. com. praec. ac S. Remigii E. C.

OCTOBER

✠ 1. **Dom. XVI. p. Pent. I. Oct.** *Vir.* **De ea** *semid.* — Com. S. Remigii in L. et M. — Vesp. de Dom. com. seq.

2. Fer. II. *Alb.* **Ss. Angelorum Custodum** *dupl. mai.* — In Vesp. nulla com.

3. Fer. III. *Vir.* **De ea** — Vesp. (*Alb.*) de seq. sine com.

4. Fer. IV. *Alb.* **S. Francisci C.** *dupl. mai.* — In Vesp. com. seq.

5. Fer. V. *Rub.* **Ss. Placidi et Soc. Mm.** *simpl.* — Vesp. (*Alb.*) de seq. sine com.

6. Fer. VI. *Alb.* **S. Brunonis C.** *dupl.* — Vesp. de seq. com. praec.

7. Sabb. *Alb.* **SS. ROSARII B. M. V.** *dupl. 2. cl.* — Lect. 9. S. Marci P. C. eiusq. com. et Ss. Sergii et Soc. Mm. in L. et M. priv. — In Vesp. com. seq. Dom. et S. Birgittae Vid.

✠ 8. **Dom. XVII. p. Pent. II. Oct.** *Vir.* **De ea** *semid.* — Com. S. Birgittae in L. et M. — Vesp. de Dom. com. seq. et S. Birgittae.

9. Fer. II. *Rub.* **Ss. Dionysii Ep. et Soc. Mm.** *semid.* — Vesp. (*Alb.*) a Cap. de seq. com. praec.

10. Fer. III. **S. Francisci Borgiae C.** *semid.* — In Vesp. nulla com.

11. Fer. IV. *Vir.* **De ea** — Vesp. de fer.

12. Fer. V. *Vir.* **De ea** — Vesp. (*Alb.*) de seq.

13. Fer. VI. *Alb.* **S. Eduardi Reg. C.** *semid.* — Vesp. (*Rub.*) de seq. com. praec.

14. Sabb. *Rub.* **S. Callisti I. P. M.** *dupl.* — Vesp. (*Vir.*) de seq. Dom. com. praec. ac S. Teresiae V.

✠ 15. **Dom. XVIII. p. Pent. III. Oct.** *Vir.* **De ea** *semid.* — Com. S. Teresiae in L. et M. — Vesp. de Dom. com. S. Teresiae.

16. Fer. II. *Vir.* **De ea** — Vesp. (*Alb.*) de seq.

17. Fer. III. *Alb.* **S. Hedwigis Vid.** *semid.* — Vesp. (*Rub.*) de seq. sine com.
18. Fer. IV. *Rub.* **S. LUCAE EV.** *dupl. 2. cl.* — In Vesp. com. seq.
19. Fer. V. *Alb.* **S. Petri de Alcantara C.** *dupl.* — Vesp. a Cap. do seq. com. praec.
20. Fer. VI. *Alb.* **S. Ioannis Cantii C.** *dupl.* — In Vesp. com. seq. S. Hilarionis Abb. ac Ss. Ursulae et Soc. Vv. Mm.
21. Sabb. *Alb.* **De S. Maria in Sabb.** *simpl.* — Com. S. Hilarionis ac Ss. Mm. in L. et M. — Vesp. (*Vir.*) de seq. Dom.

✠ 22. **Dom. XIX. p. Pent. IV. Oct.** *Vir.* **De ea** *semid.* — Vesp. de Dom.

23. Fer. II. *Vir.* **De ea** — Vesp. de fer.
24. Fer. III. *Vir.* **De ea** — Vesp. (*Rub.*) de seq.
25. Fer. IV. *Rub.* **Ss. Chrystiani et Dariae Mm.** *simpl.* — Vesp. (*Rub.*) de seq.
26. Fer. V. *Rub.* **S. Evaristi P. M.** *simpl.* — Vesp. (*Vir.*) de fer.
27. Fer. VI. **Vigilia Ss. Simonis et Iudae** *Viol.* **De ea** — Vesp. (*Rub.*) de seq.

✠ 28. Sabb. *Rub.* **SS. SIMONIS et IUDAE APP.** *dupl. 2. cl.* — In Vesp. com. seq. Dom.

✠ 29. **Dom. XX. p. Pent. I. Nov.** *Vir.* **De ea** *semid.* — Vesp. de Dom.

30. Fer. II. *Vir.* **De ea** — Vesp. de fer.
31. Fer. III. **Vigilia Omnium Sanctorum** *Viol.* **De ea** — Vesp (*Alb.*) de seq.

NOVEMBER

✠ 1. Fer. IV. *Alb.* **OMNIUM SANCTORUM** *dupl. 1. cl. cum Oct. comm.* — In Vesp. nulla com. — Dicto *Bened. D.no* dicunt. Vesp. et Compl. Defunctorum.

2. Fer. V. *Nig.* **COMMEM. FIDEL. DEFUNCT.** *dupl.* — Vesp. (*Alb.*) de Oct. sine com.
3. Fer. VI. *Alb.* **De III. die infra Oct. Omn. Ss.** *semid.* — Vesp. de seq. com. Oct. ac Ss. Vitalis et Agricolae Mm.
4. Sabb. *Alb.* **S. Caroli E. C.** *dupl.* — Lect. 9. Ss. Mm. et eorum com. in L. et M. — Vesp. (*Vir.*) de seq. Dom. com. praec. et Oct.

✠ 5. **Dom. XXI. p. Pent. II. Nov**. *Vir*. **De ea** *semid*. — Com. Oct. in L. et M. — Vesp. de Dom. com. seq. diei infra Oct.

6. Fer. II. *Alb*. **De VI. die infra Oct. Omn. Ss.** *semid*. — Vesp. de Oct.

7. Fer. III. *Alb*. **De VII. die infra Oct. Omn. Ss.** *semid* — Vesp. de seq. die Oct. com. Ss. Quatuor Coronatorum Mm.

8. Fer. IV. *Alb*. **Octava Omnium Sanctorum** *dupl. mai*. — Lect. 9. Ss. Mm. et eorum com. in L. et M. — Vesp. (*Alb*.) de seq. com. Oct.

9. Fer. V. *Alb*. **DEDICATIO ARCHIBAS. LATERANEN.** *dupl. 2. cl*. Lect. 9. S. Theodori M. eiusq. com. in L. et M. priv. — In Vesp. com. seq.

10. Fer. VI. *Alb*. **S. Andreae Avellini C.** *dupl*. — Lect. 9. Ss. Tryphonis et Soc. Mm. et eorum com. in L. et M. — Vesp. a Cap. de seq. com. praec. ac S. Mennae M.

11. Sabb. *Alb*. **S. Martini Ep. C.** *dupl*. — Lect. 9. S. Mennae eiusque com. in L. et M. — Vesp. (*Vir*.) de seq. Dom. com. praec. ac S. Martini I. P. M.

✠ 12. **Dom. XXII. p. Pent. III. Nov.** *Vir*. **De ea** *semid*. — Com. S. Martini in L. et M. — Vesp. de Dom. com. seq. et S. Martini.

13. Fer. II. *Alb*. **S. Didaci C.** *semid*. — Vesp. (*Rub*.) de seq. com. praec.

14. Fer. III. *Rub*. **S. Iosaphat E. M**. *dupl*. — Vesp. (*Alb*.) a Cap. de seq.

15. Fer. IV. *Alb*. **S. Gertrudis V.** *dupl*. — In Vesp. nulla com.

16. Fer. V. *Vir*. **De ea** — Vesp. (*Alb*.) de seq.

17. Fer. VI. *Alb*. **S. Gregorii Thaum. Ep. C.** *semid*. — Vesp. de seq.

18. Sabb. *Alb*. **Dedicatio Basilic. Ss. Petri et Pauli** *dupl. mai*. — In Vesp. com. Dom., praec. S. Elisabeth Vid. ac S. Pontiani P. M.

✠ 19. **Dom. XXIII. p. Pent. IV. Nov**. *Vir*. **De ea** *semid*. — Com. S. Elisabeth et S. Pontiani in L. et M. — Vesp. de Dom. com. seq. ac S. Elisabeth.

20. Fer. II. *Alb*. **S. Felicis de Valois C.** *dupl*. — Vesp. de seq. com. praec.

21. Fer. III. *Alb*. **Praesentatio B. M. V.** *dupl. mai*. — In Vesp. com. seq.

22. Fer. IV. *Rub.* **S. Caeciliae V. M.** *dupl.* — Vesp. a Cap. de seq. com. praec. et S. Felicitatis M.

23. Fer. V. *Rub.* **S. Clementis I. P. M.** *dupl.* — Lect. 9. S. Felicitatis eiusq. com. in L. et M. — Vesp. (*Alb.*) a Cap. de de seq. com. praec. ac S. Chrysogoni M.

24. Fer. VI. *Alb.* **S. Ioannis a Cruce C.** *dupl.* — Lect. 9. S. Chrysogoni eiusq. com. in L. et M. — Vesp. (*Rub.*) a Cap. de seq. com. praec.

25. Sabb. *Rub.* **S. Catharinae V. M.** *dupl.* — Vesp. (*Vir.*) de seq. Dom. com. praec. S. Silvestri Abb. ac S. Petri Alexandrini E. M.

✠ 26. **Dom. XXIV. ultima p. Pent. V. Nov.** *Vir.* **De ea** *semid.* — Com. S. Silvestri et S. Petri in L. et M. — Vesp. de Dom. com. S. Silvestri.

27. Fer. II. *Vir.* **De ea** — Vesp. de fer.

28. Fer. III. *Vir.* **De ea** — Vesp. de fer. Comm. S. Saturnini M.

29. Fer. IV. **Vigilia S. Andreae Ap.** *Viol.* **De ea** — Com. S. Saturnini in L. et M. — Vesp. (*Rub.*) de seq. sine com.

† 30. Fer. V. *Rub.* **S. ANDREAE AP.** *dupl. 2. cl.* — In Vesp. nulla com.

DECEMBER

1. Fer. VI. *Vir.* **De ea** — Vesp. (*Rub.*) de seq.

2. Sabb. *Rub.* **S. Bibianae V. M.** *semid.* — Vesp. (*Viol.*) de seq. Dom. com. praec. ac S. Francisci Xaverii C.

✠ 3. **Dom. I. ADVENTUS** *1. cl. Viol.* **De ea** *semid.* — Com. S. Francisci Xaverii in L. et M. — Vesp. de Dom. com. seq. S. Francisci Xaverii ac S. Barbarae V. M.

4. Fer. II. *Alb.* **S. Petri Chrysol. E. C. D.** *dupl.* — Com. fer. et S. Barbarae in L. et M. — In Vesp. com. fer. ac S. Sabbae Abb.

5. Fer. III. *Viol.* **De ea** — Com. S. Sabbae in L. et M. — Vesp. (*Alb.*) de seq. com. fer.

6. Fer. IV. *Alb.* **S. Nicolai E. C.** *dupl.* — Com. fer. in L. et M. — Vesp. a Cap. de seq. com. praec. et fer.

7. Fer. V. **Vigilia Imm. Concept. B. M. V.** (de qua nihil in Off.) *Alb.* **S. Ambrosii Ep. C. D.** *dupl.* — Com. fer. in L. — Com. Fer. et Vigil. in M. — Vesp. (*Alb.*) de seq. com. fer.

✠ 8. Fer. VI. *Alb.* **IMMACULATA CONCEPTIO B. M. V.** *dupl. 1. cl. cum Oct. comm.* — Com. fer. in L. et M. — In Vesp. com. fer.

9. Sabb. *Alb.* **De II. die infra Oct. Imm. Concept.** *semid.* — Com. fer. in L. et M. — Vesp. (*Viol.*) de seq. Dom. com. Oct. ac S. Melchiadis P. M.

✠ 10. **DOM. II. ADVENTUS** *2. cl. Viol.* **De ea** *semid.* — Com. Oct. ac S. Melchiadis in L. et M. — Vesp. de Dom. com. seq. et Oct.

11. Fer. II. *Alb.* **S. Damasi I. P. C.** *semid.* — Com. Oct. et fer. in L. et M. — In Vesp. com. seq. diei infra Oct. et fer.

12. Fer. III. *Alb.* **De V. die infra Oct. Imm. Concept.** *semid.* — Com. fer. in L. et M. — Vesp. (*Rub.*) de seq. com. Oct. et fer.

13. Fer. IV. *Rub.* **S. Luciae V. M.** *dupl.* — Com. Oct. ac fer. in L. et M. — In Vesp. com. Oct. ac fer.

14. Fer. V. *Alb.* **De VII. die infra Oct. Imm. Conc.** *semid.* — Com. fer. in L. et M. -- Vesp. de Oct. com fer.

15. Fer. VI. *Alb.* **Octava Imm. Conc.** *dupl. mai.* — Com. fer. in L. et M. — In Vesp. com. seq. et fer.

16. Sabb. *Rub.* **S. Eusebii E. M.** *semid.* — Com. fer. in L. et M. — Vesp. (*Viol.*) de seq. Dom. com. praec.

✠ 17. **Dom. III. ADVENTUS** *2. cl. Viol.* **De ea** *semid.* — Vesp. de Dom.

18. Fer. II. *Viol.* **De ea** — Vesp. de fer.

19. III. *Viol.* **De ea** — Vesp. de fer.

20. Fer. IV. **Quatuor Temp. et Vigilia S. Thomae Ap.** (de qua nihil in Off.) *Viol.* **De ea** — Com. Vigil. in M. — Vesp. (*Rub.*) de seq. com. fer.

21. Fer. V. *Rub.* **S. THOMAE Ap.** *dupl. 2. cl.* — Com. fer. in L. et M. — In Vesp. com. fer.

22. Fer. VI. **Quatuor Temp.** *Viol.* **De ea** — Vesp. de fer.

23. Sabb. **Quatuor Temp.** *Viol.* **De ea** — Vesp. de seq. Dom.

✠ 24. **Dom. IV. ADVENTUS** *2. cl.* **et Vigilia Nativ.** *1. cl. Viol.* **De ea** — Off. ut pr. loc. notatur — Com. Dom. in L. et M. — Vesp. (*Alb.*) de seq. sine com.

✠ 25. Fer. II. *Alb.* **NATIVITATIS D. N. I. C.** *dupl. 1. cl. cum Oct. privil. 3. Ord.* — In 2. Missa (etiam solemn.) fit com. S. Anastasiae M. — In Vesp. com. seq.

† 26. Fer. III. *Rub.* **S. STEPHANI PROTOM.** *dupl. 2. cl. cum Oct. simpl.* — Com. Oct. Nativit in L. et M. — Vesp. de Nativ. a Cap. de S. Stephano, com. seq. et Oct. Nativ.

† 27. Fer. IV. *Alb.* **S. IOANNIS AP. ET EV.** *dupl. 2. cl. cum Oct. simpl.* — Com. Oct. Nativ. in L. et M. — Vesp. de Nativ. a Cap. de S. Ioanne com. seq. et Oct. Nativ.

† 28. Fer. V. *Viol.* **Ss. INNOCENTIUM Mm.** *dupl. 2. cl. cum Oct. simpl.* — Com. Oct. Nativ. in L. et M. — Vesp. de Nativ. a cap. de Ss. Innocentibus com. seq. et Oct. Nativ.

29. Fer. VI. *Rub.* **S. Thomae E. M.** *dupl.* — Com. Oct. Nativ. in L. et M. — Vesp. de Nativ. a Cap. de S. Thoma com. seq. diei infra Oct.

30. Sabb. *Alb.* **De VI. die infra Oct. Nativ.** *semid.* — Vesp. de Nativ. a Cap. de seq. Dom. com. praec. diei infra Oct. et S. Silvestri I. P. C.

✠ 31. **Dom. infra Oct. Nativ.** *Alb.* **De ea** *semid.* — Com. S. Silvestri et Oct. Nativ. in L. et M. — Vesp. de Circumcisione Domini sine com.

In Martyrologio hodie et toto anno sequenti Luna pronuntiatur sub littera f parva.

NOTANDUM. — In fasciculo tertio *Ephemeridum,* pag. 141, die 30 Iunii, ad Laudes addenda est commemoratio S. Petri Ap., post aliam S. Pauli.

Consultationes.

Utrum in Dominicis II, III et IV Quadragesimae cantari possit Missa de sancto titulari vel patrono transferendo iuxta missalis rubricam VI.

Ratio dubitandi in eo sita est, quod ex novissimis rubricis, Dominicae II, III et IV Quadragesimae elevatae sunt ad I classem, ideoque iisdem iuribus nunc gaudent ac Dominica I; cum autem ista enumeretur inter dies, in quibus nefas est cantare missam de sancto Titulari impedito, videtur quod in praedictis quoque Dominicis id fieri non valeat.

Argumentum istud vi probandi profecto non caret, nam in citata Rubrica, qualis extitit in Missali a Piana correctione usque ad Leonem xiij, inter Dominicas excludentes praedictam Missam de festo impedito, recensitae non erant Dominicae Passionis, in Albis et Ss. Trinitatis, quamquam essent pariter I classis.

Cum autem in editione typica Missalis sub Leone xiij additae sint huiusmodi Dominicae, non immerito aliquis censere potest a pari, non amplius esse permittendum cantum Missae de Festo impedito, in Dominicis II, III et IV Quadragesimae.

Nihilominus si in hac quaestione sentiendi nostrum modum exprimere licet, aliud esse dicendum arbitramur.

Ante omnia animadvertendum est, quod iuxta antiquam locutionem citatae Rubricae, dari possunt Dominicae quae licet sint I classis, nihilominus ipsae admittunt unam missam cantatam de Sancto transferendo, ergo ex eo quod hodie Dominicae II, III et IV Quadragesimae elevatae sunt ad I classem, non inde statim argui potest quod et ipsae excludant dictam Missam in cantu.

Ergo usquedum aliter disponat Rubrica Missalis de Trans-

latione, summo iure dicendum est, quod adhuc licite cantari potest una Missa de Sancto Titulari vel de Patrono loci, vel de Sancto cuius festum celebretur a populo cum concursu.

Mater enim Ecclesia summopere gaudet, ut cultus erga Sanctos Titulares Ecclesiarum, et locorum Patronos, nec non erga illos, quos populus frequens veneratur et colit, vigescat, atque mens eius est, per quantum possit, ne festum eorum penitus intermittatur in sua die, nisi occurrentibus maximis et perinsignibus Solemnitatibus. Hoc satis probatur, quia per plusquam tria saecula (1570-1897) censuit Ecclesia non esse prohibendam Missam praedictam in Dominicis Passionis, in Albis et Ss. Trinitatis, etsi essent primae classis.

Quod si Summus Pontifex Pius x elevare voluit Dominicas II, III et IV Quadragesimae ad I classem, id fecit ne umquam earum officium impediretur, iuxta antiquas consuetudines, quae summa in veneratione habebant integram Quadragesimam: et multo magis, quia earum Missae pulcherrimae, si dici nequirent in propria die, reponi non valuissent per sequentem hebdomadam habentem quotidie proprias Missas. Ex hac saluberrima ergo dispositione Pontificis, rigorose loquendo deduci nequit, mentem suam fuisse ut in casu prohiberent quoque unam Missam de Titulari, vel Patrono, vel de Sancto celebrato cum populi concursu.

Porro ubi hucusque in Dominicis Quadragesimae, excepta prima, celebrata sunt festa Sancti Titularis ecclesiae, vel Patroni, non tantum cum Missa cantata, sed cum omnibus Missis, et cum officio, durum nimis nunc esset, si neque ipsam Missam cantatam de eis populus haberet, ideoque non obstante quod hodie Dominicae II, III et IV Quadragesimae sint I classis, videtur non esse comprehendendas inter Dominicas exceptas in citata Rubrica.

Valde igitur esset optandum, ut in novissimis Rubricis quae in editione nova typica Missalis, non solum in Rubrica vj induci non deberent Dominicae praedictae, sed ex ea expungeretur Dominica in Albis. Ista enim, licet sit ve-

neranda et semper fuerit I classis, nihilominus non eodem ritu ac pompa celebratur in choro et foro, prout aliae Dominicae privilegiatae. Cum autem ritus eius sit festivus, non gravis fit iniuria officio suo, si celebretur in cantu una tantum Missa de Titulari vel Patrono, aut de Sancto qui a populo cum magno concursu celebratur.

Quod hic dicimus de Dominica in Albis, non videtur esse applicandum Dominicis Ss. Trinitatis et Passionis, quae ut innuimus, et ipsae cum Dominica in Albis inductae fuerunt in Rubrica vj Missalis sub Leone xiij: Non Dominicae Ss. Trinitatis, eo quod hodie recolatur ritu duplici I classis, et novissimae Rubricae eam aequiparent diebus per annum solemnissimis: non Dominicae Passionis, quia eius ritus lugubris, cum velamento Imaginum etiam Titularis Ecclesiae et Patroni loci, male conveniret cum Missa ritu festivo cantata de Sancto, sua die impedito.

Hoc tamen scribimus sub censura, et omni cum veneratione competentis Auctoritatis.

Non possumus argumentum istud deserere, circa Missam huiusmodi cantandam quibusdam diebus, quin adiungamus aliam advertentiam.

Qui citatae Rubricae vj Missalis verba litteraliter sumit, putat, quod in casu sint cantandae semper duae Missae, una de die et alia de Sancto impedito, alioquin permissio non habet locum; Rubrica enim ait: *In Ecclesiis etc. cantari possunt duae missae, una de die, et alia de Festo.....* Attamen non est obliviscendum quod Rubricae Missalis loquuntur specialiter de Cathedralibus et Collegiatis in casu, in quibus cantari debet Missa de die *ex praecepto*, et alia de festo transferendo, *ex permissione*. Iis autem in ecclesiis, in quibus non adest obligatio Chori, non praecipitur cantus duarum Missarum, sed sufficit cantus Missae de Titulari vel Patrono, aut de Sancto quod celebratur cum concursu populi, dummodo non omittatur Missa de die, si agatur de ecclesiis parochialibus.

Hoc explicite declaravit S. R. C. in suo decreto 23 au-

gusti 1704 sub N. 3704 antiquae collectionis, quod, etsi in nova non inveniatur, nobis videtur non perdidisse vim suam declaratoriam, maxime quod in nullo alio decreto inveniatur analoga dispositio.

P. Piacenza.

De diebus, quibus recitari potest Officium mortuorum.

In dioecesi N. extat Pium Institutum, cui forsan ex fundatione venit obligatio recitandi in publica ecclesia Defunctorum Officium feriis tertiis et sextis cuiusque hebdomadae, exceptis nonnullis temporibus.

Quaeritur. An aliqui sint dies, quibus ex lege eiusmodi Officium impediatur, et quatenus affirmative, quid agendum?

R. Vi novarum rubricarum, Officium Defunctorum non est amplius addendum ut prius Officio diei, prima die cuiusque mensis extra tempus paschale, Quadragesimam et Adventum, non impedita Offici novem lectionum, et intra Quadragesimam et Adventum qualibet feria secunda, similiter non impedita, exceptis feria secunda maioris hebdomadae et Vigilia Nativitatis Domini. Praemisimus tamen hanc notitiam, ut videatur qualis fuerit mens Ecclesiae circa suffragia generalia pro Defunctis. Habentur porro plurima S. Rituum Congregationis Decreta quibus modo permittitur, modo vetatur, modo rite ordinatur iuxta peculiares casus haec recitatio; ex horum examine, fas erit quaestionem propositam resolvere.

Decretum diei 24 nov. 1703, n. 3669, in Collectione authentica non insertum, statuerat, « servandas esse rubricas quoad recitationem Officii Defunctorum intra Officium diei currentis: aliis vero diebus, absolutis Officio et Missa..., pro suscepto onere... recitandum Officium Defunctorum ». Dies a rubrica designatos, ut iam novimus, aliique, quibus Decretum hoc, ratione oneris suscepti, permittebat absolutis horis canonicis, iuxta exposita in propositione dubii apud S. C., sunt: dies ferialis Officii, festi simplicis et semiduplicis, non ex-

ceptis Feria IV cinerum, primo triduo maioris hebdomadae, et octavis privilegiatis seu impedientibus fieri de duplici.

Alias, cum noverit S. Congregatio, quod ex fundatione deberet recitari Officium Defunctorum diebus Dominicis, decrevit: « Dummodo ordinarium Dominicae Officium celebretur, nulla ratio obstat, quod mortuorum Officium etiam in choro ab oratoribus dicatur, et maxime aequum sit ut piorum voluntates debitis huiusmodi obsequiis non fraudentur (*Ordinis Caelestinorum*, 9 martii 1597, n. 72) ».

Aliud Decretum. in *Tuden.* (23 maii 1846, n. 2915) ad dubium 13, « an in diebus duplicibus minoribus ac maioribus liceat cantari Nocturnum Defunctorum, ac etiam totum Officium, non quidem ex fundatione, sed ex sola pia voluntate petentium, quin immediate post cantetur Missa; respondet: « Tolerari posse ».

Concludere ergo licet, posse recitari Officium Defunctorum, saltem ex fundatione, diebus ferialibus, simplicibus, semiduplicibus, duplicibus minoribus, duplicibus maioribus, Dominicis.

Nunc autem, quid dicendum de ceteris diebus, nempe duplicibus I vel II classis, et festivis de praecepto? Ex Decreto 22 ian. 1689, in *Regien.*, n. 1807, habetur, quod, attenta dispositione fundatoris, non deberet transferri Officium Defunctorum quotidie praeceptum, sed recitari omnibus diebus, exceptis festis duplicibus I et II classis et ultimo triduo maioris hebdomadae, quibus diebus tenerentur oratores facere commemorationem in memento mortuorum. Quid simile occurrit in Decreto diei 8 iulii 1741, *Ianuen.*, n. 2364, ubi de Responsorio *Libera me, Domine,* canendo singulis diebus, cautum est, ut diebus exceptis, nempe I et II classis ac festis de praecepto, non canatur, sed recitetur privatim in choro absolutus horis canonicis. At hic non omnino excluditur, quia agitur de brevi precatione, quae parvam inordinationem diebus solemnibus inducit. Sed utroque in casu compensatio aliquo modo facta est, ne frustranea edderetur obligatio quotidiana: quod si obligatio esset alicui

tantum adnexa diei, posset plane locus dari translationi, quae utrum expediat mox perpendemus.

Manet aliquid dicendum de festis de praecepto, si quae adnexa reperiuntur diebus ritus inferioris. Quamvis sileant Decreta, haec veniunt consideranda: Iuxta cl. Cavalieri, de iis, idem dicendum est quod de festo I et II cl., « quorum dierum laetitia et solemnitas, perturbaretur admodum per praefatum luctuosum Officium, a qua perturbatione saltem immunia esse debent festa maiora ». Contra quae staret Decretum citatum, quod admittit Officium Defunctorum diebus Dominicis; at forsan nonnulla festa, si praecipue celebrentur cum magno concursu populi, possunt dici quodammodo ipsis Dominicis praevalere; qua de causa, videtur pro iis exceptio esse facienda.

Recentius datum est Decretum a S. R. Congregatione, die nempe 22 iulii 1892, n. 3787, in *Nicosien.;* agebatur de immemorabili consuetudine recitandi singulis feriis secundis totius anni Officium Defunctorum, et quaesitum erat, an ea considerata deberet Officium praedictum recitari etiam quando in aliqua ex dictis feriis incideret festum de praecepto, vel I aut II classis, vel octava ex previlegiatis. Et S. Congregatio respondit: « Consuetudinem ut in casu, servari posse, exceptis tantum duciplibus I classis et festis de praecepto quoad forum ». Consuetudo huiusmodi certe suadet obligationem ex gravi causa provenire, inducit enim sane grave onus.

Sed tandem videamus quid expediat: an omitti, vel transferri vel saltem privatim recitari Officium Defunctorum diebus exceptis.

Omissio haud opportuna videtur, namque cum dubitetur num sit imposita eadem recitatio ex fundatione, prout etiam si id fieret ex voto, quibus *multum honoris semper ecclesia detulit,* tutius in edendum putamus.

Translationem admittit citatus Cavalerius, in casu quo agatur, non de arbitraria, sed praeceptiva, publica et solemni recitatione; quod si submisse recitandum est, admittit

etiam « in corpore quorumcumque dierum, esto consultius sit hoc pacto illud recitare absolutis horis canonicis ». At diebus ut supra excipiendis, incommoda plura forsan vitanda, puta defatigationis, aliarum functionum celebrationis, populi admirationis, melius suadent translationem. Si tamen adesset consuetudo illud omittendi iis diebus, posset concludi, eam fuisse mentem institutorum.

At sanctio quae procedit ex superius prolatis Decretis favetne casui nostro, quo dubitatur utrum obligatio proveniat ex fundatione, et consequenter num debeant excipi octavae privilegiatae et feriae maioris hebdomadae?

Sanctae Matris Ecclesiae nota pietas erga animas piacularibus flammis addictas, suadere videtur quod in dubio debeamus eis potius favere suffragiis; eo vel magis si adesset immemorabilis consuetudo.

Omnibus ergo consideratis, consuetudini standum esse concludimus, quae non sit contraria Decretis superius recensitis, in hypothesi vero quod sit contraria, eo sensu ut etiam diebus ibi exceptis recitari consueverit Officium, recurrendum ad S. Congregationem Concilii pro aliqua provisione, uti cautum est circa Officia addititia ratione antiquarum rubricarum, in novis rubricis ad normam bullae *Divino afflatu* (tit. VIII, n. 2, primitivae editionis).

M.

De commemoratione duplicis vel semiduplicis simplificati.

Iuxta decretum S. R. C. d. 7 decembris 1900 (apud Ephemer. Liturg., an. 1901, pag. 65) Festum duplex vel semiduplex, quod *perpetuo* redactum est ad ritum simplicem, considerari debet, non uti simplificatum, sed uti *simplex*, ideoque tale Festum, ad duas tantum commemorationes ius habet, scilicet in primis Vesperis et Laudibus. — *Quaer.*: an hoc decretum etiam hodie valeat circa Festa in diversis locis simplificata in perpetuum, v. g. ob Festum Dedicationis vel Tituli alicuius Ecclesiae, etc.?

Resp. Ante omnia advertendum est praedictum decretum non fuisse insertum in Appendice inter decreta au-

thentica Congregationis SS. Rituum, et consequenter nullam novam legem constituere posse; imo omissum est, quia aliter Apostolica Sedes disposuit (1). — E contrario, ne de cultu Sanctorum quidquam decederet et simul multiplices translationes evitarentur, S. Sedes opportunum duxit, ut Festa, *perpetuo* impedita, quae iuxta novas Rubricas transferri non possunt, etiam in suo die, in quantum solemnitas Festorum occurrentium vel concurrentium permitteret, celebrarentur. Haec est praecipua ratio, ob quam in praesenti Festa duplicia maiora vel minora et semiduplicia, *perpetuo* impedita, eadem iura habent ac Festa quae *per accidens* impediuntur, uti ex infra dictis clare patebit.

Hinc: 1° duplicia maiora vel minora ac semiduplicia, etsi *perpetuo* impediantur, ritum, quem habent, retinent ac ius ad Officium, quando festum impediens aliquando tollitur vel ad aliam diem transfertur. Hinc in diversis kalendariis perpetuis, a S. R. C. nuper reformatis, omnia Officia, etiam *in perpetuum* impedita adhuc ibi assignantur sub suo respectivo ritu.

2° Eadem Officia, uti ea quae *per accidens* impediuntur, habent ius ad tres commemorationes, scilicet in I et II Vesperis ac in Laudibus cum IX Lectione historica, quoties Officia occurrentia vel concurrentia eas permittunt. Hinc S. R. C. d. 28 octobris 1913, IV, 2, et novae Psalterii Rubricae (tit. V, n. 1; tit. VII, nn. 1 et 2 et Notand. 5 in Tabell. Occurr. et Concurr.) sequentia statuunt:

a) quod, praeterquam in Festis primariis Domini I classis Ecclesiae universalis (2), *in quolibet alio duplici I classis*, de duplici maiori vel minori vel semiduplici, acciden-

(1) Hinc ea quae in meo opere, *S. Liturg. Promptuarium*, tom. II, n. 58, 5°, dixi, omnino sunt delenda.

(2) Huiusmodi Festa sunt: Nativitas Domini, Epiphania, Pascha cum tribus praecedentibus et duobus sequentibus diebus, Ascensio, Pentecostes cum duobus diebus sequentibus, Festa SS.mae Trinitatis et Corporis Christi *(Cf. Dr. P. Piacenza Comment. in novis Rubr. Brev. Rom., n. 53)*.

taliter vel *perpetuo* impedito, fiat commemoratio in Laudibus et in Missis privatis, sine IX Lectione historica; in II vero *Vesperis* huiusmodi duplicis I classis fiat commemoratio de quocumque duplici vel semiduplici *sequenti*, licet simplificato.

b) Quod *in duplici II classis* fiat commemoratio *ad I Vesperas* de quocumque duplici maiori vel minori occurrenti vel praecedenti, etsi simplificato; *ad Laudes*, de duplici maiori vel minori et semiduplici, etiam simplificato: necnon in Missa solemni seu Conventuali; item IX Lectio historica ad Matutinum; *ad II* vero *Vesperas* fiat commemoratio de quocumque duplici vel semiduplici occurrenti vel sequenti, licet ad modum simplicis redacto.

3° Duplex maius et minus, sive per accidens sive *in perpetuum* impeditum, retinet, uti alia Officia eiusdem ritus, suum influxum tum in Officio tum in Missa, *dummodo commemoretur: in Officio* quoad conclusionem Hymnorum, Versum Responsorii brevis ad Primam, Suffragium de Sanctis, Preces Dominicales et Symbolum *Quicumque; in Missa* vero quoad tertiam Orationem, *Credo* et Praefationem (quoad *Credo* habetur exceptio in Missa de Feria, de Vigilia et Votiva privata, cum sit contra naturam eiusmodi Missae, ut habeat *Credo*). — Item dies infra Octavam (sive privilegiatam sive communem), et dies octava simplex si commemoretur, retinent eundem influxum quoad praedicta, praeterquam quoad omissionem 3 Orationis in Missa. — In occurrentia plurium Officiorum, propriam Hymnorum conclusionem vel proprium Versum ad Primam habentium, dicantur quae propria sunt Officii recitati. Si hoc Officium iis propriis carent, dicantur ea quae sunt propria Officii prius commemorati, aut secus de occurrenti Octava vel de Tempore. Et idem dicendum est de Praefatione in Missa. In Officio tamen *de Tempore Adventus* conclusio et Versus ad Primam, B. M. V. propria numquam dicuntur (Cf. nov. Rubr. Psalt., tit. VIII et plura S. R. C. decreta).

4° De Festis duplicibus maioribus seu minoribus vel semiduplicibus, *perpetuo* vel accidentaliter impeditis, dici po-

terant Missae *privatae* ad libitum Sacerdotis, dummodo Officium impediens non fuerit duplex I vel II classis, Dominica quaevis, Octava I et II Ordinis, dies Octava III Ordinis, Feria aut Vigilia privilegiata. Haec Missa dicitur ritu festivo cum 2ª Oratione Officii diei et aliis forte occurrentibus (S. R. C. 28 Octobris 1913, A. A. S., V, *457*).

P. VICTORIUS AB APPELTERN, O. M. C.

BREVIORA RESPONSA

Pro Dioecesi Buscoducensi. — Titularis Ecclesiae Cathedralis est S. Ioannes Evangelista die 27 Decembris. Iam quaeritur: an Regulares hac in Dioecesi degentes et kalendario proprio utentes debeant, non obstante quod ab iis Festum Titularis Ecclesiae Cathedralis sit celebrandum sub ritu duplici I classis *sine octava,* recitare Officium octavae simplicis die 3 ianuarii? Et in casu negativo, quomodo tunc Officium die 3 ianuarii ordinari debeat?

Resp. Haec quaestio clare decisa est a S. R. C. die 8 iulii 1914, ubi « Exquisitum est a S. R. C.: Utrum festa, quae in Kalendario universalis Ecclesiae sub ritu duplici II classis cum Octava simplici inscribuntur, et in aliquibus locis sint etiam Festa praecipue de sanctis Patronis locorum vel Titularibus ecclesiarum cathedralium, a Regularibus proprium kalendarium habentibus inibi celebrari debeant cum Octava communi, sicut a Clero saeculari? Et Sacra eadem Congregatio... ita rescribendum censuit: *Negative;* sed post diem festum servetur quoad Octavam kalendarium Ecclesiae universalis » *(Vide A. A. S., vol. VI, pag. 382).*

Pro Austria. — Quaeritur: I. Si iuxta S. R. C. 8 Febr 1913, II, in Missa de die aut in Missa de feria commemoratur festum duplex, censendusne est influxus talis, ut excludat orationem tertiam respectivam?

Resp. Affirmative, semper enim festum duplex quodammodo propriam dignitatem secum portat, etiam quando com-

memorationem habeat, ideoque semper ita influit, ut excludantur orationes, quae post orationem feriae essent dicendae in Missa.

II. In edit. typica Breviar. die 23 febr. legitur: *m. t. v. nisi tamen I Vesp. habeat saltem a capitulo*, ex hoc deducendum esse videtur, si Matutinum anticipetur die 22 in hymno dicendum: *beatas scandere sedes?*

Resp. Illatio non descendit; si enim, ut in casu s. Petri Damiani, Sanctus quilibet obierit hodie, et cras eius persolvatur officium, *non mutatur tertius versus,* si in Vesperis habet hymnum, nempe si saltem a capitulo habeat Vesperas in die obitus. Quod si commemorationem tantum habet, tunc neque ad Matutinum (licet anticipatum, post Vesperas) dicitur: *meruit supremos,* quia, ut patet, est pars officii in crastino persolvendi. Omnes rubricistae in casu sunt concordes.

III. Si occurrit eodem die S. Maria in Sabb. et S. Agnes secundo, de quo fit officium?

Resp. Licet festum S. Agnetis *secundo* sit revera residuum antiqui modi celebrandi octavas, ita ut in veteribus monumentis die 28 ian. inveniatur inscriptio: *Octava s. Agnetis* (Cf. Baumer *Hist. Brev. Rom.* II, 31), nihilominus in Breviario Pii v habitum fuit tamquam festum *simplex,* et ita remansit etiam in Breviario typico a Pio x f. r. reformato. Hinc, octavae simplices Ss. Laurentii, Stephani, Ioannis Ev. et Innocentium, praevalent officio s. Mariae in Sabbato, non autem festum S. Agnetis secundo.

IV. Nonne et Contitularis nominandus in Officio et Missa in oratione *A cunctis?*

Resp. Affirmative, nam, uti probavimus in nostris praelectionibus Liturgicis (*de Off. div.* n. 164) non dantur Titulares minus principales; ideoque, sicut de duobus sanctis Titularibus fieri debet festum distinctum sub ritu duplici I classis cum octava, si diversa die occurrant (ibid. n. 163) ita et in oratione *A cunctis,* ambo sunt nominandi.

V. Si infra Missam principalem expositum est Ss. Sacramentum in Ostensorio, ad altaria lateralia licitaene Missae pro defunctis in colore nigro?

Resp. Si agatur de solemni expositione XL Horarum negative, ut pluries declaratum est; si vero agatur de alia expositione, abstinere decet a celebratione Missae pro defunctis, sed summo iure non prohibetur.

Pro loco N. — I. In kalendario Dioecesis N. in festo Dedicationis Ecclesiarum sequentia referuntur: « In ecclesiis consecratis non habentibus aliquod altare *fixum* valide consecratum, non potest celebrari festum Dedicationis, donec Dedicatio huiusmodi Ecclesiae redintegretur per consecrationem alicuius Altaris ». Sed pro confirmatione huius dispositionis nulla subsequuntur Decreta S. R. Congr. — Quid dicendum de doctrina exposita? quid tenendum pro praxi?

Resp. Si ecclesia, de qua in casu, solemniter ab Episcopo dedicata fuerit procul dubio unum ex eius altaribus consecrari quoque debuit. Si hodie nullum altare in ea consecratum restat, hoc provenit ex aliqua accidentali causa propter quam altare consecrationem amisit. Dissecrato autem altare, ecclesia non perdit consecrationem, ergo festum Anniversarium eius omitti non debet. Rector ecclesiae sollicitus quidem sit, ut Episcopus quam primum altare denuo consecret, non tamen omittat officium dedicationis; nulla lex enim in casu produci potest in contrarium.

II. An ex novis Rubricis, et praesertim ex iis quae relata sunt in *Eph. liturg.* anno 1914, p. 283, in locis vel ecclesiis ubi s. Mauritius, dux legionis Thebaeae, est Patronus vel Titularis (et proinde celebratur sub ritu duplici I classis), sit separandus a Sociis et officium celebrandum de Comm. unius martyris, vel cum iisdem coniungendus et adhibendum Comm. plurimorum Mm.?

Resp. Ubi s. Mauritius est Patronus vel Titulus ecclesiae, iuxta novissimas Rubricas (tit. IX, n. 5) separandus est a sociis. Quod si alicubi consuetudo antiqua est ut de ipso et Sociis simul fiat officium, tunc supponendum est, quod omnibus simul dicata fuerit ecclesia, vel omnes tamquam Patroni electi fuerunt; et servari debet huiusmodi consuetudo. P.

Pro Hollandia. — Octava S. Laurentii M. e nova editione typica Breviarii Romani expuncta est. In locis vero, ubi S. Laurentius est Patronus, ideoque sub ritu duplici I classis cum octava communi celebrandus, quaenam Lectiones in die infra octavam et in die octava adhiberi debent? Utrum Lectiones ut inveniuntur in Breviario antiquo, ita ut decretum S. R. C. diei 6 decembris 1912 ad IV hoc quoque in casu applicetur, an Lectiones de festo vel de Communi iuxta Rubricas, ut in ceteris Sanctorum Patronorum octavis?

Resp. Decretum citatum applicabitur casui proposito, per simplicem analogiam; directe autem applicatur decretum S. R. C. diei 28 octobris 1913, tit. II, n. 5, in quo cum praescribatur, lectiones II et III nocturni dierum per octavas festorum duplicium II classis Ecclesiae universalis hucusque assignatas, inseri debere in Octavario romano; inde consequitur, ex hac parte Octavarii romani esse accipiendas lectiones de quibus in dubio praeposito quaeritur. Idem est ac dicere, lectiones per octavam *communem* S. Laurentii, easdem esse ac illas, quae in antiquis Breviariis inveniuntur.

Pro variis locis. — I. Solutioni datae in N. ultimo *Ephemeridum Liturg.*, p. 186, *pro Gallia* de legenda 9ª lectione S. Genovefae in festo SS. Nominis Iesu, occurrente Dominica (quae vacat) inter Nativitatem et Epiphaniam, contradicit Kalendarium Almae Urbis anno D.ni 1915, in quo siletur de hac 9ª lectione pro S. Anthero, licet de hoc Sancto simplificato commemoratio imperetur. Quid?

Resp. Silentium Kalendarii almae Urbis est ex oblivione, solutio *Ephemeridum* ex lege et ratiocinio.

II. Praestantia data per Specimen Kalendarii Ecclesiae Universalis 1916 in concurrentia festorum S. Marci repositi die 2ª maii, et Inventionis S. Crucis, in *Ephemeridibus Liturg.*, contradicere videtur regulae propositae in Tit. II novissimarum rubricarum, secundum quam, die 2ª maii 1916, Vesperae essent dicendae de S. Marco, quia festum primarium, cum sola commemoratione Inventionis Sanctae Crucis, quia secundarium. Quid?

Resp. Supra criterium primarietatis valet aliud maioris solemnitatis, quae inducitur per feriationem etiam sublatam; atqui festum Inventionis Sanctae Crucis olim fuit feriatum ergo, licet censeatur uti secundarium praeferri debet Officio s. Marci.

III. Die 30 iunii 1916, simplificabitur, per occurrentiam SS. Cordis Iesu, festum Commemorationis S. Pauli Ap. Specimen Kalendarii, ab *Ephemeridibus* datum, indicat, recte quidem, commemorationem huius festi in Laudibus, at omittit — num recte? — commemorationem S. Petri Ap., quae videtur coniungenda semper. Quid?

Resp. Multoties in compilatione Kalendariorum, ex errore typographorum aliquid omittitur; en casus noster. Quum vero lex sit Breviarii Romani, quod commemoratio s. Pauli semper fiat in festis s. Petri, et viceversa, quando festum unius ad instar simplicis recolatur, ius commemorationis alter non amittit; ergo in casu, ad Laudes SS. Cordis Iesu, fit prius commemoratio s. Pauli, et dein S. Petri.

IV. Solutio data, p. 189 ultimi n. *Ephemeridum Liturg.*, III, de non recitando *Credo,* extra Cathedralem, in festo Titularis eiusdem, videtur contraria decreto 4249, ad tertium, ex quo clare apparet, festum Titulare Ecclesiae Cathedralis esse Primarium etiam pro Regularibus, ratione subiectionis; si Primarium, *Credo* dicendum est.

Resp. Recitatio Symboli in Missa non dependet ex qualitate festi, an sit primarium vel non; sed ex alia ratione, vel Patronatus, vel Tituli in ecclesia propria etc. Cum autem in casu agatur de festo titulari extra *propriam ecclesiam,* iuxta antiquas S. R. C. decisiones nondum revocatas, non est dicendum Symbolum.

Igitur, festum titulare, in casu, quamvis sit primarium, non inducit ob hanc rationem *Credo,* si non debetur ex alio titulo. Ceterum clara est distinctio quam fecimus: *Credo* recitatur in festo Titularis, qua talis, *in propria ecclesia,* vi rubricarum; *Credo* non recitatur in eodem casu *extra propriam ecclesiam.* Regulares ergo qui Missam celebrant de Titulari cathedralis extra ipsam cathedralem non

valent dicere *Credo*, nisi ex alio titulo conveniat. Sunt autem plurima festa primaria etiam I classis, quae *Credo* non habent.

Pro Austria. — I. In *Ephemeridibus Liturgicis*, fasciculo anni XXIX secundo, 15 februarii 1915, pag. 115, aliquid emendandum invenitur in responsione pro dioecesi Lucana, I. Et revera Octavae Paschatis et Pentecostes *totae* excludunt duplicia I cl., ideoque Missae de die obitus vel pro die obitus prohibentur per totam octavam, non tantum feria II et III, sicut in dicto fasciculo legitur: hoc ergo in proximo fasciculo emendari debet.

Resp. Instamus in data solutione, quia non est supponendum quod S. Congregatio sub locutione *feriae* voluerit intelligere *dies infra octavas*, eo vel magis, quod in similibus, quando sunt excipiendi dies aliqui ex formula communiori, dicitur: exclusis feriis, vigiliis et octavis privilegiatis. Agitur in casu de ampliori privilegio, quod ceterum in novis, quae parantur, rubricis Missalis potest rursus novis dispositionibus esse obnoxium. Potius melius explicare volumus, in citata responsione, locutionem *duplicia II classis*, non esse adiectivum substantivi *festa*, sed obiectum verbi *excludit*, hoc ad aequivocationes tollendas.

II. Utrum feria VI prima cuiusque mensis (exceptis excipiendis diebus) in ecclesia ubi exercitia peculiaria in honorem Ss. Cordis Iesu aguntur, una tantum Missa votiva de Ss. Corde Iesu legi possit (cum unica oratione etc.), an plures? Puto, unam tantum concessam esse, nempe eam quacum ista exercitia sunt coniuncta; in Calendario dioecesis Brixinensis autem legitur: *plures*, sed sine argumento.

Resp. Missa, de qua sermo est, connectitur piis exercitiis, quae in honorem divini Cordis peraguntur, approbante Ordinario. Ut pluries dici posset eadem Missa, oporteret ut pia eiusmodi exercitia pluries fierent. Hoc non supponitur, et putamus actum iri contra voluntatem concedentis, si, ut plures Missae votivae de S. Corde habeantur, pluries repeterentur pia exercitia. Id tamen, uti alias diximus,

non esset reprehendendum si fieret in favorem diversi coetus personarum v. gr. prius Religiosarum, postea puellarum.

Pro Mosa Traiecti in dioecesi Ruraemundensi Hollandiae. — Quaeritur:

1. Quid dicendum, si in feria IV Cinerum simplificatur festum duplex, cuius officium igitur non dicitur?

2. Num tertia oratio in Missa dicenda est:

a) Si in die tertia infra octavam Epiphaniae occurrit *dies octava* Circumcisionis, pro ecclesiis quarum Titulus est Circumcisio?

b) Si, iuxta decretum S. R. C., 28 octobris 1913, tit. IV, n. 2, die, quo occurrente festo duplici impeditur festum semiduplex, Missa privata dicitur de festo semiduplici impedito cum commemoratione festi duplicis impedientis?

Resp. 1°. Iam in editione decretorum S. R. C. post auth. collectionem mox vulganda difficultatem et nos praevidimus; sed tum ex decretis, tum ex ipsis animadversionibus, quas una cum dubiis misit rev. Inquirens, facile est responsionem tutissimam deducere. Et sane, de omissione tertiae orationis communis in Missa, quando commemoratur festum duplex simplificatum, haec dedit S. Sedes responsa: *a*) Si in Dominica fit commemoratio de aliquo duplici officio, vel de die octava, vel de die infra octavam, omittitur tertia oratio in Missa (Nov. rubr., tit. VII, n. 4). *b*) Si in feriis Quadragesimae, Quatuor temporum, II Rogationum et in Vigiliis, in quibus occurrit officium ritus duplicis, celebratur ad libitum Missa de feria, vel de vigilia cum commemoratione festi duplicis cuius dictum est officium, omittenda est tertia oratio in Missa (S. R. C., 22 mart. 1912 ad V, et 19 aprilis 1912 ad VIII). *c*) Si infra Octavam Ss. Corporis Christi fit commemoratio duplicis simplificati, omittetur tertia oratio (S. R. C., 24 maii 1912 ad V).

Quamquam responsa S. R. C. 22 mart. 1912 ad V, et

19 apr. 1912 ad VIII explicite hunc casum non commemorant, ob analogiam tamen, et hic videtur omittenda tertia oratio in Missa, praecipue quia iuxta novissimas rubricas, tit. VII n. 3 omitti debet Suffragium.

Sed responsum diei 24 maii 1912 ad V videtur peremptorium: namque in eo vere casus est de duplici in Missa inferioris ritus commemorato, de quo tamen non recitatur officium, sed in officio de die fit sola commemoratio. Hinc si hoc valet in casu de officio semiduplici cur non valeat in alio de inferiori? Ergo, feria IV Cinerum omittetur tertia oratio post illam duplicis.

Resp. 2°. *a*) Reipsa in decreto S. R. C. d. d. 30 ianuarii 1915 ad I, ne mentio quidem fit diei 8 ianuarii, quae est dies octava Circumcisionis, et hoc probat, iuxta mentem oratoris, hac die omittendam esse tertiam orationem; in responsione autem pariter silet S. Congregatio, sed utrum ex hoc silentio mens eius eruatur, quamvis dubitari queat, nihilominus satis rationabiliter arguitur; pronum enim fuisset respondere, etiam die 8 ita esse faciendum, ut diebus praecedentibus, quia secus evidens error proponentis dubium a S. Congregatione cohonestatus evasisset. Cum ergo S. Congregatio tacuerit, id significat, tutam esse sententiam in dubio veram suppositam, quod die 8 ianuarii, nempe, die octava Circumcisionis, quae iure duplicis maioris pollens simplificanda est, talem esse influxum illius, ut tertia oratio in Missa de die infra octavam Epiphaniae sit omittenda.

b) Tertia oratio etiam in casu omittenda est, quia, posito principio de influxu Duplicis, oportet illud, quotiescumque in similibus adiunctis res versetur, applicare: ceterum festum semiduplex in hoc bene comparari potest Semiduplici de infra octavam.

M.

THEOLOGIA LITURGICA

Continuatio V. n. 3 curr. an., pagg. 191-192.

48. II. *Commercium spirituale inter angelos.* Ut aliquid dici possit de commercio inter angelos, videndum est in primis utrum ipsi socialiter iuncti sint, et societatem constituant. Iuxta communem Patrum et theologorum sententiam multitudo angelorum dividitur in tres hierarchias, et novem choros, qui nomine proprio distinguuntur. Sunt autem: Seraphim, Cherubim et Throni in prima hierarchia; Dominationes, Virtutes et Potestates in secunda hierarchia; Principatus, Archangeli et Angeli in tertia. In doctrina S. Thomae ratio distinctionis hierarchiae est diversus gradus et modus cognitionis, seu illuminationis; propterea angeli qui lumen scientiae hauriunt immediate a Deo, ut in primo et supremo principio, constituunt primam hierarchiam; illi qui scientiam hauriunt in universalioribus principiis et causis creatis constituunt secundam; qui vero illam hauriunt in particularibus principiis et causis constituunt tertiam. Quoniam vero in unaquaque hierarchia distinguuntur gradus in actibus et officiis ad eam pertinentibus, qui reducuntur ad tria, scilicet ad summum, medium et infimum; propterea in omni hierarchia sunt tres ordines seu chori supra indicati (1).

49. In qua doctrina tamen nihil est quod ad fidem pertineat nisi nomina propria assignata diversis ordinibus seu choris angelorum, cum haec explicite inveniantur in Scriptura sacra; de ratione autem et significatione propria istorum nominum nihil habemus neque in Scriptura, neque in traditione. Attamen deductiones et coniecturae Patrum et theologorum de hac re non sunt spernendae, imo magni faciendae; non enim omni fundamento destituuntur. Sed quidquid est de ratione distinctionis angelorum in hierarchias et ordines, et de significatione nominum quae ipsis assignantur, dubitari nequit aliquod spirituale commercium officii inter ipsos; nam sine

(1) Hierarchia secundum vim nominis est sacer principatus; sacer autem principatus significat principatum in ordine sacrorum, seu principatum societatis in rebus sacris. Principatus vero considerari potest dupliciter, scilicet ex parte principis qui praeest, et ex parte multitudinis quae subest: in societate angelorum princeps omnium est Deus, qui tamen sui principatus quosdam participes facit super aliquam partem multitudinis, quae ideo cum angelo cui subest post Deum constituit societatem particularem, quae hierarchia nominatur.

illo quomodo eorum societas prospere vigere posset, et finem suum consequi in glorificatione electorum? (1).

50. Commercium in societate angelica fit locutione et illuminatione. Nam et angeli loquuntur; loquuntur mutuo, Deo et hominibus. Legitur in Isaia: *Seraphim stabant... et clamabant alter ad alterum et dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum* (2). In Daniele: « *Et audivi vocem viri inter illas, et clamavit et ait: Gabriel fac intelligere istam visionem* (3). Ine pistola canonica Iudae: *Cum Michael Archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore... dixit: Imperet tibi Dominus* (4). Angelus apparuit Zachariae et ait: *Ne timeas Zacharia,* (5). Angelus Gabriel ingressus ad Mariam dixit: *Ave gratia plena. Quae cum audisset turbata est in sermone eius* (6). Plures aliae tam in veteri quam in novo Testamento leguntur narrationes sermonum angelorum cum hominibus. Ceterum quoniam angeli, ut diximus, constituunt societatem, seu quamdam rempublicam intellectualem, non nisi per actiones intellectivas, et intellectivum commercium regi et gubernari possunt; sine locutione autem quaenam communicatio intellectualis necessaria ad directionem haberi potest?

(Continuabitur).

---

(1) Finis ultimus angelorum est finis omnium creaturarum spiritualium, scilicet assecutio beatitudinis aeternae in visione beatifica, quae constituit glorificationem, seu gloriae aeternae assecutionem.

(2) Isaiae VI. 1, 3.

(3) Dan. VIII. 16. Secundum S. Hieronymum et Hebraeos, vir cuius vocem audierat Daniel erat angelus Michael.

(4) Iudae, 9.

(5) Luc. 1. 13.

(6) Ib. 28, 29.

PROPRIETAS LITERARIA

IMPRIMATUR
Fr. ALBERTUS LEPIDI O. P., S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR
† IOSEPH CEPPETELLI, Patr. Costantinop., *Vicesgerens*.

AUGUSTUS ZUCCONI, Director Domus editricis Desclée et Soc., Romae, *Sponsor*.

Ex Officina Polygraphica Latiali, Fratrum Tempesta, Via Boccaccio, 7 - Roma

S. CONGREGATIO CONSISTORIALIS

DECRETUM.

De vetitis nobilitatis familiaris titulis et signis in episcoporum inscriptionibus et armis.

Apostolica constitutione, cuius initium *Militantis Ecclesiae* die 19 decembris 1644 data, Summus Pontifex Innocentius X mandavit ut « omnes S. R. E. Cardinales, ad unitatem et aequalitatem ordinis conservandam, iubeant e propriis sigillis et insignibus quibuscumque, vulgo *armis* nuncupatis, amoveri coronas, signa ac omnes notas saeculares, praeter eas, quibus intra scutum armorum eorum familiae tamquam de essentia et integritate eorumdem armorum utuntur, et ut in posterum ab illorum usu abstineant ». Ad unam vero eamdemque rationem hac in re, etiam quoad Episcopos, inducendam Ss.mus D. N. Benedictus Papa XV legem, quae supra relata est, ad eos extendendam opportunum censuit. Quapropter Sanctitas Sua hoc edi iussit consistoriale decretum, quo Patriarchae, Archiepiscopi et Episcopi omnes tam residentiales quam titulares in posterum in suis sigillis et insignibus seu armis, itemque in edictorum inscriptio-

nibus, titulos nobiliares, coronas, signa aliasque notas saeculares, quae nobilitatem propriae familiae vel gentis ostendant, addere penitus prohibentur, nisi forte dignitas aliqua saecularis ipsi episcopali aut archiepiscopali sedi sit adnexa; aut nisi agatur de ordine equestri S. Ioannis Hierosolymitani aut Ss.mi Sepulchri. Contrariis non obstantibus quibusvis.

Datum Romae, ex Secretaria S. Congregationis Consistorialis, die 15 ianuarii 1915.

† C. Card. DE LAI, Episc. Sabinen., *Secretarius.*

L. ✠ S.

† Fr. THOMAS BOGGIANI, *Adsessor.*

Commentarium.

Innocentius Papa X. in sua Constitutione « *Militantis Ecclesiae regimini* » d. d. 19 dec. 1644, in hoc decreto citata retulit dispositionem Congregationis Caeremonialis, quae est tenoris sequentis:

« Sacra Congregatio Caeremoniarum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, in qua interfuerunt Reverendissimi Domini Aloysius tituli Sancti Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis Capponius, Franciscus tituli Sancti Laurentii in Damaso Presbyter Cardinalis Barberinius, Bernardinus tituli Sancti Petri ad Vincula Presbyter Cardinalis Spada, Federicus tituli S. Marci Presbyter Cardinalis Cornelius, Io. Dominicus tituli Sanctae Caeciliae Presbyter Cardinalis Spinula, Franciscus Maria tituli Ss. Duodecim Apostolorum Presbyter Cardinalis Brancatius, Franciscus tituli Sancti Hieronymi Illyricorum Presbyter Cardinalis Montaltus, Carolus Sancti Nicolai in Carcere Diaconus Cardinalis Medices, Hieronymus S. Eustachii Diaconus Cardinalis Columna, Raynaldus S. Mariae novae Diaconus Cardinalis Estensis.

censuit enixe Sanctissimo Domino nostro supplicandum tanquam pro re maxime congrua, ut directe praecipiat Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, etiam quacumque natalium, seu praecellentium aliarum dignitatum praerogativa insignitis, quod solo nomine Cardinalis, absque ullo saecularis dignitatis additamento contenti, non aliis Titulis nuncupentur, nec uti inter eos possint, quam Eminentissimi et Reverendissimi, necnon Eminentiae Reverendissimae, non obstantibus quibuscumque in contrarium facientibus. Insuper, ut Sanctissimus Dominus noster dignetur mandare, ut omnes Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales supra recensiti, ad unitatem ordinis conservandam, iubeant e propriis Sigillis et Insignibus quibuscumque, vulgo Armis nuncupatis, amoveri Coronas, Signa, ac omnes notas saeculares, praeter eas, quibus intra scutum Armorum eorum Familiae, tanquam de essentia, et integritate eorumdem Armorum utuntur, et ut in posterum ab illorum usu abstineant, solo pileo de pretioso Christi Sanguine rubente, insigniti ac decorati; ac ulterius Sanctissimus Dominus noster inhibeat sub excommunicationis latae sententiae, ac aliis arbitrii sui poenis, Sculptoribus, Pictoribus ac aliis quibuscumque, ne praedictas notas saeculares in Sigillis et Armis aliisque Insignibus Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium sculpere ac pingere, aut sculpi, vel pingi mandare audeant ».

Cum autem Cardinales praesentes in consistorio huiusmet diei 19 dec. 1644, *praeviis singulorum suffragiis, unanimes, uno ore, et nemine prorsus discrepante,* supplicassent Summum Pontificem, ut Decretum praedictum confirmare vellet sua apostolica auctoritate, illud revera Innocentius X ratum habuit et adprobavit, literasque sub plumbo desuper expediri mandavit, praecipiens pariter ut idem decretum ab omnibus Cardinalibus, tunc et pro tempore existentibus, aliisque ad quos spectabit quomodolibet in futurum inviolabiliter observaretur.

Quilibet porro ex noviter electis Cardinalibus, antequam

galerum rubrum de manu Pontificis excipiat, inter alia, quae promittit et iurat, in formula iuramenti, a Pio Pp. X reformata, profert etiam haec verba:

« Item omnia et singula Decreta, praesertim a Sacra Congregatione Caeremoniali hactenus emanata, et in posterum emananda pro sublimi Cardinalatus honore et dignitate conservanda, ad unguem observaturum, neque quidquam, quod eiusdem Cardinalatus honori et dignitati quovis modo, et ex quavis causa repugnet, aut diminuat, acturum ».

Nonnulli quidem eminentissimi Patres, etiam post dictam Innocentiam Constitutionem, coronam principum in stemmatibus suis, et titulum in edictorum inscriptione, retinuerunt; ex. gr. Cardinales episcopi, qui Principes romani Imperii, aut Consiliarii Imperatoris electi erant, arma sua imperiali pallio contegebant, dictamque personalem dignitatem in actis curialibus servabant.

Cardinalis quoque Henricus dux Eboracensis, quoad vixit in cardinalatu (ab anno 1747 aetatis suae 22, ad 1807), non tantum retinuit titulum vulgo *Altezza Reale Eminentissima e Serenissima,* quae parum placuit aliis Cardinalibus (Moroni 103, p. 324), sed defuncto Carolo-Eduardo fratre suo maiori, anno 1788, nomen assumpsit *Henrici ix*, ob ius successionis in regno Angliae, atque in palatio suo exigebat ut sibi tribueretur titulus regiae Maiestatis (*Maestà*) externe tamen, ne tricae, parturbationes ac querimoniae exorirentur, contentus erat de titulo consueto Ducis Eboracensis. In suo tamen stemmate, sub galero cardinalitio, imponebat coronam regiam, ut videre est in numismate de quo loquitur Moroni (ib. 334), et in testamento petiit ut titulus Henrici ix super suo tumulo inscriberetur.

Huiusmodi regula ad hoc instituta, ut eminentissima dignitas cardinalitia magis magisque per se refulgeret absque alio titulo vel insigni honoris civilis, et ad aequalitatem inter Principes Ecclesiae romanae adservandam, numquam ad Episcopos applicata fuit: ideoque, uti notum est, omnes Episcopi, qui ex nobilibus familiis assumebantur, in stem-

matibus suis coronam gentilitiam sub galero episcopali superimponere solebant, et solent usque ad praesentem diem. Nunc vero ad unam eamdemque rationem hac in re etiam quoad Episcopos inducendam, Ss. D. N. BENEDICTUS XV ad Episcopos quoque legem istam, pro Cardinalibus latam, extendere voluit. Dignitas enim episcopalis divinitus instituta, quoad sacramentalem characterem, omnibus est superior in ecclesia Christi: et licet dignitas cardinalitia, iure ecclesistico, excellentior censeatur, eo quod Patres Cardinales quasi unum corpus efficiant cum Romano Pontifice, qui, non ratione Ordinis, sed ratione Iurisdictionis, super Episcopos praeeminet, nihilominus, Episcopi, qui sunt Apostolorum successores, et in propria dioecesi Christum ipsum repraesentant, summo honore digni sunt omnino, ita ut quaelibet alia dignitas familiaris nihil conferre possit in personam Episcopi, quod maius exigat obsequium. Hinc est propterea, quod inter Episcopos, sint ipsi vel non sint nati ex gente titulo nobiliari insignita, nobiles per se ipsos efficiuntur ea nobilitate sacra et liturgica, qua supereminent ipsos reges et imperatores.

Iure ergo meritoque, sicut Cardinales nomine et insignibus propriae dignitatis eminentissimae contenti esse debent, quin alios titulos, vel alia insignia gentilitiae nobilitatis retineant, ita et Episcopi, qui nobiles nati sunt, rationabilis aequalitatis gratia, in nihilo se distinguere debent ab illis qui tales non sunt.

Quilibet porro Patriarcha, vel Archiepiscopus, vel Episcopus, tam residentialis quam titularis, *in posterum*, licet prodeat ex aliqua familia, cui competat titulus v. gr. Ducis, Marchionis, Comitis, vel Baronis, etc., et ius relativam coronam nobiliarem in armis imponendi, non amplius poterit, iisdem gentilitiis titulis in edictorum episcopalium inscriptionibus, et coronis in stemmatibus uti, quae nobilitatem gentis suae ostendant. Eiusmodi nunc est enim nova dispositio pontificia quoad Episcopos.

Quid vero dicendum de iis, qui, ante decretum istud,

Episcopi creati sunt, et iam sigilla propria incisa habent, et stemmata depicta cum coronis nobiliaribus suae familiae? Eruntne adstricti ad nova sigilla sibi comparanda, et nova stemmata depingenda?

Salvo meliori iudicio, et competentis auctoritatis salva decisione, negative respondendum esse censemus, quia decretum istud consistoriale utitur verbo *in posterum*, ideoque videtur quod tangat tantummodo sigilla et stemmata quae *in posterum* paranda erunt. Quod autem attinet inscriptiones in edictis episcopalibus, aliter dicendum esse putamus, quia agitur de edictis *in posterum* edendis, porro, licet nonnulli Episcopi hucusque usi sint titulis nobiliaribus propriae familiae in edictis suis, in iisdem *in posterum* edendis edictis non amplius iis licebit adhibere titulos ipsos.

Decretum tamen permittit ut Episcopi coronas et signa et titulos nobiliares adhuc adhibere possint, si forte dignitas aliqua saecularis ipsi episcopali sedi sit adnexa. Plurimae enim sunt sedes episcopales quae legitime dignitatem aliquam adnexam habent, ex. gr. Episcopi Placentiae et Parmae, sunt Comites earumdem civitatum, Episcopi Derthonae et Regii Lepidi sunt Principes, alii, ut Ratisbonensis Episcopus, sunt Comites Romani. Isti ergo adhuc titulos huiusmodi retinere poterunt in suis edictis, et in armis coronas respectivas imponere. Similiter Episcopi, qui pertinent ad Ordines equestres, vel S. Ioannis Hierosolymitani, seu Melitensis, aut s. Sepulchri, cum sint Ordines sacri et religiosi, sicut hucusque, ita et deinceps, titulum et coronam propriam Ordinis retinere poterunt, ut aperte concedit consistoriale Decretum.

P. P.

S. CONGREGATIO RITUUM

DECRETUM.

In LUCIONEN. 12 Aug. 1854.

Nonnulli scriptores de Sacra Liturgia, uti P. Aloysius a Carpo, et De Herdt, citant hoc decretum, quod evulgatum fuit antequam exiret tertia editio Decretorum S. R. C., et ex eius dispositionibus deducunt conclusiones maximi momenti, auctoritate fulti huiusmodi percelebris decreti; cum autem postea in editione III Decretorum, quae in lucem exiit annis 1856–1860, omissum fuerit hoc idem decretum, alii scriptores, conclusiones A Carpo et De Herdt non accipiunt, easque quasi derident, eo quod citatum ab ipsis decretum inter authentica non fuit receptus.

Nihilominus, revera, solutiones in ipso contentae non parvi momenti sunt, et nonnullas praeveniunt decisiones aliquas recenter a S. R. C. evulgatas; pretium ergo est operis illud in hisce Ephemeridibus edere, et brevibus notis illustrare.

Nemo quidem dubitare potest decretum hocce vim obligandi adhuc plene possidere, eo quod in Collectione non continetur, quia S. R. C. aperte declaravit in suo decreto, quod dedit die 10 dec. 1870: scilicet: « Decreta S. R. C. quae etsi non prostent in Gardelliniana editione, constet tamen ea esse authentica, eamdem habent auctoritatem quam retinent illa, quae leguntur dicta in editione; dummodo haec decreta extra Collectionem Gardelinianam posita, non sint opposita decretis posterioribus in eadem Collectione contentis. »

Quod implicite comprobatur etiam ex decreto praefixo Collectioni Decretorun sub Leone xiij, d. d. 16 feb. 1898, in quo legitur: « Simulque statuit (Leo xiij) Decreta huc-usque evulgata, in iis quae a Decretis in hac collectione

insertis dissonant, veluti abrrogata esse censenda » ergo in iis quae non dissonant, adhuc retinent suam auctoritatem.

Praesens ergo Decretum percelebre, non tantum ob materias de quibus pertractat, sed etiam quia 81 dubia solvit, ideoque est prolixius omnium decretorum quae a sua institutione sacra Congregatio edidit, datum fuit die 12 Augusti 1854, pro dioecesi LUCIONENSI, et habetur in regestis eiusdem Congregationis (Vol. 1854, pag. 297 et seq.). In Collectione Decretorum uti diximus tum anni 1856, tum in posteriori anni 1898 omissum fuit, editum tamen est in *Analecta Iuris Pontificii,* quae olim Romae a scriptoribus gallicis evulgabatur (*XIV Livraison, col. 2188-2205*).

Qui citatum volumen in Regestis S. R. C. videt, statim rationem habebit de huiusmodi decreti omissione; Decreta omnia in illo volumine contenta, distincto et uniformi charactere descripta conspicit; hoc tamen *in Lucionen*, non est descriptum eadem manu sicut alia, sed in foliis alius coloris ac minoris formae, cum inscriptione in superiori sinistro angulo typis edita Curiae Episcopalis Lucionensis (nempe *Evêché de Luçon*), ideoque folia ipsa continere non possunt nisi originales propositiones lxxxi dubiorum, cum responsionibus in margine manu consultoris scriptis ad unumquodque dubium. Hinc est quod forsan tamquam documentum alligatum censuit ille, qui decreta transcripsit pro paranda authentica editione. et ideo illud omisit. Unum et octoginta dubia distributa sunt in duodecim articulos, distinctos per materias; uti autem facilius intelligantur, et amore brevitatis, responsiones ad huiusmodi dubia datae, in forma positiva et absoluta transcribimus.

En ergo Decretum:

Dum Rev.mus Lucionensis Episcopus (in Analectis supressum est nomen dioecesis) ad instaurandam in sibi concredita Dioecesi S. Romanae Eccl. Liturgiam se-

dulam curam impenderet, ut singula iuxta praefinita a Rubricis et Decretis leges ordinata procedant, nonnulla dubia Ss. D. N. Pio IX Pont. Max. religiosissime proposuit, ut super iisdem haec Sancta Apostolica Sedes sententiam suam eliciat, nimirum:

Art. 1. — *De commemorationibus in diebus Litaniarum sive in missa de Rogationibus, sive in missa de festo occurrente.*

1. Licet ex decreto 23 maii 1846 facienda sit commemoratio festi occurrentis in missa Rogationum, in ecclesiis ubi non solet quotidie missa decantari, nihilominus in ecclesiis ubi aliae missae leguntur de festo, vel de VIgilia Ascensionis, commemoratio addi non debet, nam in adducto decreto agitur de ecclesiis in quibus missa de festo vel de Vigilia omnino desideratur.

2. Idem dicendum pro Cathedralibus, in quibus non cantantur. duae missae in casu.

3. Pro iisdem diebus Rogationum Rubrica Missalis *In missis privatis, si dicantur de Sancto, fit commemoratio Rogationum*, applicari debet etiam si in eadem ecclesia cantetur missa Rogationum; et missa cantata Rogationum, non est motivum sufficiens omittendi commemorationem earundem Rogationum in missis lectis de festo vel de Vigilia.

4. In iissem missis privatis de festo fieri debet commemoratio Rogationum, etiam si missa de Rogationibus cantetur ab alio Clero qui accedat stationem facturus.

Commentarium.

Ad 1. In citato decreto in Tuden. n. 2915 iubetur esse commemorationem festi occurrentis in missa Rogationum, in ecclesiis in quibus non solet missa quotidie decantari, vel adest unicus sacerdos. Ubi ergo plures habentur Sacerdotes, vel duae cantatur missae, in missa de Rogationibus non fit commemoratio festi occurrentis, iuxta solitas leges missarum Conventualium in Cathedralibus et Collegiatis. Hoc declarat decretum istud.

Iuxta novissimas dispositiones, S. R. C. in variis decretis suis contentas, diebus Litaniarum tam maiorum quam minorum, in quibus occurrat aliquod officium ix lectionum, non tamen de die infra Octavam, in ecclesiis unam tantum missam habentibus, si fiat processio, ipsa missa dicitur de Rogationibus cum commemoratione officii occurrentis, nisi festum sit duplex I classis, quo in casu missa dicitur de festo cum commemoratione Rogationum. In ecclesiis ubi plures sacerdotes celebrant, in missis privatis non fit commemoratio Rogationum in festo s. Marci, fit vero huiusmodi commemoratio feria iij et iv Rogationum, licet occurrat aliquod festum ix lectionum, nisi hoc sit duplex I classis, iuxta decretum 3009.

Ad 2. Aliquibus in Cathedralibus et Collegiatis, concessum fuit a S. Sede, ut una tantum missa conventualis quotidie decantaretur; hoc in casu, in missa de Rogationibus agenda erat commemoratio festi occurrentis, ut patet, alioquin neque in principali missa ullam partem haberet officium diei.

Ad 3. Dubium oritur quia in festo s. Marci dicuntur missae privatae absque commemoratione Rogationum, cum Rubrica illam non praescribat; praescribit tamen feria iij et iv, ideoque, non sufficit missa principalis celebrata de

Rogationibus, sed in qualibet missa privata fieri debet commemoratio Rogationum.

Ad 4. Pluribus in locis missa Rogationum cantatur in ecclesia ubi processio stationem facit; hoc in casu licet, alius clerus ad tuam ecclesiam adveniat missam cantaturus, in missis lectis commemorationem facere debes de ipsis Rogationibus. Ad rem meminisse iuvat quod S. R. C. decretis nn. 121 et 2441 declarans quod Regulares nullo modo possunt impedire quominus Canonici missam decantent in suis ecclesiis, licet exemptis, in quibus Processio terminatur.

Art. 2. — *De commemorationibus in missis votivis solemnibus de Epiphania et aliis, in Dominica infra Octavam.*

5. In missis votivis de solemnitate translata ad normam Indulti Cardinalis Caprara, quae cantari debent in Dominica sequenti, fieri debet commemoratio festi et Dominicae occurrentis iuxta decretum in Tornacen. d. d. 22 iul. 1848, etiam in ecclesiis ubi aliae missae lectae habentur de festo vel de Dominica: et huiusmodi missae lectae de festo vel de Dominica, non sunt motivum sufficiens omittendi commemorationem festi vel Dominicae in supradictis missis votivis solemnibus; missae enim eiusmodi, per speciale indultum concessae ordinantur ad solemnitatem in populo recolendam.

6. In iisdem missis votivis solemnibus de Ss.mo Corpore Christi et de Ss. Petro et Paulo, facienda est commemoratio festi per accidens simplicis, et non solummodo in aliis missis de officio diei.

7. In iisdem missis votivis solemnibus, quando in eis fit commemoratio Dominicae, dicendum est evangelium Dominicae, non enim repugnat regulae generali Rubricae (p. 1, tit. xiij, n. 2): *In missis votivis numquam legitur in fine aliud Evangelium nisi S. Ioannis*, ob rationem adductam superius ad dubium 5.

Commentarium.

Ad 5. In universo territorio Galliarum, per indultum concessum a Card. Legato Caprara, die 9 apr. 1802, quatuor festa Epiphaniae, SS. Corporis Christi, Ss. Petri et Pauli, ac sancti loci Patroni recolenda erant in propria die, per offiicium et omnes missas, sed solemnitas externa transferenda erat in sequentem Dominicam infra Octavam.

Occasione huius indulti, non una exorta est difficultas, et tunc idem Card. Legatus aliud dedit decretum, die 21 iunii 1804, ad Vicarium generalem Mechliniensem, de quo mentio infra habetur in dubio 10, quod, licet Vicario praedicto esset directum, attamen ex decreto S. R. C. 29 novembris 1831 (n. 4671 ant. coll.) servari debet per totam Galliam.

Per dictum decretum 27 iun. 1804 declaratum est, quod in Dominica infra octavam dictorum festorum, officium a Clero, tam publice quam privatim, persolvendum erat de festo vel de Dominica occurrente, et item missae omnes iuxta calendarium illius diei: una tamen missa cantada erat de festo illo translato cum unica oratione, more votivo, minime omissa in Cathedralibus et Collegiatis altera missa conventuali de festo occurrenti.

Quod si aliquando Dominica infra octavam fuerit impedita, tunc festum externum translatum celebrandum erat in Dominica proxime sequenti, numquam vero in antecedenti.

Quod si festum Epiphaniae et Ss. Apostolorum Petri

et Pauli incidant in die Dominico, tunc missa in omnibus ecclesiis canitur more festivo, et in festo Ss. Apostolorum etiam cum commemoratione Dominicae eiusque evangelio in fine.

Missa vero solemnis huiusmodi festi translati in Dominicam infra Octavam, omnino cantari debet, iuxta decretum 23 mai. 1846 non tantum in Cathedralibus, Collegiatis et parochialibus ecclesiis, sed etiam in ecclesiis et oratoriis publicis, in quibus de more canitur missa in festis diebus, uti declavit S. R. C. per decretum 22 iul. 1848. Celebratur vero ut in die festo cum *Gloria* et *Credo,* unica oratio dicitur, cum Evangelio s. Ioannis in fine.

Per hoc vero decretum in *Lucionen.,* quod exponimus, in dubio hoc v, declaratur quod, in ecclesiis ubi alia missa de die non cantatur, agenda sit in missa de festo translato commemoratio festi occurrentis et Dominicae, quia missae lectae in casu, praestare non valent motivum sufficientem omittendi dictam commemorationem; aliquin de festo occurrenti, cuius persolutum est officium, in missa solemni chorali, deficeret saltem commemoratio, quod est contra mentem et consuetudinem Ecclesiae.

Notandum autem est, quod huiusmodi missae cantatae de festo in Dominicam sequentem translato, in hoc decreto, et in declarationibus Card. Caprara, vocantur *missae solemnes votivae.* Et iure votivae appellari possunt, quia non respondent officio diei; attamen quia sunt missae celebratae infra Octavam festorum ad quae pertinent, aliquo modo *festivae* quoque sunt, iuxta spiritum novissimarum Rubricarum.

Ad 6. Hic dicitur quod in missa solemni agenda etiam sit commemoratio de festo *per accidens simplici;* licet enim eo tempore, quo decretum istud datum fuit, non adhuc prohibita esset translatio duplicium minorum et semiduplicium, nihilominus, quando intra anni terminum, sedes libera non habebatur pro translatione alicuius festi, tunc eius commemoratio facienda erat in sua die, exceptis festis Paschatis

et Pentecostes, uti decrevit S. R. C. die 11 mart. 1837 n. 4810 ant. coll. De huiusmodi festis per accidens simplicibus loquitur ergo hoc dubium. In cuius responsione notandum est, quod praescribitur eadem commemoratio in missa solemni, licet aliae missae lectae in eadem ecclesia celebrentur: huiusmodi vero commemoratio simplificati iuxta novissimas Rubricas, agenda nunc est in missis privatis tantum, si agitur de missa festi duplicis I classis.

Porro vi huius decreti, quod exponimus, missa solemnis de festo translato in Dominicam, censetur non retinere ritum duplicem I classis, quia, saltem post Breve « Nullo umquam » Leonis xiij, quo in festis I classis prohibebatur commemoratio simplificati omitti debuisset, si ritu duplici I classis celebranda esset.

Ad 7. Opportuna est dispositio ista circa ultimum Evangelium in fine missae, in qua habita sit commemoratio Dominicae: in novissimis rubricis post bullam « Divino afflatu » pariter statuitur, quod semper dicendum sit in fine missae evangelium Dominicae, vel Feriae vel Vigiliae, cuius in missa facta sit commemoratio.

Acta Academiae Liturgicae Romanae.

Die 24 februarii 1915, apud ecclesiam Ss. Trinitatis et S. Apollinaris Congreg. Missionis, habitus est conventus academicus, in quo Rev. PAULUS MARELLA, *e Pontificio Seminario Lateranensi, quaestionem enodavit:*

De communionis distributione in triduo mortis Domini.

Post Censorum animadversiones, R. D. FELIX RAVANAT *epitomen resolutionum fecit, ac postea unus ex Presbyteris Congr. Missionis pium sermonem habuit.*

V.

Florentius, parochus oppidi in quo magna cohors militum mansionem continuam habet, in ultimo triduo mortis D.ni, multos ex ipsis ad sacramentum poenitentiae et ad communionem paschalem admittit, adiuvantibus aliquibus religiosis, ita et ut etiam feria VI in Parasceve et in Sabbato Sancto, mane, communionem illis distribuat. Cum autem in ecclesiasticis ephemeridibus legerit recens decretum S. R. C. diei 28 aprilis 1914, ubi permittitur communio in Sabbato Sancto tantum in missa solemni, et etiam expleta missa, dubitat an consuetudinem suae ecclesiae continuare possit:

Hinc quaerit:

1. Quid tradunt scriptores antiquitatum christianarum circa missam in ultimo triduo mortis D.ni; et cur in feria V et in Sabbato una tantum missa permittatur?

2. Quibus in ecclesiis missae solemnes et cetera officia celebrari possint iisdem diebus et quibus caeremoniis?

3. Quid de consuetudine, de qua loquitur Florentius in casu, et quo sensu sit accipiendum citatum decretum S. R. C.?

Solutio.

Ad I. In ultimo triduo hebdomadae maioris, mysteria Passionis et mortis Domini celebrans Ecclesia, ritibus ac caeremoniis moestissimis utitur, quibus mirabiliter corda fidelium disponuntur ad recolendum summum amorem quo Redemptor flagravit quando tradidit semetipsum pro nobis.

Iam a primis saeculis, ut aperte testatur pia illa peregrina Aetheria, quae loca sancta invisens (an. 380–390) itinera sua descripsit (Cf. Duchesne Orig. du C. Chr. Append.), dies huiusmodi hebdomadae celebrabantur solemniter. Distincte loqui decet de singulis. Feria V, quae dicitur in Coena Domini, recolitur memoria Institutionis Ss.mi Sacramenti. Solemnissime Hierosolymis celebrabatur, et dicebantur duae missae; prima hora quartadecima, in ecclesia apud Golgotha, quae vocabatur *Martyrium*, ob locum in quo Cruci affixus est Redemptor noster, et hora decimasexta celebrabatur altera in aedicula vocata de Cruce, in qua, ut scribit Aetheria « offert Episcopus ibi oblationem, et communicant omnes ». Etiam alibi antiquitus in ista Feria V, duae missae celebrabantur, prima ante meridiem hora consueta, et altera in Vesperis: utraque vero festivo ritu: ex quo explicatur quomodo in Concilio Laodicaeno permissa fuisset interruptio ieiunii in feria V, quae vocabatur Feria solemnis nec non *Natale Calicis*.

Uti habetur ex Sacramentario Gelasiano, etiam Romae hac duae missae hac die in usu erant.

Aliis in locis una tantum missa, quae celebrabatur vespere, ut esset maior conformitas cum ultima Coena Ss.mi Redemptoris.

Celebris est epistola s. Augustini ad Ianuarium, in qua loquens de diversis usibus adhibitis in Feria V in Coena

Domini, scribit: « An offerendum sit mane et rursus post coenam, an ieiunandum, et post coenam tantummodo offerendum, et post oblationem, sicut facere solemus, coenandum? », et suadebat Ianuario ut quisque iuxta consuetudinem sui loci se comportare debuisset. Ex dictis ergo concludere possumus, quod Feria V erat dies liturgica, prout et populus cum clero communicabat.

Hinc est quod hodieque sancta Mater Ecclesia morem antiquum suum servavit, volens, ut sicut Christus Dominus sua manu discipulos communicavit, ita clerus et populus a celebrante communionem suscipiant, prohibens quominus aliae missae ea die celebrari queant. Benedictus xiv (Inst. 38) fideles hortatur ut « secundum veterem disciplinam quantum fieri potest hac die ad Sacram Synaxim accedant » ; nimirum in Missa solemni, quae unica eo die celebratur.

Feria VI, in qua memoria agitur mortis Domini, vocata fuit ab antiquitate, teste s. Ambrosio, *dies amaritudinis:* et quamvis haberetur tamquam dies feriatus, in quo iudicia agere nefas erat, nihilominus numquam fuit dies festivus (1). Quarta synodus toletana (an. 633) aperte dicit quod universa Ecclesia solet in feria VI manere in luctu et ieiunio ob passionem Domini. Hilpericus monachus S. Galli (Migne P. L, CI, 1211) soeculo IX, ad quaesitum: cur anniversaria mortis Sanctorum in laetitia celebrantur, et dies mortis Christi in moestitia, ita respondit: Christus Iesus per mortem suam non est adeptus maiorem gloriam, sicut Sancti qui moriendo in coelum ascendunt ut in aeternum gaudeant cum Christo: ipse mortuus non est pro se, sed nos causa fuimus illius mortis. Inimici Christi, Iudaei, laetati sunt in morte eius turpissima, Apostoli vero tristes fuerunt, et illum collacrimati sunt.

Officium huius Feriae VI in Parasceve antiquitus ini-

(1) In regno Borussico per legem 2 sept. 1899 Feria VI in parasceve declarata est dies festiva, etiam civiliter loquendo, in qua opera manualia vetita sunt.

tium habebat in nocte per cantum psalmorum voce depressa. Liturgia autem diei, plus minusve erat sicut adhuc habetur in missali, et missa vocabatur Praesanctificatorum, in qua, sicut et hodie, Corpus Christi non consecratur. Innocentius I scribens ad Decentium Eugubinum (xxv, c. 2) ait: « Constat apostolos biduo isto in moerore fuisse et propter metum iudaeorum occuluisse.... ut traditio Ecclesiae habeat isto biduo sacramenta penitus non celebrari ».

Hinc est quod in hac Feria iuxta romanum ritum populus non communicabat: et de hac consuetudine testimonium habemus apud Amalarium (de Off. eccl. I, 15): « In Statione ubi Apostolicus salutat Crucem, nemo communicat ».

Sabbatum Sanctum pariter erat dies luctuosa et magni ieiunii, quod non solvebatur nisi post Vesperas: fuit semper, et per se est adhuc, dies aliturgicus, nam missa quam nunc dicimus ea die non est nisi missa anticipata quae in vigilia nocturna celebrabatur in ipsa nocte Paschatis, hodieque canimus in praefatione..... *in hac potissimum nocte*.

Ritus benedicendi novum ignum, et cereum cum cantu Praeconii, qui diversis in regionibus erant in usu, postea in romanas quoque basilicas invecti sunt. Hac die benedicitur etiam fons aquae pro baptismate, et de facto baptizantur catechumeni, qui digni tantae gratiae inveniuntur post scrutinium.

Mos ergo celebrandi missam Paschalem mane huius diei, quae, ut diximus, non est nisi anticipata missa vigiliae nocturnae, in qua clerus et populus frequens adstabat, secum tulit consuetudinem celebrandi tantummodo unam missam.

Hinc si alicubi occurrebat festum celebrandum cum feriatione, populus invitabatur ad interessendum missae solemni huius diei, et, per decretum 11 martii 1690, S. R. C. statuerat quod festum Annunciationis B. M. V. si occurreret feria vj vel Sabbato maioris hebdomadae, transferretur in feriam ij post Dominicam in Albis, simili cum feriatione.

Feria ergo v in Coena Domini, et in Sabbato Sancto,

una tantum missa dicenda est, ut antiqua consuetudo, saltem hisce sacratissimis diebus, servetur.

Ad II. In ecclesiis omnibus tum cathedralibus, tum collegiatis, tum Regularium, ac etiam in omnibus ecclesiis parochialibus clerum sufficientem habentibus, officia maioris hebdomadae omnibus servatis caeremoniis Missalis et Caeremonialis Romani celebrari debent, excepta consecratione oleorum in Feria v, quae fit tantum ab Episcopo, et excepta benedictione aquae baptismalis quae in ecclesiis ius istud habentibus fieri tantum potest.

In ecclesiis vero parochialibus, clerum sufficientem non habentibus, celebrari debent, adhibito *Memoriale Rituum*, quod ad hoc edidit Benedictus xiij, *pro aliquibus praestantioribus sacris functionibus in minoribus ecclesiis per Parochum persolvendis.*

Uti notum est, in huiusmodi Memoriali ritus et caeremoniae ita disponuntur, ut solus Parochus celebrans, etiamsi sine cantu, adhibeat pro servitio necessario *tres vel quatuor clericos.*

Sufficit ergo, quod Parochus, edoceat aliquos pueros, qui veste talari et cotta induti (vel saltem ubi paupertas id suadeat, aliqua veste confraternitatis et cotta) sibi hisce diebus scite devoteque inserviant.

Aliis in ecclesiis, vel publicis oratoriis, ubi SS. Sacramentum iugiter non asservatur, etiam Monialium quae choro addictae sunt, non possunt celebrari functiones maioris hebdomadae, nisi cum ministris, et omnibus servatis caeremoniis Missalis. Ut autem queat in iis ecclesiis adhiberi praedictum Memoriale, oportet facultatem exquirere ab Apostolica Sede iuxta S. R. C. decretum 16 maii 1876.

Ad III. Disputatum est olim, an in Sabbato Sancto fieri posset distributio sacrae communionis in ipsa missa, quae unica ea die celebratur. Gavantus *(Rbr. Miss. IV, x, 38)* negativam sententiam sustinuit; Meratus vero, eius commentator, erudite probat *(ibid. lcvij)* ex antiquis scriptoribus, Strabone, Bennone Augensi, Martène et Grancolas, quod

praesentibus in missa solemni huius Sabbati antiquitus certissime communio tradebatur. Id evincitur etiam ex collectis huius diei in Sacramentario gelasiano contentis.

Benedictus xiv nullum dubium hac de re supponit scribens (*De Festis I, viij, 68*): « Verum in hac missa (Sabbati Sancti) non catechumeni modo, et infantes, sed ceteri quoque, qui aderant, communicabant ».

Quod autem huiusmodi esset praxis antiqua, deducitur etiam ex communione, quam accipiunt clerici, subdiaconi, diaconi et presbyteri, qui in Sabbato Sancto ad ordines promoventur. Igitur in ecclesiis ubi missa celebratur hoc Sabbato, bene possunt clerici et fideles communicare in ipsa missa. Hoc confirmavit S. R. C. suo decreto 28 apr. 1914.

Cum ergo communio fidelium, in hac die, permittatur tantummodo in missa, vel etiam post ipsam, clare patet quod in ecclesiis, in quibus missa non celebratur, nec communio distribui potest. Itaque in oratoriis publicis et semipublicis, licet ex legitima concessione, adservetur Ss. Sacramentum quotidie, post missam Feriae v in Coena Domini Sacramentum servari nequit; eo quod, si non adservatur in ecclesiis parochialibus in quibus *iure* semper retinetur in tabernaculo sacra Eucharistia, iis diebus adservari nefas est, eo magis in oratoriis praedictis, quibus adservatio est concessa per *speciale indultum* (1).

(1) Attamen decretum S. R. C., n. 3842, III, etiam in ecclesiis non parochialibus, in quibus non habentur functiones tridui sacri, permittit ut SS. Eucharistia servetur saltem usque ad occasum feriae V in suo altari, ut fideles, loco sepulchri ad eam adorandam accedere valeant. Unde minus recte asseritur necessario debere abscondi vel consummari ss. Species. Quod si v. gr. moniales, praesertim claustrales, nequeunt functiones eorum dierum celebrare, cur prohiberi deberent retinere SS. Sacramentum, et tum feria V, tum Sabbato Sancto s. communionem accipere, dum hanc acciperent in Missa si locum haberet? Decretum 28 aprilis 1914 non obstat, in eo enim sermo est de locis in quibus celebratur Missa in Sabbato Sancto. Haec in ipsa Academia notanda proposuit alter ex censoribus, qui

Quod si aliquando in coenobiis monialium Sacramentum in triduo mortis Domini retineatur pro infirmis, hoc non sufficit pro iustificanda praxi communicandi in Sabbato Sancto, quia tunc, ex hac sola ratione, communicare possent etiam in Feria vj. Sabbatum Sanctum est dies per se aliturgica; in ecclesiis ergo Sacramentum non habetur, ergo nec communio distribui potest.

Hac de re vide quae scripsit in Ephemerides Liturg. (15 mai. 1914 pag. 274-276) cl. P. Piacenza in suo Commentario ad citatum decretum.

Sed ad casum nostrum deveniamus. Florentius parochus communicat milites qui in sua paroecia degunt, non tantum in Feria V et in Sabbato Sancto, sed etiam Feria vj in Parasceve.

Considerando specialissimam conditionem in qua hisce nostris diebus extant milites, quibus conceditur tempus brevissimum pro adimplendo praecepto paschali, bona Mater Ecclesia tolerat, quod etiam in Feria vj et Sabbato Sancto ante missam communicare possint.

Agitur ex una parte de quadam necessitate, et ex alia, de lege ecclesiastica: quando ergo duae leges ecclesiasticae urgent, nempe, in casu nostro, lex adimplendi praeceptum Paschale, et lex liturgica de non distribuenda communione, hisce in adiunctis, maius bonum animarum exigit, quod lex liturgica cedat locum legi communioni Paschalis: et precise hanc ob rationem pia Mater Ecclesia dispensat in casu. Si tamen non agatur de impraevisa circumstantia, requirendus est consensu superiori Auctoritatis.

Quod hic dicimus de militibus admittendis ad commu-

---

eodem sensu loquutus erat in hisce *Ephemeridibus*, anno 1914, pag. 177, n. IV; et ea hic referimus historice, cum neque ex Solutoris casus elucubratione, neque ex Epitomatoris conclusione, de his constet. Redactio optaret solutionem per legitimam Auctoritatem, tam circa osservationem Eucharistiae, quam circa sumptionem praefatis diebus, apud religiosa Instituta, in quibus Missa haberi nequit.

REDACTIO.

nionem in Feria vj in Parasceve, multo magis dici potest pro eorum admissione in Sabbato Sancto, etiam ante Missae celebrationem; multo enim minus habetur inconveniens, ut patet cuique.

Quod autem attinet ad alios fideles, non milites, standum est decreto citato, et consuetudines in contrarium non sunt sequendae.

P.

Expositio Rubricarum.

Ultima reformatio Breviarii necessariane erat?

Responsio.

(Continuatio. Vide num. 4 curr. anni, pagg. 208-224).

Quum s. Pius v per suam bullam « *Quod a nobis* » d. d. 9 iul. 1568, exequens decretum Concilii Tridentini, Breviarium romanum reformavit, et abolevit Breviaria particularium ecclesiarum, quae non superabant ducentos annos ab eorum introductione, docti et sancti viri non tantum qua par est veneratione, sed etiam cum ingenti gaudio illud exceperunt, apud vero minorem clerum infinitae obortae sunt querimoniae propter obligationem alios libros sibi comparandi, et maxime quia abolita quoque erant officia propria locorum et non amplius permissus usus Breviarii cardinalis Quignones, cuius officium quotidianum brevissimum erat.

Res est profecto omnimode humana et naturalis, ac omnium temporum propria: quaelibet enim reformatio, cuiusvis sit generis, si plus minusve mores et usus acceptos moderatur vel innovat vel tollit, ac proinde aliquod incommodum etiam modicum causat, suscitat ubique lamentationes et vae, et contra ipsam reformationem et contra auctoritatem quae eam molitus est. Quod si auctoritas veneranda est ac timenda, querimoniae vertuntur contra eos, qui ex voluntate Principis reformationem pararunt vel proposuerunt.

Accidit quidem quod non pauci viri eruditi, in rebus, de quibus agit reformatio, studiis suis illam illustrantes, necessitatem eius praedicant et utilitatem demonstrant, atta-

men si huiusmodi viri paucos aliquos de convenientia reformationis convincunt, indignationem sibi multitudinis comparant, et etiam eorum, qui licet pii et dociles sint, nihilominus amant quietam vivendi rationem, et quidquid sapit novitatis, naturaliter oderunt.

Saeculo quoque ix, quando Amalarius in divino officio nonnulla emendavit, oppositiones plurimas et repugnantias habuit, praesertim ab Agobardo Lugdunensi; nihilominus correctio Amalarii, non tantum in Gallia, sed etiam in nostra Italia aliisque nationibus pervulgata est (Cf. Buamer I, 406, et Cabrol *Diction. d'Archéol. I, 971 et 1323*).

Pariter saeculo xiij, postquam Haymo Generalis Ordinis Minorum, forsan ex commissione Gregorii ix, ut scribit Waddingus (Annal. an. 1244), Breviarium Curiae in meliorem formam redegisset, quae correctio postea praecipiente Nicolao iij in ordinarium Romanae Ecclesiae ritum transivit, plurimi lamentabantur quia in urbe Roma omnes libri erant novi et *Franciscani*. Ad rem scribit Rodulphus decanus Tuncrensis (De Canon. observatia, prop. 22): « Sciendum tamen est quod Nicolaus papa iij natione Romanus de gente Ursinorum, qui coepit anno Domini mcclxxvij; fecit in ecclesiis Urbis amoveri Antifonarios (sic), Gradualia, Missalia et alios libros Officii antiquos quinquaginta annis, et mandavit ut de cetero ecclesiae Urbis uterentur libris et Breviariis Fratrum Minorum, unde hodie in Roma omnes libri sunt novi et Franciscani »; sicque huiusmodi lamentationes multos per annos perdurasse videntur, Rodulphus enim saeculo sequenti post Nicolaum iij Romam pervenit.

Item, statim ac in lucem prodivit Breviarium reformatum a s. Pio v, lamentationes non defuerunt, non directe contra sanctum Pontificem, quia adhuc erat inter vivos, sed adversus eos qui Breviarium ipsum concinnasse dicebantur, et maxime contra Cardinalem Bernardinum Scottum aliosque sodales Theatinos suos adiutores (1).

(1) Iste vocabatur Cardinalis Tranensis, erat episcopus Placentiae in Aemilia, et quando in Concilio Tridentino actum est

Baumer (II, p. 211) refert critices et censuras contra Pianum Breviarium; alii enim lamentabantur errores historicos in lectionibus, alii acrius menda in Psalterio. Lindanus episcopus Ruremundensis inter alia scribebat: « Prodiit hoc anno novum romanum Breviarium... quod psalmos habet, Deus bone! quam mendis plurimis contaminatos, quam foedis corruptelis depravatos, quam denique a vera lectione discrepantes et aberrantes! »

Nihilominus paulatim s. Pii v reformatio ubique accepta fuit, et paucos post annos cessarunt querimoniae saltem apud minorem Clerum eo quod, maxime successores pontifices Gregorius xiij, Sixtus v ac praesertim Clemens viij concesserunt in Propria Dioecesana lectiones historicas de Sanctis localibus, ad quarum revisionem multum adlaborarunt Cardi-

---

de reformatione Breviarii, ut legitur apud Lagomarsinum (Iul. Pogioni Epist. II, p. xviij), ipse misit Patribus Tridentinis manuscriptum Breviarium, quod simul cum Paulo iv correctum paraverat. Bonum illi fuit, quia eo ipso anno quo prodiit novum pianum Breviarium, mortem piissimam oppetiit: et tunc lamentationes adversus Clericos Regulares Theatinos versae sunt.

Clerici Regulares a S. Caietano et a Ioanne Caraffa episcopo Theatino instituti, plurimum adlaborarunt in correctione Breviarii, nam Clemens vij iisdem s. Caietano et Ioanni Caraffa per literas suas dd. 20 ianuar. 1529 munus commiserat parandi correctionem ipsam. Praedictus vero Card. Caraffa ad pontificatum assumptus sub nomine Pauli iv, studia complevit adiuvantibus suis Clericis regularibus, praesertim Thoma Goldwello episcopo Asphensi, qui in institutum Theatinorum ingressus fuerat, et Bernardino Scotto, de quo supra.

In commissione postea definitiva pro correctione divini Officii a Pio v electa, septem viris eruditis composita, tres erant Theatini, nempe Cardinalis Scottus praedictus praeses, Vincentius Masso, et Antonius Caraffa, qui licet verus Clericus Regularis non fuerit, cum instituto tamen intimas relationes habuit, tum pietatis, tum studiorum, tum consanguinitatis cum Paulo iv patruo suo. Porro hisce de causis, reformatio Breviarii tribuebatur praecipue Clericis Theatinis, contra quos igitur querimoniae non paucae movebantur.

nales Baronius et Bellarminus, qui ac si essent simplices consultores, propria manu lectiones corrigebant et suo nomine subsignabant.

Attamen licet revera in lectionibus historicis Breviarii piani nonnulla contra regulas critices inventa sint, tamen, ut notat citatus Baumer, « applicari non possunt leges critices hodiernae ad correctionem tribus ab hinc saeculis factam; et Commissio pontificia sub Pio v, omnia facerat quae rationabiliter tunc fieri poterat ».

De cetero commoda multa inveniuntur in eodem Breviario, ordo officii quotidiani in multis simplificatus; Psalterium per hebdomadam integre servatum; lectio Sacrae Scripturae melius disposita ac quotidiana reddita; delectus lectionum, et generatim etiam homiliarum, considerari potest optimus et felix (Baumer ib.).

Hinc est quod scriptores permulti et celeberrimi Liturgistae, ut notat Benedictus xiv (Canoniz. Ss. IV, p. 2, xiij, 5), laudibus extulerunt Breviarium pianum, inter quos refert cl. Grancolas, licet non semper qua par est reverentia de rebus Apostolicae Sedis insignis iste doctor scripserit. Ipse enim haec habet (Comment. Hist. Brev. c. 4): « Quemadmodum Romana ecclesia ceteras omnes ordine, nobilitate, dignitate atque loco antecellit, ita et eius Breviarium principem locum obtinet inter ceteras rationes, quibus in reliquis Orbis ecclesiis recitari consuevit ».

Hinc est quod doctor Newman, erroribus Anglicanis necdum abdicatis, cum Breviarium Romanum dono accepisset, statim ad illius studium animum adiecit, ex quo studio, scribit ille (*Hist. des mes opinions Rel.* p. 3), substantiam deduxi mei tractatus super Breviarium romanum, cuius promulgatione, amici mei stupefacti sunt. Librum hunc exinde numquam dimisi. Tantam habent venustatem et excellentiam multa officia huius Breviarii, ut si controversistae romani illud protestantibus praesentarent uti librum precum romanarum, id procul dubio gigneret validum argumentum in favorem Ecclesiae romanae ».

Et sane, Breviarium s. Pii v suppresserat plurimas adiectiones quas episcopi proprio marte sensim sine sensu induxerant in divinum officium, ideoque reformatio necessaria aestimata fuerat a Pontificibus et a multis Conciliis (cf. Baümer II, p. 152), ac praesertim a Concilio Tridentino; et licet, ut aiebat olim Card. Bartolini S. R. C. Praefectus anno 1880 nobis eloquens, plurima perpulcra officia particularia abrogata fuerint, nihilominus oportebat falcem ponere ad radicem, ut reformatio, quoad fieri poterat, suum finem obtineret, ideoque e medio sublati sunt plures errores et defectus, quibus sauciatum ibat officium divinum iuxta romanum ritum.

Nil mirum ergo si etiam adversus Breviarium a b. m. Pio Papa x recognitum et reformatum, plurimae apud praesertim minorem Clerum, qui uti iam diximus quietam vivendi rationem summopere diligit, obortae sunt lamentationes ac censurae.

Aliqui deplorant cultum diminutum erga Sanctos et b. Mariam Virginem, ob multa festa abrogata: aliqui dicunt quod in isto Breviario onus divini officii gravius evaserit, nonnulli dicunt reformationem istam non fuisse necessariam neque optatam, ac gravia incommoda secum, clericis senioribus praesertim, attulisse; aliquibus non placuit nova dispositio Psalterii, et Psalmorum divisio, aliqui lugent abrogationem translationis festorum, et octavarum etc. etc. Cum autem e contra fuerint plurimi viri docti et in sacra Liturgia periti, neque non multi Sacrorum Antistites, qui reformationem, prouti habetur in novissimo Breviario Pii papae x, summis laudibus extulerunt, obiectiones huiusmodi diluere curabimus, ut quisque de minori Clero praesertim. intelligat reformationem necessariam fuisse, a viris doctis expectatam, ab episcopis postulatam , ideoque obiectiones in medio communiter allatas nullius esse roboris ac facili negotio solvendas.

(Continuabitur).

P. Piacenza.

Archaeologia Liturgica.

De osculo pedum Romani Pontificis.

(Continuatio, V. n. 4 curr. anni, pagg. 225-229)

Quam rationem occurrendi viris sanctis, sive sanctitate vitae, sive sanctitate characteris insignibus, virgini christianae inculcat S. Athanasius vel alius Scriptor tractatus « De Virginitate » inter eiusdem sancti opera relati. Virgo itaque christiana ita edocetur: « Si vir sanctus venerit in domum tuam, ita excipito illum, quasi Filium Dei... Si ingressus fuerit vir iustus in domum tuam, cum timore et tremore occurres ipsi et procides humi ad pedes eius adorans. Non enim illum adorabis, sed Deum, qui misit ipsum » (1).

Huius obsequii frequentia et vulgatus usus arguitur quoque ex iis quae de S. Bernardo Abbate Claravallensi enarrant Annales ecclesiastici. Cum apud Mediolanenses pontificia legatione fungeretur: « Deosculabantur pedes eius universi, et licet hoc moleste acciperet, nulla potuit pronos et devotos ratione compescere, nulla interdictione repellere » (2).

Res eo pervenit ut de culpa accusaretur S. Raterius Veronensis antistes, qui hoc obsequium respuebat. Inter criminationes eidem obiectas, haec quoque legitur quod « Pedem si vult aliquis osculari illius, cum magno eum repellit clamore » (3).

---

(1) S. ATHANASIUS: *De Virginitate*, V. 22, Migne P. G. XXVII, 278.

(2) BARONIUS, Annales 1134, n. 6.

(3) CHRIST. LUPUS: *Synodorum Generalium et Provincialium Canones et Decreta; Dictatus* S. Gregorii VII, Can. IX, Venetiis 1725, T. V. pag. 201 — THOMASSINUS: *Vetus et nova disciplina* etc. P. II, Lib. III, cap. 64, N. 13, Neapoli 1772, pag. 359.

Huius obsequii restrictio ad Romanum Pontificem adduci potest uti eiusdem communis et vulgaris usus testimonium. Celebris est hac de re Canon IX *Dictatus* S. Gregorio septimo attributi, quo statuitur: « Quod solius Papae pedes omnes Principes deosculantur » (1).

Ex quibus adductis exemplis intulerunt Auctores hac de re scribentes, osculum pedis Episcopis omnibus, usque ad saeculum decimum circiter, exhiberi in Ecclesia consuevisse. Ad maiorem argumenti illustrationem, quorumdam verba referre iuvat.

Christianus Lupus scribit: « Olim non soli Romano Pontifici, sed omni Episcopo fideles pedem osculabantur. Episcopatus enim est superior, ideoque illi regium merito deferebant honorem » (2).

Catalanus asserit: « Pedum osculandorum Episcopis mos est longe antiquissimus, suntque eam in rem innumera apud ecclesiasticos Scriptores exempla » (3).

Thomassinus, cum de honoribus Romano Pontifici exhibendis disserit, de osculo pedum scribit: « Osculari pedes Episcoporum quorumcumque olim pervulgatissimum fuit, nunc uni servatur Papae » (4).

Ex hucusque adductis optime intelligitur, quam irrationabiliter Protestantes Catholicos arguant, quasi osculo pedis Romanum Pontificem novo honore et noviter ab eo imposito, prosequantur.

Honor enim erat, qui liberrime non uni tantum Pontifici, sed omnibus Episcopis praestabatur, nec ulla praescriptione cuidam imponebatur. Ratio autem huiusmodi praestandi honorem alia non est quam ipsum Christum Dominum

(1) Christ. Lupus, l. c. pag. 200.

(2) Christ. Lupus, l. c. pag. 195, aliique passim.

(3) Catalanus, *Pontificale Rom.*, Part. II, Tit. XXIV: De benedictione ed traditione vexilli bellici, paragraph. II, Parisiis 1851, T. II, pag. 580.

(4) Thomassinus: *Vetus et nova disciplina* etc., Part. II, Lib. III, cap. 54, n. 1, in cit. edit. pag. 352.

nostrum in suis Vicariis, et ministris viventem ac animarum salutem operantem, glorificare. Id in S. Athanasii et S. Hieronymi operibus expressum vidimus.

« In confesso itaque est apud omnes, hos honores, scribit Thomassinus, qui summis, qui omnibus exolvebantur Pontificibus, liberos olim fuisse, et... nulla Episcopali vel ecclesiastica lege primum eos sancitos fuisse, sed usu et consuetudine, cuius auctores exactoresque fuerunt laici ipsi fideles, fideliumque pietas, religio, caritas; vel potius Spiritus Sanctus, qui hos illis subiicit aculeos, qui hos pietatis instinctus inspirat » (1).

« Si autem, prosequitur idem eruditus Auctor, postquam illa consuetudo ita inveterata et corroborata evasit, ut iam non possint Episcopi sine offendiculo iis privari honoribus, aliqua lex ecclesiastica vel civilis, ad eam firmandam promulgata est, huius quoque legis auctores reputandi sunt fideles, cum consuetudinem ipsi invexerint, quam lex confirmat, et ad eosdem tuendos ordinetur, ne offendiculum patiatur » (2).

Quae sic generatim dicta de osculo pedum omnibus Episcopis exhibito, potiori admodum ratione valent de osculo pedum, quo Pontifex Maximus iam a primis saeculis salutari ac venerari consuevit. De quo obsequio modo plura sunt in specie dicenda.

(Continuabitur).

Fr. IOSEPHUS ANT. O. M. Cap.

---

(1) THOMASSINUS: *Vetus et nova disciplina* etc., l. c., p. 352, 353...
(2) THOMASSINUS: l. c., pag. 353.

Consultationes.

De reverentia praestanda Cruci Altaris a Celebrante tum in accessu ad Altare, tum in recessu ab eo.

(Continuatio — Vide pp. 108 et 154)

3° Antequam cum hoc studio ulterius progrediamur, advertendum est quod aliquis mihi observaverit a me inexacte redditam fuisse doctrinam cl. Cai. Merati in Ephemeridibus Liturgicis, numero martii currentis anni pag. 154; quod absolute nego. Ibi loco citato dixi: « Hanc profundam inclinationem *(scilicet capitis et humerorum)* facit Sacerdos, quoties in Rubricis praescribitur profunde esse inclinandum, veluti..... dum dicit *Confiteor,* etc. ». In hoc loco omisi sequentia verba Merati: « *dum Altari, in quo celebraturus est (si in eo non asservetur SS.mum Sacramentum), aut Praelatis in Rubrica specificatis, exhibet reverentiam* ». Iuxta me Meratus per haec verba a me omissa, utpote parum utilia, nihil aliud dicere voluit quam quod Sacerdos profunde (corpore scilicet) Altari seu Praelatis in Rubrica specificatis inclinare debeat, quoties Rubrica praescribat *profunde* esse inclinandum. Supponi enim nequit quod Meratus hic dicere voluerit quod Sacerdos, quoties ipse Altari (i. e. Cruci Altaris) exhibeat reverentiam, haec inclinatio debeat esse *profunda corporis,* quod esset absurdum.

Hisce dictis, videamus in praesenti, quid S. Rituum Congregatio circa reverentiam praestandam Cruci Altaris a Celebrante decrevit vel declaravit. Quamvis haec S. Congregatio ea de re nihil directe decreverit, ex responso tamen eius, dato die 12 novembris 1831 ad 28, n. 2682, satis eruitur regula sequenda ad sciendum modo satis certo,

quaenam reverentia in casu praestanda sit a Celebrante. Ad dubium enim: « Quum Rubricae clare non loquantur, quaeritur quando in Missa et in Officio sit reverentia simplex, quando mediocris et quando profunda, tam in Sacristia quam in Altari? » S. R. C. resp. « *Patebit ex Rubricarum collatione* ».

Advertendum est hoc responsum valere tum de reverentia praestanda Cruci seu imagni illi, tum in Sacristia, tum de ea quae facienda est Cruci Altaris a Celebrante (1). Et revera, nisi adsit specialis ratio, quam ob causam differentia aliqua existere possit in reverentia praestanda Cruci seu imagini illi a Celebrante, sive in accessu ad Altare, sive in recessu ab eo, sive in transitu ante Altare maius?

Ex Rubricarum collatione itaque regula generalis stabilienda est, quando a Celebrante Cruci praestanda est reverentia simplex, vel mediocris, vel profunda, tam in Sacristia quam in Altari. Porro de praestanda reverentia a Celebrante Cruci vel imagini illi, Rubrica Missalis sequentibus dictionibus utitur:

a) Rubrica dicit: Celebrans facit REVERENTIAM CRUCI VEL ALTARI, uti:

1. « Sacerdos... accipit manu sinistra calicem,... manum dexteram super calicem tenens, et facta *reverentia Cruci, vel imagini illi, quae in Sacristia est,* capite cooperto accedit ad Altare » (*P. II, Tit. II, n. 1*).

2. « Si vero contigerit eum transire ante Altare *maius,* capite cooperto faciat ad illud *reverentiam* » (*ibid*), nimirum, si in eo Altari non asservetur SS.mum Sacramentum.

3. « Collocato calice in Altari, accedit ad cornu Epistolae... Dein rediens ad medium Altaris, *facta primum Cruci*

(1) Dico *a Celebrante,* nam de reverentia praestanda Cruci in Sacristia et in Altari ab aliis Ministris hic non agitur. Item observandum est hic agi de reverentia praestanda Cruci Altaris a Celebrante, quando non adest SS.mum Sacramentum.

reverentia,... descendit post infimum gradum Altaris » (*P. II, Tit. II, n. 4*).

4. Item in incensatione Altaris in transitu Sacerdos facit *Cruci reverentiam* (*P. II, Tit. IV, n. 4*).

b) Rubrica praescribit: Celebrans facit PROFUNDAM REVERENTIAM CRUCI VEL ALTARI:

1. In principio Missae, « Sacerdos cum primum descenderit sub infimum gradum Altaris,... facta prius Cruci vel Altari *profunda reverentia,...* incipit Missam » (*P. II, Tit. III,* n. 1).

2. « In Missa solemni Sacerdos... ponit incensum,... qui facta *Cruci profunda reverentia,* eam ter incensat... et facta iterum Cruci reverentia (*scilicet profunda*), incensat Altare... » (*P. II, Tit. IV, n. 4*). — Ad Offertorium autem Rubrica dicit: incensatis oblatis, « deinde facta reverentia, incensat Crucem et Altare, ut dictum est supra » (*P. II, Tit. VII, n. 10*) (1).

c) Rubrica utitur dictione: CAPUT INCLINAT CRUCI:

1. Celebrans in fine Psalmi *Iudica* ad *Gloria Patri* etc. caput Cruci inclinat (*Tit. III, n. 6*).

2. Ad Introitum « cum dicit *Gloria Patri...* caput inclinat versus Crucem » (*Tit. IV, n. 2*).

3. Ad *Gloria in excelsis* Celebrans « cum dicit *Deo...* caput Cruci inclinat,... cum dicit *Adoramus te, Gratias agimus tibi,* et *Iesu Christe, Suscipe deprecationem nostram,* et iterum, *Iesu Christe,* caput Cruci inclinat » (*Tit. IV, n. 3*).

4. Item Celebrans ante Orationes, cum dicit *Oremus* caput Cruci inclinat (*Tit. V, nn.* 1 *et 4; Tit. VII, n. 1, et Tit. XI, n. 2*). — Item cum nominatur *Iesus,* caput versus Crucem inclinat, praeterquam in Evangelio, quando caput inclinat versus librum (*Tit. V, n. 2, et Tit. VI, n. 2*;) in Missa autem solemni, quando Diaconus cantat Evangelium, Celebrans caput inclinat versus Crucem (*Tit. VI, n. 5*). — Insuper

(1) Rubrica pariter dicit: SE PROFUNDE INCLINANS ad *Confiteor* (Tit. II, n. 7), et PROFUNDE INCLINATUS ad *Munda cor,* etc. (Tit. VI, n. 2) et ad *Te igitur* (Tit. VIII, n. 1).

Celebrans caput Cruci inclinat, dum dicit *Iesu Christi* in Oratione *Communicantes* et in fine Orationis *Quam oblationem* (*Tit VIII, n. 4*).

5. « Sacerdos, si privatim celebrat, ipsemet, seu minister portat librum Missalis ad alteram partem Evangelii, et dum transit ante medium Altaris, caput Cruci inclinat » (*Tit. VI, n, 1*).

6. Celebrans ad *Credo* caput Cruci inclinat, dum dicit *in unum Deum, Iesum Christum, simul adoratur* (*Tit. VI, n. 3, et Ordo Missae*), et, dicto Symbolo, post *Dominus vobiscum*, dum dicit *Oremus* (*Tit. VII, n. 1*).

7. Initio Praefationis ad *Gratias agamus*, Celebrans, cum dicit *Deo nostro*, oculos elevat et statim Cruci inclinat (*Tit. VII, n. 8, et Ordo Missae*).

8. Celebrans, dicto *Placeat* et osculato Altari, caput Cruci inclinans, dicit *Benedicat vos* etc. (*Tit. XII, n. 1, et Canon Missae*).

9. Missa finita, Celebrans accipit calicem, descendit ante infimum gradum Altaris, et ibi in medio vertens se ad illud, caput inclinat (*Tit. XII, n. 6*).

d) Insuper Rubrica dicit: CAPUT ALIQUANTULUM INCLINAT, v. gr.: Celebrans in Oratione *Qui pridie* dicens *tibi gratias agens*, caput aliquantulum inclinat (*Tit. VIII, n. 4*); item in Oratione *Simili modo* ad verba *tibi gratias agens* caput inclinat (*Tit. VIII, n. 7*).

e) Demum Rubrica utitur dictione: CAPUT PROFUNDE INCLINAT:

1. « In Missa solemni Celebrans... aliis diebus si sedeat cum cantantur ea verba (scil. ℣. *Et incarnatus est*), non genuflectit, sed *caput tantum profunde inclinat apertum...* » (*P. I, Tit. XVII, n. 3*).

2. « Cum (*Sacerdos*) pervenerit ad Altare, stans ante illius infimum gradum, caput detegit.... et Altari seu imagini Crucifixi desuper positae profunde se inclinat... » (*P. II, Tit. II, n. 2*).

Ex praedictis igitur liquet a Rubricis Missalis circa re-

verentiam praestandam a Celebrante Cruci Altaris adhiberi quinque diversas dictiones, nimirum Celebrans: 1. facit Cruci reverentiam, — 2. facit Cruci profundam reverentiam, — 3. Caput Cruci inclinat, — 4. Caput aliquantulum inclinat, et — 5. Caput profunde inclinat.

Cum autem hic agatur de reverentia praestanda Cruci seu imagini Crucifixi in Altari positae, et consequenter de reverentia praestanda ratione *latriae* quae Cruci debetur, distincta ab ea inclinatione quae ratione *hyperduliae* B. Mariae Virgini et ratione *duliae* Sanctis et regnanti Summo Pontifici debetur: idcirco omnes praedictae dictiones Rubricarum Missalis reduci possunt ad duplicem classem inclinationum, scilicet ad *profundam corporis* et ad *profundam capitis* inclinationem, praesertim cum S. R. C. declaraverit mediocrem corporis uti profundam capitis inclinationem considerari posse (1).

Adverte tamen, S. Rit. Congregationem, d. 9 maii 1857 ad 5, n. 3049, decrevisse, ab omnibus Cruci Altaris genuflectendum esse ab adoratione Crucis Feriae VI in Parasceve usque ad Nonam Sabbati Sancti.

Ex his omnibus concludere possumus, quod, excepto casu mox allato, Celebrans Cruci Altaris praestare debeat inclinationem *capitis profundam,* sive Rubrica Missalis dicat *caput Cruci inclinat,* sive *facit Cruci reverentiam,* sive *caput aliquantulum inclinat,* sive *caput Cruci profunde inclinat.* — Et revera, qualis ratio specialis assignari potest, ob quam in accessu ad Altare, in transitu ante illud, et in recessu ab eo, Celebrans differentem reverentiam Cruci Altaris praestare debeat?

Certe, sunt aliqui auctores recentes qui allegant sequentem rationem, ob quam Celebrans inclinationem *capitis* pro-

(1) Cfr. decret. S. R. C. citatum in *Ephem. Liturg.* pag. 155 huius anni (*a*).

(*a*) **Quod tamen decretum datum est *pro solo casu* in quo inclinans est genuflexus.**
Directio.

fundam Cruci Altaris praestare debet in recessu ab eo, et inclinationem *corporis profundam* in accessu ad Altare, quia Celebrans post Missam est dignior, Christophorus nempe. Sed haec ratio bene considerata est ridicula et inepta, quia, si haec valeret, tunc Celebrans post Communionem nullam reverentiam praestare deberet, ipseque se gerere deberet uti portans Pyxidem, SS. Hostias continentem. Insuper eadem ratio militaret pro aliis ministris et populo, postquam SS. Eucharistiam receperint; ad hos tamen iidem auctores illud principium non applicant.

Obiectiones.

4° Cum in hoc studio nullam aliam intentionem habuerim quam veritatem inquirere ubi invenitur, eamque inventam defendere, in quantum vires mihi suppeditent, ideo lectoribus in omni sinceritate in praesenti proponere intendo obiectiones, quae in componendo hoc studio mihi occurrerunt contra illud.

Obiectio I.

In hoc studio principaliter agitur de reverentia a Celebrante praestanda Cruci vel Altari in accessu ad illud vel in recessu ab eo. Principium autem ex Merato desumptum, et ab aliis auctoribus admissum, est quod profunda inclinatio, tum capitis tum humerorum, sit facienda, quoties in Rubricis praescribitur *profunde esse inclinandum*. Porro in accessu ad Altare, quando Celebrans ibi pervenit, Rubrica Missalis (P. II, Tit. II, n. 2) explicite praescribit profundam corporis (seu profundam capitis et humerorum) inclinationem. Ergo...

Resp. Est verum quod habeatur in dicta Rubrica *profunde esse inclinandum;* sed an caput, an corpus profunde sit inclinandum, de eo maximum dubium existit, praesertim cum in antiquioribus Missalis editionibus in illa Rubrica

legatur: « *profunde inclinat* », et non « *profunde se inclinat* ». In primo enim casu verba « *profunde inclinat* » rite referri possunt ad vocabulum *caput*. Insuper certum est, quod iuxta Gavantum in Rubrica illa profunda *capitis* inclinatio praescribatur. Idem dicit Meratus, dans regulam generalem, iuxta quam tum in accessu ad Altare, tum in recessu ab eo, tum in transitu ante Altare maius, caput profunde est inclinandum, cum modica humerorum inclinatione, quae inclinatio, uti supra vidimus, consideratur ut *mediocris corporis*, seu *profunda capitis*. Et revera, quare in accessu ad Altare corpus esset profunde inclinandum, dum in recessu ab eo et in transitu Altaris maioris caput tantum profunde esset inclinandum? Pro hac differentia nullam rationem specialem invenire possum. Ratio enim ab aliquibus recentioribus excogitata, uti supra vidimus, est revera inepta et ridicula.

Obiectio II.

Verum est quod Meratus (in Gavant., tit. II, n. 1, II) dans principium generale, iuxta quod caput tantummodo profunde est inclinandum, cum modica humerorum inclinatione, tum in transitu ante Crucem Altaris (*maioris*), tum in accessu ad eam, tum in recessu ab ea; sed notandum est quod idem auctor, cum in particulari explicet Rubricas, non ponat in praxi suum principium, imo in pluribus locis omnino contrarium docet. Sic v. gr.:

a) Meratus (Tit. II, n. 4, IX) ait: « Celebrans ante infimum Altaris gradum, detecto capite ut supra, Altari tantum profunde se inclinat, si ibi non asservetur SS.mum Sacramentum ».

b) Idem auctor (Tit. II, n. 4, XVIII) dicit: Collocato calice et Missali aperto, « rediens ad medium Altaris, facit Cruci profundam reverentiam, iuxta communiorem sententiam ».

c) Item in Sacristia Celebrans Cruci reverentiam praestat « capite cooperto profundam, hoc est profunda capitis

et humerorum inclinatione » (Tit. II, n. 1, II), etc. Ergo ex auctoritate Merati nihil deduci potest.

Resp. Utique verum est quod ipse Meratus non videatur esse sibi consequens, in applicando suo principio, et quod magis curiosum videtur est hoc quod idem auctor in fine Missae in recessu ab Altari dicat: « Stans Celebrans in plano ante infimum Altaris gradum, facit *reverentiam profundam* Cruci, vel genuflexionem Sacramento » (Tit. XII, n. 6, X), quamvis Rubrica Missalis explicite dicat: Sacerdos « descendit ante infimum gradum Altaris, et ibi in medio vertens se ad illud, *caput inclinat*, vel si in eo est Tabernaculum SS.mi Sacramenti genuflectit. Hoc non obstante, dicere possumus quod Gavantus noster in suis Rubricarum explicationibus sit sibi rigorose consequens, et quod nulla ratio specialis assignari queat, quare in transitu Altaris maioris inclinatio *profunda capitis* sit praestanda Cruci a Celebrante, quae inclinatio etiam requiritur ab ipso Merato (Tit. II, n. 1, II), dum in Sacristia, in accessu ad Altare, et in recessu ab eo illa inclinatio debet esse *profunda corporis*, seu profunda capitis et humerorum?

Obiectio III.

Nonne iuxta Caeremon. Episc. lib. I, Cap. XVIII, n. 3, « Ipsi vero Canonici, cum pervenerint ad Altare maius, simul cum Episcopo *profunde se inclinant...;* et regulariter quoties ipsi Canonici transeunt directe ante Altare, vel ante Episcopum, *caput et humeros profunde inclinant...* »? Ergo iuxta Caerem. Episc. in accessu ad Altare et in transitu ante Altare maius a Celebrante pariter requiritur profunda *corporis* inclinatio.

Resp. In loco allato Caeremonialis Episc. agitur de profunda *corporis* inclinatione praestanda in accessu ad Altare vel in transitu ante illud, quando Episcopus vel Canonici non sunt induti vestibus respective episcopalibus vel sacerdotalibus. In hoc studio autem quaestio est de Celebrante

vestibus Sacerdotalibus parato et Calicem deferente. Quod dictus locus Caeremon. Episc. ita intelligendus sit, hoc magis patet ex n. 2 eiusdem capitis et libri Caeremonialis, ubi dicitur: « Si (*Episcopus*) mitram habebit, ut dictum est supra..., deponet illam, dum orat, et post orationem resumet, et cum ea faciet Altari maiori reverentiam, *caput inclinando*, antequam inde discedat... » Quam reverentiam etiam praestat Episcopus Cruci Altaris in Vesperis pontificalibus et in Missa pontificali ad Introitum, postquam Altare incensaverit (Vide De Herdt, *Prax. Pontific.*, l. I, c. I, n. 15, et l. II, c. 8, n. 35).

Insto: Caeremon. Episc. (lib. II, cap. VIII, n. 30) loquitur de Episcopo vestibus episcopalibus parato, accedente ad Altare ad Missam pontificalem celebrandam, in sequentibus terminis: « Cum vero Episcopus pervenerit ante infimum gradum Altaris, reddito baculo pastorali ministro..., et deposita ei per Diaconum mitra, facit *profundam reverentiam* Cruci super Altari positae, simul cum suis ministris ». A fortiori ergo Celebrans hanc profundam reverentiam praestare debet Cruci Altaris, cum pervenerit ad Altare, ubi est celebraturus.

Resp. In dicto loco Caeremon. Episc. agitur de profunda corporis reverentia praestanda ab Episcopo in accessu ad Altare, *quando immediate incipit Missam;* nam in eodem numero Caeremonialis immediate sequitur: « ... Episcopus vero habens a dexteris Presbyterum assistentem, et a sinistris Diaconum, et apud eum modicum retro Subdiaconum... facit cum eis Confessionem... ». Porro hoc omnino conforme est ei quod dicit Rubrica Missalis (Tit. III, n. 1), ubi agitur de Celebrante, incipiente Missam: « Sacerdos cum primum descenderit sub infimum Altaris gradum, convertit se ad ipsum Altare, ubi... facta prius Cruci vel Altari *profunda reverentia...*, erectus incipit Missam ». Hoc autem in casu, agitur de Celebrante accedente ad Altare et deferente calicem.

Obiectio IV.

Plures ex lectoribus sine dubio dicent: nonne haec contraria sunt iis, quae habentur in ipsius P. Victorii ultimo opere, cui titulus « *S. Liturgiae Promptuarium* »? Ibi enim legitur n. 243, 2: « Cum (*Sacerdos*) pervenerit ad Altare, stans ante illius infimum gradum, caput detegit... biretum ministro porrigit, et Altari, seu imagini Crucifixi desuper positae profunde se (*corpore nempe*) inclinat ».

Resp. Utique verum est me in ultimo opere docere cum pluribus aliis Rubricistis, quod Sacerdos, paramentis indutus et Calicem deferens, in accessu ad Altare, si ibi non asservetur SS.mum Sacramentum, *profundam corporis inclinationem* praestare debeat Cruci seu imagini Crucifixi, et ab adoratione Crucis Feriae VI in Parasceve usque ad Nonam Sabbati Sancti, genuflectere debeat. Sed quisnam ex Rubricistis confiteri possit, quod in vita sua nullam ex quaestionibus prius defensis, post serium studium, reformare debuerit? Nonne ipse S. Augustinus et S. Alphonsus de Ligorio, aliique plures clarissimi auctores, plures opiniones prius ab ipsis defensas, postea maturius examinatas retractaverunt atque reformarunt? Si ergo tanti homines docti et clarissimi hoc fecerunt, quare nos imbecilliores et indocti erubesceremus, re maturius perpensa, de retractanda et reformanda una alterave opinione, prius a nobis defensa?

(*Continuabitur*).

P. Victorius ab Appeltern, O. M. C.

De facultate celebrandi Missas votivas a Rubricis Missalis concessa:

Q. Missae votivae inscribuntur in Missali *pro arbitrio Sacerdotis celebrandae*: ergo quando, ritus diei permittit, semperne celebrari possunt?

Resp. Licet pluries Ephemer. Liturg. de Missis votivis egerint, nihilominus super hanc quaestionem insitendum ducimus quia hisce diebus nostris audivimus quemdam, qui totis viribus sustinebat posse Sacerdotem pro lubito suo, quando ritus diei non prohibeat, Missas votivas legere, eo ipso quod sint relictae in arbitrium Sacerdotis. Quia vero is, qui ita loquebatur ob officium quo fungitur, auctoritate non carere videtur, rem declarare debemus.

Notandum est in primis, quod Rubrica missalis, non tantum dicit quod Missas votivas, exhibet, *pro arbitrio Sacerdotis celebrandas,* sed dicit quoque, tit. IV, n. 3): *Id vero passim non fiat, nisi rationabili de causa; et quoad fieri potest, Missa cum officio conveniat.* Eius autem sensus unanimiter exponitur a doctoribus, et S. Alfonsus (*Lib. 6 n. 419*) ait: « Nota τὸ *rationabili de causa,* unde ait Merati (*P. 1, tit. 4, r 3, n. 12*), non sufficere pro causa ad passim Missas votivas celebrandas, ut Sacerdos cito se expediat, vel alia similis levis occasio. Verum sine dubio petitio facta a dante eleemosynam alicuius Missae votivae, erit iusta causa eam celebrandi ».

Iisdem verbis utitur cl. De Herdt (I, n. 26), qui sequitur dicens: « Ratio est, quia officium est praeparatio et dispositio ad Missam, et Ecclesia officium et Missam ordinat ad eumdem finem, ad ipsum nempe mysterium aut Sanctum colendum; quoad ergo fieri potest Missa cum officio convenire debet, et sine causa, saltem rationabili, ab eo discordare non potest ».

Addendum tamen est, quod non Missa ordinatur ad officium, sed officium ad Missam, nam ipsa de officio diei est pars, et nobilior; quapropter Missa conventualis numquam potest discordare ab officio ipso; et Missae privatae, diebus ritus inferioris, possunt quidem, sed tantum ex rationabili causa, celebrari.

Scimus quid ad rem tenet Roncaglia (c. 4, q. 2, r. 1), citatus a sancto Ligorio, docens, Rubricam: *Id non fiat nisi rationabili de causa,* esse de consilio, et nullo modo obligare,

ita ut, etiam ad passim Missas votivas dicendas, *nulla causa requiratur,* nam alias videretur Rubrica sibi contradicere, cum antea dixerit Missas votivas celebrari posse *pro arbitrio Sacerdotis;* arbitrium autem non limitatur ad çausam. Sanctus tamen Alfonsus (l. c.) ad rem ait: « Huic tamen (Roncagliae) opinioni non acquiesco, si quis passim vellet sine ulla causa Missas votivas recitare; Rubrica enim per illa verba: *id vero passim non fiat,* restringit arbitrium, ita ut ipsae passim nequeant celebrari, nisi adsit rationabilis causa ».

Quapropter, ego nequeo Missam votivam celebrare ex eo, quod facultatem mihi Rubrica tribuit, nisi causam rationabilem habeam, nempe nisi intentionem explicitam vel implicitam cognoscam eleemosynae offerentis; si autem ego illam ignoro, tunc Missam tuto et optime applicare possum, de die eam celebrans. Cum vero Missae quae celebrantur pro legatis adimplendis, *de requie* ut plurimum esse censeantur; itemque cum Missarum eleemosynae quae obiter offeruntur, pro maxima earum parte, pro defunctis esse oblatae credantur usuvenit in ecclesiarum sacrariis, ut quando ritus id permittat, exponantur planetae coloris nigri.

At usus iste estne causa sufficiens pro celebranda Missa defunctorum, si tu ex. gr. applicare debeas pro infirmo?

Procul dubio *negative* respondendum est, propter duo: 1°. quia Rubrica, quae dicit *Missa quoad fieri potest cum officio conveniat,* tibi prohibet ne Missam aliam celebres quam illam de die, nisi *rationabilem causam* habeas ut votivam legas. Atqui ratio applicandi pro defuncto tibi deest in casu; ergo de requie celebrare non potes. 2°. Quia si Missam aliam, quam de die, legere velis in casu, Missam votivam pro infirmo in promptu habes, pro quo eleemosynam accepisti, et non pro defuncto.

Ratio ergo quia in sacristia solummodo habentur planetae nigri coloris nihil valet, et tibi exquirenda erit planeta vel pro Missa de die, vel pro Missa votiva. *Negative* ergo respondendum est, non solum iuxta Rubricarum expositores, sed iuxta quoque theologos moralistas.

Audiatur pro omnibus cl. Gury *(N. 377 q. 16)*: « An obligatus ex stipendio legere Missam votivam, satisfacit si aliam Missam dicat? Respondeo *affirmative*. Ratio est, quia Missa eadem est quoad substantiam, et si adsit iusta ratio, nullum erit peccatum. Hinc si Rubricae non permittant ea die Missam votivam facere, debet legi Missa diei, et sic vere satisfit obligationi. « Qui autem (bene attendant lectores), qui autem absque legitima ratione id facit, a peccato veniali excusari non potest, nec propria devotio ut ratio sufficiens habetur ».

Licet ergo plurimi in praxi putent sufficientem esse causam in casu, quando Sacerdos non alias planetas invenit in sacristia expositas, nisi coloris nigri, et ius non habere putant exquirendi aliam casulam; nihilominus formido afferendi molestiam aedituo pro ea exponenda, nullo pacto rationem sufficientem constituere potest, ut Rubrica inobservata maneat.

Eoque magis, quia Sacerdotes extranei probe norunt, quod in unaquaque sacristia paramenta coloris diei, licet sit semiduplex, exponi debent, non ex convenientia tantum, aut ex quadam urbanitate, sed ex praecepto Rubricae implicito, et quoque ex S. R. C. decreto 27 februarii 1817 (n. 5075) antiquae collectionis. quod pro casu nostro adhuc vim habet. Iuxta illud enim ius habet *celebrans ad expetendum colorem officio proprio respondentem, cum ibi semiduplicia occurrunt.*

Hoc comprobatur etiam ex quodam responso die 29 novembris 1856 dato a S. R. C. Praefecto, quod relatum fuit in Ephemeride *L'Ami du Clergé*, anno 1884, pag. 461, et sic se habet: « E.mi et R.mi Patres sacris ritibus tuendis praepositi, singulis mature perpensis, tolerandum minime esse consuerunt abusum de quo in precibus, in festis nimirum semiduplicibus paramenta tantum nigra offerendi Sacerdotibus celebraturis, eademque hac ratione impediendi quominus legere pro lubito possint Missas vel festo respondentes, vel votivas, iuxta permissionem Rubricae ».

Quibus positis, videndum quoque est, an Missae, quae

a confluentibus incolis et accolis ad insigne aliquod Sanctuarium Beatae Mariae Virginis ibi offeruntur, possint necne celebrari in paramentis nigris; quia, ut plurimum, offerentes propriam intentionem explicite non exprimunt; sed cum ad Virginis Deiparae, quae gratiarum Mater est, sanctuarium accurrunt, certe gratias pro se vel pro aliis viventibus impetrare intendunt,ergo sufficienter nota est illorum intentio.

Hinc Sacerdos, qui a rectore, Sanctuarii facultate praedito, accipit stipendia pro Missis superfluis celebrandis extra Sanctuarium, implicite cognoscit intentionem offerentium, nempe ut Missae dicantur ad honorem B. M. V., ut quisque gratiam imploratam accipiat, vel de impetrata gratias agat. Quomodo ergo poterunt hae Missae in paramentis nigris celebrari? Itaqueritu permittente, celebrabuntur tot Missae votivae de Beata, quot sunt eleemosynae receptae, imo, si facile sit, ad aliquod altare Deiparae dicatum.

Hac de re, praeclarum et satis explicitum habetur S. C. R. decretum d. in Aquen. d. 3 mart. 1761, n. 2461 ad 7, quod sic se habet: « Diebus quibus dici possunt Missae votivae privatae vel defunctorum, Sacerdos ad illas obligatus, ratione fundationis, vel accepti manualis stipendii, propriae obligationi non satisfacit dicendo Missam de die: expresse enim voluntas testatorum vel postulantium, dummodo sit rationabilis, debet adimpleri ».

Neque valet obiicere offerentes nescire utrum hae votivae Missae speciales existant, quae tales preces contineant, ideoque eorum intentionem non posse ad illas extendi; quia *Sacerdos,* propter suum ministerium (*Sacra dans*), et propter eleemosynam quam accipit, maius bonum procurare tenetur offerenti, sicut tutor pupillo suo, illi meliori qua par est ratione iuvando, ac si ipse offerens nosset existentiam votivarum Missarum cum specialibus precibus illis adnexis.

Haec conclusio congruit cum Decreto dato a S. R. C. die 13 iulii 1899, n. 4031 ad 4: Sacerdos, cui erogaur eleemosyna ad celebrandam Missam pro defunctis, aut vo-

tivam in honorem alicuius Mysterii, vel B. Mariae V. vel Sancti, satisfacit obligationi suae Missam celebrando conformem officio, quando votivae vetantur, sed consultius est, quantum fieri possit, intentioni eleemosynam erogantis satisfiat per Missam scilicet de Requie, vel votivam. Subintellige, si res non urgeat omnino, vel incommodum oriatur expectando diem liberam has Missas admittentem.

Itaque Sacerdotes melius provideant ex una parte ad observantiam Rubricarum et S. R. C. decretorum, celebrando Missas votivas tantummodo quando adsit rationabilis causa, puta acceptum stipendium, et similiter celebrando Missam pro defunctis, solummodo quando applicare debeant pro mortuis Sacrificium; et ex alia parte, provideant etiam menti et intentionibus offerentium, celebrando Missas votivas, quando ritus diei permittit.

P. P.

BREVIORA RESPONSA

Pro Hispania 1. In officiis propriis B. M. V. de Columna, et de Monte Serrato, quae celebrantur cum Octava Communi, convenienter retinentur in I Noct. diei octavae Lectiones quae non sunt de Scriptura occurrenti?

Resp. Si litteram inspicimus novissimae Rubricae (tit. 1, n. 4) lectiones, quae censentur Propriae pro diebus octavis festorum B. M. de Columna, et de Monteserrato, adhuc retineri possunt; ait enim rubrica: ... *in Officiis quibusvis quae lectiones habeant proprias* ... ergo et dies octavae festorum, quae in ipso loco rubricarum sunt exceptae, si habent proprias lectiones, hae retinendae sunt. Attamen, si mentem Ecclesiae, in ipsis novissimis rubricis manifestatam, consideramus, clarissime intelligitur quod lectiones de Scriptura occurrenti legi debeant quo magis potest. Ex. gr. in die

octava Immaculatae Conceptionis, hodie dicendae sunt lectiones de occurrenti Scriptura, et pariter in die octava Dedicationis Ecclesiae, dum antea repetendae erant de die festo.

Cum vero Episcopi possint renuntiare ad officia propria festorum, quae non sint sub ritu duplici 1 vel 2 classis, nos arbitramur, quod in obsequium mentis Ecclesiae, bene possunt et nuntium mittere ad huiusmodi lectiones proprias diei octavae B. M. V. de Columna, et de Monteserrato, eo vel magis, quia non agitur de lectionibus vere propriis, uti sunt lectiones I nocturni S. Petri Ap. s. Stephani Protom., s. Pauli, et s. Matthiae, sed de *appropriatis*, de quibus loquitur decretum S. R. C. 19 apr. 1912, n. xvij; igitur melius esset, si pro diebus octavis praedictis, in novo Proprio dioecesano indicarentur lectiones I nocturni de Scriptura occurrenti.

II. Item, Responsoria propria in I Nocturno, ideoque et Lectiones non de Scriptura occurrenti, nec non Antiphonae propriae ad Vesperas, Matutinum et Laudes in officio s. Teresiae Virg., ritus duplicis, rectene adhibentur?

Resp. Si Episcopus pariter, in hoc casu, desiderat adhibere officium feriale, et pro sancta Theresia non retinere nisi Capitula, Hymnos, Versus et antiphonas ad *Magnificat* et *Benedictus*, bene id potest, iuxta desiderium et consilium Congregationis Rituum.

III. Die II infra Octavam Nativitatis B. M. V. Patronae huius dioecesis, legi valent Lectiones iij Nocturni diei octavae, quae perpetuo sunt impeditae, cum Lectio vij diei ij legenda sit pro ix diei festi, iuxta Rubricas Breviarii?

Resp. Si huc usque in festo Nativitatis B. M. V. Patronae dioecesis, loco ix lectionis s. Hadriani, quae est omittenda, dicta fuit vij lectio diei x Septembris, quae est continuatio homiliae s. Hieronymi lectae in festo ipso, hoc optime servari potest; et tunc in die ij infra Octavam opportune sumi possunt lectiones iij nocturni de die octava, quae nunc perpetuo sunt impeditae.

IV. Rectene assignantur Lectiones ij et iij Nocturni de Doctoribus ex Octavario Romano in diebus infra Octavam Communem et in die octava s. Vincentii Ferreri, qui, praeter alia propria, habet in die festo Lectiones j Nocturni « Sapientiam » et iij Noct. Evang. « Vos estis sal terrae »? Vel potius de Doctoribus in iij Nocturno tantum; et in ij Noct. de Confessoribus non Pont.?

Resp. In casu proposito, si legitime pro festo s. Vincentii Ferreri adhibentur lectiones iij nocturni in Evangelio: *Vos estis sal terrae,* et huc usque diebus infra eius Octavam lectae sunt lectiones ij nocturni de Doctoribus ut in Octavario Romano, non videmus cur hodie sint variandae. Si vero sumptae fuerunt de Confessoribus non Pontificibus, bene servari possunt.

Pro Urbe. In psalterio novissimo habentur ad Horas minores antiphonae per Annum, tempore Quadragesimae, tempore Passionis, et tempore Paschali; quando diversis hisce temporibus occurrit festum alicuius Sancti, in cuius officio sumuntur psalmi de psalterio, variarine debent antiphonae pro varietate temporum?

Resp. Negative: Ratio est, quia antiphonae per annum sunt omnino psalteriales, et conveniunt psalmis e quibus sunt depromptae, reliquae vero antiphonae sive Quadragesimae sive Passionis (et similiter de Adventu), congruunt officio de tempore, attamen non quadrant cum officio de Sanctis. Antiphonae autem de Tempore Paschali, quae constant tantummodo tribus *Alleluia,* conveniunt tam officio de tempore, quam officiis de Sanctis. Hinc est quod in Psalterio ante Psalmos Primae legitur sequens Rubrica: *Antiphonae tam per Annum, quam Tempore Paschali, in hac et aliis Feriis ad Primam, Tertiam, Sextam et Nonam appositae, dicuntur semper in Officio feriali et in Festis, sive trium sive novem Lectionum, quando iuxta Rubricas sumendi sint Psalmi de Feria, atque antiphonae per annum assignatae adhibentur etiam in Festis quae Tempore Quadragesimae ac Passionis celebrantur.* Ergo.

Pro Parisiis et aliis locis. — Anno proximo 1916 occurrunt Vigiliae s. Ioannis Baptistae et Ss. Apostolorum Petri et Pauli infra Octavam Corporis Christi, debetne legi ix lectio de homilia huiusmodi Vigiliarum?

Resp. Procul dubio legendae sunt; omitti quidem debent lectiones de Sancto simplici, nam licet Rubrica id non diceret explicite tempore Gavanti, ut ipse notat (Sect. VI, xx, 4), nihilominus S. R. C. suis decretis 1431, 1890, 2152 declaravit, quod omitti debeat lectio ix de Simplici, infra Octavam Corporis Christi, si de eadem fiat officium; hoc ipsum admisit Meratus (ibid.). In recognitione rubricarum sub Leone xiij, explicite in Rubrica speciali dicebatur: *Infra Octavam... Semiduplicia tantum commemorantur... sine ix lectione... De Simplici fit tantum commemoratio absque ix lectione...*; item in Rubricis generalibus (tit. IX, 10), Cavalerius rationem dat huiusce privilegii scribens (T. 2, XVI, decr. 1 n. iv): « Homiliae, quae per Octavam leguntur, admodum apte de tanto cunctae profantur mysterio, quare conveniens haud erat eiusdem laudes et praeconia taceri, ut Simplicis legeretur historia. Huius itaque permissa commemoratione, quae nullum officio Octavae afferebat incommodum, vetita fuit ix lectio, quae lectionem perimebat Octavae ».

Quando Leo xiij semiduplicium abstulit translationem, infra Octavam Corporis Christi de iis fieri debuit commemoratio, et tunc forsan bene poterat admitti lectio ix, ne omnino supprimeretur memoria Sancti semiduplici ritu celebrati; attamen aliter, ut supra vidimus, dispositum est, ideoque, in nova quoque reformatione Rubricarum, etiam de quolibet duplici maiori vel minori ad instar Simplicis redacto, non dicitur ix lectio.

Quod tamen dicitur de ix lectione Simplicis vel Simplificati infra Octavam Corporis Christi, dici non valet pro ix lectione Vigiliae, quae profecto legenda erit cum Rubricae tam antiquae quam novae, illam non excludant.

Pro loco B. — I. An in feriis Quadragesimae vel in Vigiliis propriam Missam habentibus dici possit Missa Simplicis occurrentis, v. g. Missa s. Eusebii, die 14 augusti, loco Missae Vigiliae Assumptionis B. Mariae Virginis?

Resp. Affirmative, non est enim Missa votiva, in casu, sed festiva.

II. An in festis semiduplicibus per Quadragesimam dici possit Missa Simplicis commemorati, v. g. Missa s. Lucii, die 4 martii, in festo sancti Casimiri Regis?

Resp. Pariter affirmative, eadem ex ratione.

III. An in Dominicis sive minoribus, sive etiam maioribus, non quidem solemnioribus, et salva semper Missa conventuali vel parochiali, celebrari possit Missa cantata vel lecta de *Requiem*, quae non sit proprie exequialis, v. g., si adest populi concursus, Missa applicanda omnibus militibus sive nationis, sive dioecesis vel paroeciae, nuper in bello necatis, aut eorum alicui?

Resp. Negative, nisi in casibus extraordinariis obtineatur specialissimum indultum a Summo Pontifice; obstant enim explicite Rubricae Missalis, a quibus dispensare valet solummodo Apostolica Sedes.

IV. Potestne Episcopus in sua dioecesi talem Missam praecipere aut saltem tolerare utpote Missam solemnem *pro re gravi?*

Resp. Negative, ob eandem rationem.

Pro N. N. — In *Ephem. Liturg,* anno praeterito lego: p. 273 : « Rectores ecclesiarum ex antiquis breviariis et *ex Octavario romano*, officium et lectiones sibi comparare satagant, quia iuxta aliud S. R. C. Decretum officia propria huiusmodi festorum adhuc sunt adhibenda, licet in proprio dioecesano non amplius sint edita ».

Alluditur, evidenter, ad Decretum 6 dec. 1912, ad 4 (A. A. S., p. 727). Porro, in hoc non agitur, vi verborum saltem, nisi de *Festis*. Quod ad Octavas, recurrendum dicitur ad *Octavarium romanum*.

Peto ergo:

1. Possuntne, in ecclesiis de quibus agitur, retineri lectiones quae pro diebus infra Octavam concessae fuissent *dioecesi (vel ordini)?*

2. Possuntne eae quae pro die *olim* libera infra Oct. concessae fuissent (v. g. pro die 22 iunii), adhiberi die sequenti iam libera (v. g. die 23, *olim* occupata a die octava S. Francisci Regis)?

3. Deficientibus lectionibus huiusmodi vel quae ex ipso *Octavario* desumantur, possunt ne lectiones desumi ex eius *supplemento*, quamvis lectiones in hoc contentae non fuerint omnibus concessae?

Resp. Ad 1. Possunt procul dubio, nam ut patet, in revisione kalendariorum particularium ecclesiarum, vel dioeceseon, nil innovatum fuit circa *Proprium*, saltem directe; ideoque lectiones historicae Sanctorum, qui e kalendario dioecesano expuncti sunt, sed in aliqua ecclesia illiusmet dioecesis adhuc sint retinendi, vel ratione reliquiarum, vel quia sunt Titulares, adhuc servari debent. Quod ergo dicitur de lectionibus historicis, non videmus cur dici non debeat etiam de lectionibus dierum infra Octavam.

Rem explicabit exemplum. In dioecesi placentina recolebatur, sub ritu duplici 2 classis cum Octava, festum s. Sabini episcopi; nunc vero octava, quia sublata fuit, in Proprio Placentino non amplius invenitur; cum autem plures habeantur ecclesiae parochiales eidem sancto dicatae, in iis adhuc recitandae erunt lectiones, non tantum historicae, quae alioquin adhuc pro die festo in dioecesano Proprio habentur, sed et lectiones quoque in diebus infra Octavam, quae nunc in eodem novo Proprio non sunt editae.

Ratio est, quia recognitio kalendariorum, non alium habuit scopum, nisi inducendi novas dispositiones Rubricarum in kalendariis et Propriis dioecesanis, circa *Propria* ecclesiarum particularium, nisi quid specialiter pro aliquo loco praescripserit S. R. C., nulla lex edita fuit, ex qua abolitae dici possint lectiones tum historicae in die festo, tum aliae infra

Octavas; ergo in eodem statu remanent, quo erant ante Breviarii reformationem; ergo adhuc sunt adhibendae lectiones dierum infra Octavas, licet nunc e Proprio dioecesano exulaverint.

Ad 2. *Affirmative* respondendum est, easdem ob rationes: lectiones enim infra Octavam die 22 iunii in Proprio dioecesano positae, quia dies illa tunc habebatur libera, non erant sic propriae pro die ipsa 22, ut alia die recitari nequirent; cum vero hodie in recognito kalendario dies 22 non amplius sit libera, sed dies 23, nil vetat quod lectiones in hac die reponantur; imo non aliter fieri fas est, agitur enim de lectionibus iam adprobatis pro illa Octava, et non de lectionibus propriis alterius festi, quae, ut pro alio festo possint adhiberi, venia postulanda est a S. C. R.

Ad 3. Nostro iudicio *affirmative* pariter respondendum est; scilicet, optime quilibet desumere potest ex appendice Octavarii Romani lectiones illas quae pertinent ad festa universalis Ecclesiae. Inter decem festa quorum disponuntur lectiones de infra Octavam et de die octava, in eadem appendice, solummodo festum Ss. Cordis Iesu habet lectiones quae non concordant cum evangelio officii quod ad universam Ecclesiam extensum est, et habetur in Proprio Sanctorum in Breviario, reliqua festa, nempe Pretiosissimi Sanguinis D. N., Annunciationis et Dolorum b. Mariae v., Angelorum Custodum, Patrocinii s. Ioseph (nunc Solemnitas) et Ss. Ioachim, Pauli a cruce, Aloisii Gonzagae et Hieronymi Aemiliani, non sunt pro aliquibus locis, ut notum est.

Quamvis igitur in fronte eiusdem appendicis legatur: *Supplementum ad Octavarium Romanum continens festorum octavas quae ex tempore B. Gavanti pro aliquibus locis adprobatae sunt,* nihilominus, omnes qui Octavam celebrare debent festorum quae inveniuntur in Breviario absque Octava, sine recursu ad S. R. C. lectiones ipsas sumere possunt.

Ad probandam hanc nostram sententiam, quae alicui plus aequo litterae adhaerenti forsan non placebit, sufficit adnotare quod Octavarium a Gavanto paratum, adprobatum fuit a

S. R. C. per decretum 19 februarii 1622, ideoque in eo apparere non poterant festa, quae ad universalem Ecclesiam post dictum annum extensa sunt. Sed processu temporis festa nonnulla, proprium evangelium habentia, inducta fuerunt in Romano Breviario, nempe s. Ignatii de Loyola ab Innocentio x (1644-55); Ioannis Gualberti et Petri Coelestini a Clemente ix (1667-69), Caietani a Clemente x (1676-79) et Francisci Borgia ab Alexandro viij (1689-91), quibus adiungi potest et festum s. Francisci Xaverii, quod licet fuerit extensum ad totam Ecclesiam a Gregorio xv (1621-23) tempore scilicet quo adprobatum fuit praedictum Octavarium, nihilominus in kalendario Gavanti hoc ipsum festum non invenitur inscriptum.

Atqui huiusmodi festa, quae in Octavario Gavanti extare non poterant, postea in illud invecta sunt, uti factum est in editionibus posterioribus, in quibus predicta festa inveniuntur, ergo, si agatur de festis universalis Ecclesiae, pro locis ubi celebrari debeant cum Octava, sicut iure accipi possunt lectiones istae, postea adiectae, ita et optime possunt excipi et illae quae in appendice inveniuntur.

Diximus lectiones tantum desumi posse, quae pertinent ad universalem Ecclesiam, nam pro lectionibus festi Ss. Cordis Iesu, quae in iij nocturno diversum habent evangelium, procul dubio accipi nefas est, nisi accedat concessio S. R. C.

Argumentum nostrae sententiae maiorem vim probandi obtinebit, si animadvertatur quod est mens S. R. C. non concedendi deinceps diversas lectiones pro eodem festo; tolerat nempe, pro eodem Sancto lectiones diversas, quae sint iam in usu; si vero agatur de nova concessione, extenduntur lectiones iam adprobatae, uti apparet ex nuperrimo decreto pro gallicis dioecesibus circa lectiones s. Genovefae.

Quibus ex rationibus putamus quod in casu proposito, si agatur de festis Ecclesiae universalis, optime possint lectiones pro eorum Octavis, desumi ex appendice Octavarii Romani.

Dr. P. P.

Pro dioecesi Cortonen. — I. Ut iam in ultimo fasciculo harum *Ephemeridum* dictum est (pag. 249, I), rector ecclesiae sollicitus sit curare novi altaris fixi consecrationem, ubi consecrata ecclesia absque ullo simili remansit; nihil prodesset dimittere Officium Anniversarii consecrationis, et ecclesiam considerare simpliciter benedictam, quod enim factum est infectum putari nequit.

II. Si festum aliquod impedit Officium Anniversarii dedicationis ecclesiae, lumina ante duodecim cruces ad parietes signatos accendi debent die tantum quo Officium Anniversarii transfertur, et si consuetudo ita fert, etiam die octavo, si cum octava celebretur (S. R. C., n. 1686; 3876, VII). Ita proximo anno, Anniversarium dedicationis occurrens die 29 aprilis, Sabbato in Albis, transferetur ad diem 2 Maii (de S. Marco Ev. fiet die 4) remanente die octavo ad diem 6 eiusdem mensis.

III. Ex iis quae diximus in fasciculis primo (pag. 52, 53) et quarto (pag. 241-244) currentis anni, nequit psalmus *De profundis* cum precibus et orationibus pro defunctis recitari in duplicibus primae classis. Neque sufficit non canere, sed tantummodo recitare, quia decretum S. R. C. n. 3708, VIII, prohibet Responsorium pro defunctis etiam private recitatum, et post absolutas vespere Horas canonicas. Notetur quod in dubio proposito in decreto citato Responsorium non confundebatur cum Absolutione, quia distinctus sermo erat de Absolutione *vel* Responsorio. Notetur insuper, in eodem decreto non distingui primas et secundas Vesperas, ita ut, neque die ipso festi duplicis primae classis, post secundas Vesperas, haberi possint praedictae preces.

Pro Branky in Moravia. — I. Occurrit dies octava Anniversarii Dedicationis Ecclesiae Metropolitanae in festo Anniversarii Dedicationis Ecclesiae propriae. Estne haec dies octava commemoranda an omittenda?

Resp. Cum agatur de duobus Officiis quae iuxta communem sententiam, sunt de obiecto diverso, in uno Officio Dedicationis debet fieri commemoratio de alio impedito;

neque obstat ritus et qualitas Officii duplicis primae classis primarii de Domino, quia cum non sit Ecclesiae universalis potest et debet in eo fieri commemoratio octavae duplicis maioris impeditae.

II. Estne in festo Sacr. Cordis Iesu anni sequentis facienda commemoratio de S. Pauli Commemoratione tantum, an potius addenda etiam de S. Petro.

Resp. Ut iam diximus ad pag. 251 fasciculi 4 curr. anni harum *Ephemeridum*, commemoratio unius ex his Pprincibus Apostolorum semper fieri debet cum commemoratione alterius.

Pro Lucana Civitate. — Festum S. Frediani, quod celebrabatur, ante reformationem Kalendarii, etiam in praecipua eiusdem Sancti ecclesia, die 18 novembris, qui est anniversarius translationis Reliquiarum eius, adhucdum celebrari poterit eodem die, iuxta antiquissimam consuetudinem. Consuetudo item perantiqua, recitandi die obitus ipsius Sancti (18 martii) Officium sub ritu inferiori, non videtur abolenda, quia non desunt exempla istiusmodi Officiorum in variis particularibus Kalendariis a S. R. C. approbatis retentorum. Non dubitamus autem quin etiam hoc festum sit primarium, quomodo sunt primaria natalitia S. Ioannis Baptistae et S. Ioseph, Sp. B. M. V., quamvis eorum festum principale et solemnius alia die celebretur. Si tamen ritus immutari velit, id non putamus fieri posse inconsulta S. Rituum Congregatione.

Pro dioecesi N. — Quaeritur, utrum Sacerdos qui applicare debet Missam de requie pro omnibus defunctis, possit necne variare pro lubitu suo secundam orationem?

Resp. Praemittimus, non posse fieri quaestionem de sola variatione secundae orationis; nam, eo quod tertia oratio in Missis quotidianis est de omnibus fidelibus defunctis, non solum variatio secundae, sed et tertiae supponi daretur. Et revera, in casu, prima oratio esset de omnibus defunctis, iuxta regulam decreti generalis 30 iunii 1896, n. 3920 II, secunda ad libitum, tertia vero, cum repeti nequiret pro

omnibus, deberet item immutari. Sed excludendum omnino est quod ordo orationum in casu debeat esse iuxta citatum n. II decreti; namque ibi sermo est de defunctis *certo* designatis, nunc vero, uti clarius patet ex collatione cum n. III, *certo* designati non sunt omnes sumpti *coacervatim*. Ceterum nemo dicetur *certo* designasse v. gr. cives totius orbis, quando omnes comprehendit. Sed praecise numerus III decreti solvit quaestionem, eam scilicet totaliter immutando: « Si vero pro defunctis *in genere* Missa celebretur », — en casus noster, in quo applicatio fieri debet *generaliter* pro omnibus, nullo excluso, nullo *designato;* — consequitur, iuxta decretum: « orationes esse dicendas quae pro Missis quotidianis in Missali prostant, eodemque ordine, quo ibi sunt inscriptae ». Et bene, namque, si pro omnibus orandum est, vel sufficit unica oratio, at hoc esset indicium solemnitatis, ritus scilicet duplicis, vel dicendae sunt tres orationes, quae varios coetus hominum in purgatorio detentorum respiciunt, iuxta rubricas: 1° Pontificum et Sacerdotum; 2° fratrum, propinquorum et benefactorum; 3° omnium denique reliquorum. Unde respondemus: Nulla facienda est variatio, sed accipienda est series trium orationum ut in formulario Missae quotidianae.

Pro variis locis. — Cum circa decreti 24 iunii 1914 verba: *Pro aliis Ecclesiae locis et ceteris casibus, illuminatio electrica, ad prudens Ordinarii iudicium permittitur.....* distinctae ortae sint interpretationes ac proinde desit in re tanti momenti necessaria uniformitas, quaeritur:

1. An prohibitio lucis electricae super altare, et in aediculis Sanctorum in retabulo ipsius altaris positis, extendatur etiam ad columnas, coronas et oras praedicti retabuli, ita ut in eis minime haberi possint luces electricae?

2. In casu permissionis, possuntne adhiberi lampades electricae, sive patenter sive occulte, circa oras tentorii sub quo collocatur imago Sancti, in cuius honorem habentur functiones sacrae, quamvis ex alia parte habeantur cerei sufficientes ad cultum?

3. Si vero omnino prohibitae sunt lampades electricae

super et in ipso altari, an etiam prohibeantur immediate ante ipsum altare pendentes e fornicibus templi? Si vero hoc permittitur: Quae distantia intercedere debet inter altare aut retabulum et lampades electricas?

4. Illuminatio imaginum per duas aut quatuor luces occultas intra illarum aediculas, ut imagines clarius conspici possint, potestne tolerari vel non?

5. Caput Immaculatae Conceptionis, si extra altare collocetur imago per novendiales, ornari potest duodecim lampadibus electricis, duodecim stellas significantibus?

6. Si molestiam non affert, indicetur forma in qua adhibetur lux electrica in Basilica Vaticana et aliis Ecclesiis Urbis, praesertim ubi altaria unum corpus efficiunt cum retabulo.

Resp. 1. Si per retabulum, quae vox communis usus non est, intelligatur paries qui erectus sit post altare, huic adhaerens vel non, et cui applicantur imagines Sanctorum, vel in quo excavantur aediculae ad statuas recipiendas, iam, saltem latiori interpretatione, quae non repugnat decretis, admittitur ut non habeatur uti pars altaris; et sane ipsi non est necessaria: non directe, quia non est neque mensa neque stipes neque suppedaneum; non indirecte, quia nihil debet continere quod super altari necessario collocandum sit, scilicet candelabra vel tabernaculum vel tabellae secretarum, prout sunt vel esse possunt gradus candelabrorum. Hinc in ea admittuntur candelae et lampades electricae: quod cerum et novum decretum insinuat, insistens in locutionibus: *in gradibus superioribus altaris..... super iisdem gradibus*. Si porro admittuntur in ipso pariete, admitti plane valent et ad columnas, coronas et oras retabuli: cauto tamen (et hoc apprime animadvertendum est), quod vult decretum citatum, ne pessumdentur rationes gravitatis, et sanctitatis loci, et dignitatis S. Liturgiae.

2. Possunt, tam patenter quam occulte, salvo quod supra dicitur de recto horum luminum usu. Ratio de sufficienti numero cereorum nullimode influit super usum lucis electri-

cae; namque, uti notum est, cerei necessarii ad cultum, et super altari collocandi, nullam relationem habere queunt ad electricam lucem.

3. Lampades vel lampadaria pendentia a fornicibus templi tum solum prohiberentur, cum essent praescripta liturgica lege, v. gr. unica lampas (vel plures, ut putamus, iuxta Caeremoniale Episcoporum: *ad minus tres accensae tota die,* in cathedralibus) coram tabernaculo SS. Sacramenti, et lumina quae ad cultum (non ornatum vel maiorem pompam) SS. Reliquiarum requiruntur. Quoad distantiam, dicemus eam esse metiendam ex legibus aestheticae, cum ex lege liturgica non prohibeantur nisi eo sensu de quo supra.

4. Nihil obstat, dummodo semper cautum sit decori, ut supra. Vetitum decreti n. 4275, circa lampades absconditas intra tabernaculum SS. Eucharistiae, nihil commune habet cum usu illuminandi aediculas imaginum; namque Mysterium Eucharisticum semper voluit Ecclesia suo arcano velamine custodiri, arcendo non modo fictitias machinas, speciosas imaginationes, phantasmatica inventa, sed et quidquid insueti vel artificiosi significet; dum haec artificia, si abnormia non appareant, non prohibentur circa imagines et statuas, quae ideo apponuntur ut oculis quandam vim faciant (vide infra, ad 6).

5. Si cum moderamine id fiat, et proportione, nihil obstat; si enim stella et radii possunt esse v. gr. ex auro, argento, lapidibus pretiosis, quae, ex vario lucis influxu, variis tremulisque enitent fulgoribus, poterunt similiter et alia ratione splendescere (vide infra).

6. In Basilica Vaticana, occasione solemnium beatificationum Servorum Dei, et canonizationum, vidimus imagines eorum splendenti coronide circumamictas, ex qua radiorum fasces emanabant, tam illas quam istas, electricis luminibus compositas, itemque lampadaria aliaque ornamenta extra altare, candelis ficticiis luce electrica accensis. Similiter etiam in observantioribus ecclesiis videntur aediculae illuminatae, pictae tabulae reflexis lucibus nitentes, coronae et radiorum

fasces fulgentes; haec omnia equidem luce vi electrica enutrita; sed tali, generaliter loquendo, cum moderamine, quo nihil contra moveri possit. Ubi irrepserant abusus, improbati fuere, et nunc pauci vel legum ignari vel pervicaces manent, quos, uti nobis constat, Auctoritas iugiter insectatur.

Restat ut notetur, illud: « unum corpus efficere cum retabulo », tunc obstare usui lucis electricae, quum reipsa vel super ipsa mensa, vel super gradus candelabrorum aliquod molimen ad instar retabuli inveniatur; non obstaret autem sola adhaesio altaris parieti seu retabulo.

Pro N. et N. — I. In Ecclesia titulari SS. Cordis Iesu pro III Nocturno possunt a clero saeculari dici illae Lectiones, quae concessae sunt Societati Iesu, vel repetendae sunt ut in festo? Octavarium Romanum habet alias Lectiones pro III Noct., quae non sunt conformes Evangelio festi Ss. Cordis in Breviario Romano.

Resp. Nostra sententia est, non posse id fieri absque S. Rituum Congregationis approbatione, cui consequenter recurrendum est, iuxta decretum S. R. C., n. 3437, p. II, ad 2, quo, non *declaratio*, sed *gratia* habetur extensionis lectionum, quae alibi concessae sunt.

II. Ante reformationem Calendarii celebrabatur die 7 augusti festum S. Osvaldi Reg. M., quod in III Nocturno habebat Homiliam S. Augustini in Evangelium *Qui vos audit, me audit* (sermo 24, *de Verbis Dom.*) et quidem in Lectione VII et VIII; Lectio IX erat de festo simplici. Lectiones VII et VIII nimis breves erant. In Ecclesia titulari S. Osvaldi potest pro Lectione IX legi lectio *Ut in audiendo quisque*, quae est VII Homiliae S. Bedae in Evangelium *Qui vos audit*, ex Octavario Romano pro communi plurimorum Martyrum?

Resp. Negative; quia si Octavarium romanum a S. R. C. tamquam pro omnibus approbatum proponitur; et si ex eo valent suscipi lectiones pro diebus infra Octavam, non est de more unius lectionis assumptio ipso die ex Homilia de diverso auctore.

III. Die 3 iulii celebratur festum Commemorationis Oo. Ss. Summorum Pontificum; occurrente alio festo nobiliori, legiturne Lectio de Commemoratione Oo. Ss. Summorum Pontificum? Et si legenda sit, legitur tantum IV Lectio (uti in *Lectiones pro festis universalis Ecclesiae commemoratis*, die 30 iunii, pro Commemoratione S. Pauli dispositum est), an legendae sunt tres coniunctae?

Resp. Negative, etsi enim Officium occurrens admittat eiusmodi lectionem, in casu tamen non habentur lectiones historicae, quae solae etiam nunc iuxta decretum S. R. C., 28 octobris 1913, IV, 2, ius habent ut recitentur. Exemplum Commem. S. Pauli Ap. non potest extendi proprio marte.

IV. Occurrente die infra Octavam Dedicationis ecclesiae propriae, et die infra Octavam Titularis ecclesiae, fit officium de die infra Octavam Dedicationis ecclesiae, an de die infra Octavam Titularis? Puto de die infra Octavam Dedicationis, etiam cathedralis, propter dignitatem.

Resp. Ita est; in casu enim habentur duo festa *pariter propria et eiusdem ritus*, ideoque criterium maioris *dignitatis*, quod habet dedicatio ecclesiae, praevalet, tam in die festo quam infra Octavam. Quod si Titularis olim habuerit feriationem, hodie sublatam (puta S. Laurentius M.), tunc sicut praevaleret in occurrentia et concurrentia festum Titularis super dedicationem, non ita dies infra Octavam. Ratio est, quia novissima Rubrica expresse praescribit, quod ratio maioris solemnitatis consideratur *tantum die festo et die octavo*. Sunt qui putant, quod haec praescriptio posita fuit tantum ne dies infra octavam impedirent festa ritus semiduplicis; in occurrentia tamen dierum infra duas octavas, illa praefertur, cuius festum maioris sit solemnitatis iuxta ipsas novissimas Rubricas quae (tit. III, n. 1) aiunt: *Octavae inter se praeferuntur eadem lege, qua festa ipsa ad quae pertinent.* Sed lex praeferentiae est multiplex, et exceptio circa dies infra octavas non esset limitanda. Nihilominus meus est S. R. C. ut praescriptio valeat tantum in relatione diei infra octavam cum festo semiduplici.

V. Fer. VI in Parasceve, post Elevationem SS.mi Sacramenti in Missa Praesanctificatorum, est genuflectendum et deinde SS. Hostia dividitur in tres partes, an statim post elevationem sine genuflexione SS. Hostia dividitur?

Resp. Affirmative, iuxta rubricam particularem Missalis: « elevat, et *statim* supra calicem dividit ».

VI. Festum S. Ioannis Nepomuceni M. (patronus minus principalis dioecesis) habet in I Nocturno lectiones proprias. Infra Octavam huius Sancti, in ecclesia titulari S. Ioannis Nep., occurrente feria secunda Rogationum vel Vigilia Ascensionis Domini, leguntur in I Nocturno Lectiones *Fratres, debitores;* an iuxta analogiam festi Immaculatae Conceptionis B. M. V., de die festo?

Resp. De communi nempe *Fratres, debitores*, idest iuxta rubricas novissimas, ante Proprium Sanctorum, ubi clarissime distinguitur: « infra octavam de Communi, in die octava ut in festo ». Atque in casu agitur da *die infra octavam*, ergo. Ceterum ita quoque habetur rubrica novissima de Immaculata Conceptione.

VII. Feria Rogationum, occurrit in festo duplici I cl., ubi unicus est Sacerdos, pro Processione dicitur Missa Rogationum cum commemoratione festi duplicis I cl.; aliae orationes non dicuntur. Iuxta decretum S. R. C. 23 decembris 1914, est in Missa hac de Rogationibus omittenda oratio imperata *pro re gravi,* quae imperata est absque ulla mentione dupl. I cl., an dicenda est?

Resp. Omittenda, si verum esset debere festum duplex commemorari in Missa de Rogationibus, cum attendenda sit dignitas festi commemorati, influxus scilicet duplicis I classis, quod per se excludit collectam, in casu: sed, e contrario, iuxta decreta S. R. C. n. 2942, I, etiam si duo sunt Sacerdotes; et n. 3088, occurrente duplici I classis post Processionem dicenda est Missa de festo cum commemoratione Rogationum, sub unica conclusione. Ubi plures sunt Sacerdotes, servetur decretum n. 3009, I, celebrandi separatim Missam de Rogationibus. M.

THEOLOGIA LITURGICA

(Continuatio. V. n. 3 curr. an., pagg. 255-256).

51. III. *Commercium spirituale inter homines et angelos.* Certum est quod angeli et homines in iustitia originali constituti, cum essent caritate perfecta praediti, et in societate perfecta coniuncti, etiam spirituale commercium inter se operabantur. Etenim, cum bonum sit diffusivum sui, ipsa mutua caritas eos impellebat ad mutuam communicationem bonorum suorum, et effusionem suarum perfectionum. Ceterum est de natura societatis quod membra eius, ut ait Apostolus, idipsum pro invicem sollicita sint (1). Sicut experimur in humano corpore, ad casus similitudinem societas ipsa instituta est.

52. Aliquod commercium exigit pluralitas et diversitas officiorum quae a Deo aliquibus in particulari sunt assignata. Accidere enim potest ut aliquis angelus ad opus officii sui exequendum auxilio alterius indigeat; hoc autem frequentius oriri potest ex connexione eorumdem officiorum, per quam opus unius aliquando refertur etiam ad officium alterius. Sic v. gr. angelus deputatus ad custodiam alicuius hominis vel regni indigere potest auxilio angeli deputati ad custodiam alterius hominis vel regni suo clienti coniuncti. Exemplum esto quod legitur in Daniele, cap. X, ex persona angeli Gabrielis. Daniel oraverat Dominum pro reditu Iudaeorum in Ierusalem, et Gabriel angelus apparuit ei dicens: « *exaudita sunt verba tua, et ego veni propter sermones tuos. Princeps autem regni Persarum restitit mihi viginti et uno diebus; et ecce Michael unus de principibus primis venit in adiutorium meum, et ego remansi ibi iuxta regem Persarum* » (2). Doctor angelicus quaerens: utrum inter angelos possit esse pugna seu discordia respondet considerandum esse quod divina iudicia circa diversos homines et diversa regna exercentur per angelos; in suis actionibus autem angeli reguntur per divinam sententiam. Sed contingit aliquando quod in diversis hominibus et regnis inveniantur contraria merita vel demerita, circa quae nequeunt cognoscere divinam sententiam nisi Deo

(1) I. Cor. XII, 25.
(2) Dan. X, 12, 13.

revelante; et hoc est de quo quisque consulit Deum, et orat in favorem proprii clientis, quin tamen se opponere velit divinae sententiae, et pugnare contra alterum angelum (1).

53. Ceterum etiam angelorum mens est limitata, nec quisque omnia scire potest; unde fieri potest quod quaedam nota sint uni, non alteri. Verum est quod omnes angeli beati immediate vident Dei essentiam, non omnes tamen eadem perfectione; unde fit ut unus Dei essentiam perfectius videat quam alter, et unus plura quam alter in Dei essentia videat. Praeterea secundum rationem divina Providentiae omnis angelus praeditus esse debet cognitionibus spectantibus ad officium suum, et ad personas seu regna in quorum custodiam, seu tutamen, est deputatus. Hinc oritur inter angelos necessitas illuminationis et locutionis, quae sunt obiectum et medium commercii in coetu angelico.

54. Hoc commercium vero in primordiis ecclesiae Dei non fuit tantum in coetu angelico, inter angelos; sed etiam inter angelos et homines. Etenim homines in statu innocentiae originalis constituti angelorum consortio probantur; quod si etiam in praesens tempus nos cum angelis hymnum gloriae Deo canimus, quanto magis progenitores nostri Deo et angelis perfecta caritate et societate coniuncti! S. Thomas docet hominem in statu innocentiae non vidisse angelos per essentiam, sed de eis cognitionem habuisse nostra excellentiorem (2). Hoc autem congruebat intimae societati qua homo innocens illis coniunctus erat.

CAPUT SEPTIMUM.

Primordia Ecclesiae militantis in terra.

55. Ex axiomate quod « *Dei perfecta sunt opera* » sequitur quod et ecclesia in suis primordiis fuit perfecta (n. 41); idest omnino sancta et immaculata. Ecclesia autem in sua universalitate complectitur angelos et homines, et in suis primordiis, et angeli et homines in statu iustitiae et gratiae sanctificantis constituti erant; unde ecclesia sancta erat tam ex parte angelorum in caelis, quam ex parte hominum in terra. Et hac est ecclesia generis humani, quae initium habuit in progenitoribus nostris, Adam et Heva, a Deo immediate

(1) Cf. S. Thomam, I. Quaest. CXIII, art. VIII.
(2) I. Quaest. XCIV, art. II.

creatis, et in statu iustitiae constitutis (1); et haec est ecclesia militans in terra, quae postquam in decursu saeculorum tutaverit regnum Dei in terra, transformanda erat in regnum aeternum in coelis cum angelis sanctis.

56. Legitur in Genesi: « *Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis a principio, in quo posuit hominem quem formaverat, produxitque de humo omne lignum pulchrum visu, et ad vescendum suave, lignum etiam vitae in medio paradisi, lignumque scientiae boni et mali* » (2). Et immisit Dominus Deus soporem in Adam, et tulit unam de costis eius, et aedificavit costam in mulierem et adduxlt eam ad Adam (3). In hac narratione continetur institutio trium societatum quibus evolvitur genus humanum super terram. Adam et Heva in sanctitate et iustitia constituti, et per gratiam sanctificantem et charitatem perfectam coniuncti Deo, et sibi invicem, societatem theocraticam, idest Ecclesiam, efformabant; Deus adducens mulierem ad Adam, qui eam accipit in uxorem instituit societatem coniugalem scilicet matrimonium; simul autem cum matrimonio instituta manet societas domestica, seu familiaris; matrimonium enim ad multiplicationem humani generis per familias ordinatum est. Quam ergo prospera et felicia primordia habuit humanum genus in suis societatibus naturalibus! O vere aurea fuit illius primaeva aetas! O vere paradisus voluptatis illa unio.

(1) Hic operae pretium est referre quaedam tnsana et absurda commenta ab incredulis excogitata ad avertendam unitatem originis humani generis ab Adam et Heva progenitoribus, seu parentibus omnium primis. Loquimur hic de praeadamitis et coadamitis. Praedamitae originem habuerunt anno 1655 a quodam Isaaco Pereyre natione Gallo, religione calviniana, qui tamen anno 1657 sub Alexandro VII errores suos eiuravit. Ipse ex duplici loco Genesis (1. 26-11. 7) ubi describitur anthropologia argumentatus est creationem duorum hominum distinctorum, quorum primus protoparens esset hebraeorum; alter gentilium. Coadamitae dicunturi qui populos aborigenes autumant in peculiar terrae solo vel a Deo conditos vel e terra sponte prodeuntes, ex quibus diversae hominum species prodierunt. Error praeadamitorum facile refutatur observando quod una et eadem est anthropogonia descripta a Moyse in duobus locis a Pereyre adductis in fucimen sui erroris, cum hoc discrimine quod in primo capite summatim et compendiose describit creationem protoparentis per verba « *creavit Deus hominem* » ad explendam totius creationis historiam: in secundo capite enucleatius describit formationem amborum progenitorum, ut sterneret sibi viam ad referendum eorum lapsum. Quantum ad coadamitas, quoniam ipsorum error non habet fulcimentum nisi vel in narrationibus quas uonnuili zoologi vel viatores effutierunt pro impugnanda divina revelatione, vel in varietatibus phisionomicis, quae oriuntur ex diversitate ambientis personarum etiam eiusdem speciei et stirpis, eius absurditas facile patet, dum repugnat non tantum principiis fidei et sanae philosophiae, sed etiam sensui communi, nam sensus communis refugit ab idea quod creatura humana a solo terrae veluti fungus oriri potuisset.

(2) Gen. II, 8, 9.

(3) Ibid.

57. Sacra scriptura paradisum voluptatis denominat locum in quo posuit Adam et formavit Hevam; et hoc innuit copiam deliciarum quas Dominus ibi cumulaverat. Fundamentum autem felicitatis in eo commorantium erat status innocentiae et iustitiae originalis per quem deliciis gratiae et amicitiae Dei fruebantur, commercium constans cum Deo, et mutuum in Deo habendo. Felicitas ergo primorum parentum in paradiso voluptatis duravit quantum status innocentiae, scilicet ante peccatum.

58. Pro eo quod ad nos attinet hic duo sunt quaerenda, scilicet: 1° Utrum durante statu iustitiae originalis fuerint opera liturgica; 2° quantum temporis duraverit status iustitiae originalis.

Quoad primum praenotandum est operum liturgicorum quatuos species distingui, quae sunt: 1. latreutica; 2. eucharistica; 3. propitiatoria; 4. impetratoria. Latreutica dicuntur opera quorum obiectum, seu finis proximus est cultus divinus; quae scilicet sunt or. dinata ad debitum cultum Deo reddendum; eucharistica dicuntur opera quae fiunt in gratiarum actionem Deo debitam pro beneficiis ab ipso acceptis; propitiatoria sunt quae ad placandum Deum, et eius misericordiam obtinendam sunt ordinata: impetratoria tandem sunt quae pro gratiis et beneficiis a Deo accipiendis fiunt. Hoc posito, si quaeritur utrum in statu innocentiae fuissent opera liturgica propititiatoria respondendum est negative, quia in statu inncentiae progenitores iusti erant ac sancti, nec erat in ipsis quidquam offensae Dei per quod petere deberent eius propitiationem.

(Continuabitur).

PROPRIETAS LITERARIA

IMPRIMATUR

Fr. ALBERTUS LEPIDI O. P., S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

† IOSEPH CEPPETELLI, Patr. Costantinop., *Vicesgerens.*

AUGUSTUS ZUCCONI, Director Domus editricis Desclée et Soc., Romae, *Sponsor.*

Ex Officina Polygraphica Latiali, Fratrum Tempesta, Via Boccaccio, 7 - Roma

Acta Sanctae Sedis
sacram Liturgiam spectantia.

S. CONGREGATIO RITUUM

DUBIUM

De syllabis hypermetricis quoad cantum.

A sacra Rituum Congregatione pluries expostulatum fuit: « An regula descripta in Antiphonario Vaticano circa syllabas hypermetricas, quae frequenter occurrunt in cantu hymnorum, scilicet quod ipsae non elidantur, sed distincte pronuncientur propriaque nota cantentur, stricte et rigorose interpretanda sit, vel e contra liceat etiam ipsas syllabas elidere, praesertim si in praxi id facilius et convenientius censeatur? ».

Et sacra eadem Congregatio, audita specialis Commissionis pro cantu liturgico gregoriano sententia, propositae quaestioni, re sedulo perpensa, ita rescribendum censuit: « Negative ad primam partem, affirmative ad secundam ».

Atque ita rescripsit et declaravit, die 14 maii 1915.

A. Card. VICO, *Pro-Praefectus*.

L. ✠ S.

† Petrus La Fontaine, Patriarcha electus Venetiarum, *Secretarius*.

Commentarium

Antiphonarium S. Rom. Ecclesiae pro horis diurnis iussu Pii X f. r. restitutum, et typis Vaticanis editum anno 1912, in versibus hymnorum, in quibus occurrunt syllabae hypermetricae, quae iuxta leges metricas eliduntur, et tamquam una syllaba computantur, disponit binas syllabas huiusmodi, modo distinctis, ita ut in utraque superimponatur notula relativa. Ex. gr. in hymno SS. Trinitatis quartus versus primae strophes, habet elisionem *infunde amorem;* in antiquis editionibus sub una eademque notula utraque vocalis edita invenitur, in vaticana vero ita inscribitur:

Infunde amorem cordibus

sed in cantu, distincte cum duabus notulis pronunciandae indicantur syllabae *de* et *a*.

Cum vero pluribus in regionibus consuetudo sit, ut in casu, vocalis *e* elidatur, et in cantu pronuncietur *Infund'amorem cordibus*, quaesitum fuit utrum huiusmodi consuetudo servari possit; et S. Congregatio affirmativum dedit responsum, nam praeceptum standi ad Antiphonale vaticanum, non ita rigorose accipiendum est, ut in minima hac parte consuetudinem, satis adprobatam, sequi non liceat.

P. P.

DECRETUM

Quaedam Missam votivae durante praesenti bello permittuntur.

Vide n. IX in hoc fasciculo pag. 334, ad tx.

Commentarium.

Per hoc Decretum providere voluit S. Congregatio Rituum maiori commoditati Sacerdotum, qui, tempore belli, in castris vel in captivitate detinentur, ut facilius missam celebrare possint. Notum est enim, quod in temporis belli

adiunctis summopere convenit, imo oportet omnino, ut res necessariae pro celebratione missae, quoad earum numerum et pondus, ad minimum reducantur. Si ergo sacerdotes in casu missale perexiguae molis, et unam tantum casulam habere queant, non parum eorum commoditati provisum erit.

Itaque, licet inveniantur integri missales parvae formae, hi tamen ex una parte typis minusculis sunt excusi, et ex altera, difficile aperti super altare patere possunt: quando vero paratum fuerit missale, typis editum satis legibilibus, forma competenti, cum Canone tantummodo et quatuor missis, prout conceduntur in hoc decreto, optime provisum erit commoditati celebrantium (1). Idem dicatur de casula. Cum enim missae concessae requirant colorem album (Ss. Trinitatis et B. Mariae) violaceum (Temp. belli) et nigrum (pro Def.), et cum aliquando permittant decreta, ut in missis defunctorum loco nigri adhibeatur color violaceus (Cf. S. R. C. decr. 3177) causa sufficiens in casu adest, iuxta sententiam S. Alphonsi (Theol. Mor. VI, iij, 376), ut casula violacea inserviat etiam pro missa defunctorum sicque una tantum planeta bicolor, alba ex una parte, et violacea (2) ex altera, sufficit pro sacerdotibus qui in castris vel in captivitate versantur.

Notandum pariter est, quod missae concessae in hoc decreto, celebrandae sunt *more festivo,* scilicet cum *Gloria* et *Credo,* omnibus diebus Dominicis, et in duplicibus 1 et 2 classis; *more* vero *votivo,* scilicet sine *Gloria* (excepto Sab-

(1) Prae oculis habemus parvum missale nuper editum quatuor missas concessas per hoc decretum continens, attamen non in omnibus laudari posse censemus huiusmodi editionem: I. quia volumen commode per se apertum iacere nequit prouti debet tempore celebrationis missae; II. quia in fine missae supponitur quod aliud Evangelium legi queat; III. quia exhibet Orationes diversas, in missis concessis dicendas, quae revera addi nequeunt: sed dato etiam quod addi possent, delectus earum arbitrarius est et mancus; IV. quia non habet ullam adprobationem competentis auctoritatis.

(2) Si ex parte versa casula sit coloris violacei-atri, melius etiam defunctis conveniet.

bato si legatur missa de Beata) et sine *Credo* ceteris diebus. Item notatu digna est nova ista concessio, scilicet, ut in gratiam maioris etiam brevitatis, qua indigent omnino sacerdotes in castris, diebus quoque ritus semiduplicis, in missis celebrandis dici debeant tantummodo duae orationes.

Igitur, qui huiusmodi indulto generali frui intendit, celebrando scilicet in castris, vel in hospitalibus vulneratorum, in ipsis castris, vel navibus, vel in loco captivitatis, stare debet indulto, ideoque, addere nequit orationem de officio diei, vel aliam.

Attamen quilibet potest pro sua devotione, et si commoda conditio suppetat, celebrare missam iuxta calendarium suum, cum solito missali, nam decretum non imponit praescriptionem, sed concedit indultum.

Dr. P. Piacenza.

DECRETUM

In LUCIONEN. 12 Aug. 1854.

(Continuatio — Vide num. 5 curr. anni, pag. 263-270).

Art. 3. — *De commemoratione octavae in missis privatis de festo occurrente aut de Dominica in supradictis diebus.*

8. Diebus Dominicis infra octavam Epiphaniae, Corporis Christi vel Ss. Petri et Pauli, in missis privatis de Dominica, vel de festo occurrente, fieri debet commemoratio octavae, etiam in ecclesiis, ubi iuxta indultum Card. Caprara celebratur alia missa votiva solemnis de praedictis solemnitatibus.

Commentarium.

Ad 8. Nescimus quomodo ortum habere potuerit huiusmodi quaesitum. Procul dubio commemoratio octavae occur-

rentis fieri debet in missis omnibus lectis, et quidem etiam in festis occurrentibus duplicibus I classis, si agatur de octava Epiphaniae et Corporis Christi; licet ergo de praedictis solemnitatibus, quarum agitur octava, cantata sit missa solemnis, non ideo eximuntur sacerdotes, missam privatam celebrantes, a commemoratione octavae. De octava nil agitur quidem in missa solemni praedicta, ut patet, sed nulla ratio adduci potest pro excludenda commemoratione octavae in aliis missis lectis.

Art. 4. — *De hora celebrandi missas solemnes in Dominica infra octavam Epiphaniae etc.*

9. Missae illae votivae solemnes, de quibus supra, celebrari debent post Nonam iuxta rubricas.

10. Pro Missis de Epiphania etc. in Dominica infra octavam more votivo celebrandis, iuxta instructionem Card. Caprara d. d. 21 iunii 1804 ad Vicarium generalem Mechliniensem, Hora canonica solemniter decantata, ante missam Pontificalem, debet esse de officio ea die occurrente in kalendario, prout mos est ante alias missas votivas pontificales, non vero conformis officio missae votivae.

Commentarium.

Ad 9. Dispositio ista congruit cum Rubrica missalis, quae praescribit missas votivas solemnes celebrandas esse in Choro, post horam Nonam: et congruit etiam cum principio admisso circa naturam missae solemnis de festivitate translata in sequenti Dominica, quae licet forsan non undequaque *votiva* vocari possit, nihilominus in decreto Card. Caprara designatur tamquam missa votiva. Itaque bene hic dicitur quod cani debeat post horam Nonam.

Ad 10. Ut supra (ad 5) innuimus, responsum datum ad Vicarium generalem Mechlinensem, die 21 iun. 1804, circa

festivitates in proximam Dominicam transferendas, vim obligandi obtinet, ubicumque viget Indultum Card. Caprara. Cum autem in eo declaratum esset quod Hora canonica cantanda ante missam pontificalem de festo translato in Dominicis infra octavam, esse deberet de officio diei, non vero conformem missae ipsi pontificali, ita haec regula confirmatur per responsum ad hoc dubium 10.

Art. 5. — *De Titularibus Ecclesiarum.*

11. Capella benedicta Monialium quae ad officium divinum recitandum non sunt adstrictae, licet sit praecipua in domo, et patens etiam fidelibus, non est habenda tamquam ecclesia, adeo ut festum eius Titularis recolendum sit ritu I classis cum octava, nec dici potest capella publica, ubi Titularis, iuxta Decretum d. d. 12 nov. 1831 in Marsorum ad 34, celebrari debeat ritu quo supra.

12. Licet in capella praedicta Vesperae celebrentur singulis Dominicis, et diebus festivis, capellanus tamen non debet recitare officium Titularis sub ritu I classis.

13. Dubium 13 agit de translationibus festorum, faciendis in kalendario dioecesano, in ecclesiis particularibus, pro celebratione Titularium.

14. Festum s. Fulgentii Ruspensis Episcopi, qui in quadam dioecesis ecclesia die 8 octobris recolitur uti Titularis iam a saeculo xiv, etsi dies sua in Martyrologio signata sit I ianuarii, retineri debet in dicta die 8 octobris, non vero alia die celebrandum assignata a I ianuarii.

15. Decretum d. d. 16 sept. 1721 *in Panormitana*, statuens quod festa perpetuo amota, ab assignata

eorum die essent celebranda sine octava, vel cum residuo illius, applicari non debet festo Titularis alicuius ecclesiae, quod ob impedimentum perpetuum in aliam diem fixam repositum fuit.

16. Deficientibus monumentis declarantibus, an s. Gervasius sit solus Titularis, vel s. Protasius sit cum ipso Contitularis, aut s. Dionysius sit solus similiter Titularis, vel eius Socii cum ipso Contitularis, fieri debet officium de uno martyre, ad normam Rubricae post Tabellam Occurrentiae.

17. In praedicto casu missa pro s. Gervasio legenda est ut in Missali die 19 iunii cum orationibus et graduali de missa *Laetabitur*.

18. Similiter, ubi s. Vitus est solus Titularis, ac proinde a sociis separandus, dicenda est missa *Laetabitur*, cum Evangelio de festo.

Ad 11. Huiusmodi dispositio hodie non amplius valet, nam ex S. R. C. decreto generali 5 iun. 1899, n. 4025 ad 5, et maxime ex alio 10 nov. 1956 ad 3, celebrari debet *festum Titularis principalis oratorii semipublici religiosae familiae, quod sit saltem solemniter benedictum*. Pro solemni tamen benedictione in casu, requiritur quod oratorium fuerit benedictum formula Ritualis Romani pro benedictione ecclesiae vel oratorii publici a sacerdote delegato facienda. Quia vero capella principalis domorum religiosarum, iuxta aliud generale decretum 23 ian. 1899 n. 4907 habetur tamquam oratorium semipublicum, procul dubio in casu proposito nunc oportet respondere, quod Titularis capellae principalis Monialium, quae dicitur benedicta, celebrari debet ritu duplici I classis cum octava. Porro, licet moniales de quibus agebatur non essent adstrictae ad officium divinum recitandum, nihilominus pariter recolendus ab eis nunc est sanctus Titularis per missae celebrationem, ut explicite traditur in

citato decreto 4025 ad 4; et non tantum a capellano, sed etiam ab omnibus sacerdotibus ea die in dicto oratorio sacrum facientibus; item agenda est commemoratio octavae iuxta Rubricas omnibus diebus, et in die octava denuo celebranda missa de festo Titularis. Itaque hac de re huiusmodi decretum in *Lucionen.* est abrogatum.

Ad 12. Capellanus in casu, vel est beneficiatus, vel non. Si beneficiatus est, recitare quidem debet officium iuxta kalendarium proprium, sed missam de Titulari celebrare ut supra, et quidem ritu I classis, sine ulla commemoratione proprii festi. Si beneficiatus non est, tunc officium recitare potest, si velit, de sancto Titulari, sed non tenetur; missam vero ut supra de eo celebrare debet.

Ad 13. Responsum ad dubium 13, prout iacet tum in originali apud Archivium Congregationis, tum in editione quae habetur in *Analectis Pontificiis* parum intelligitur, eo quod dubium ipsum a Curia Lucionensi non satis lucide expositum fuerat; et cum non clare appareat an duae vel tres quaestiones proponantur, responsio data: *ad I affirmative, ad II negative,* non solvit dubium.

Quia vero agitur in dubio isto de translationibus faciendis festorum, quae impediuntur aliquibus in ecclesiis ob occursum festi Titularis, et cum regulae translationum bis fuerint moderatae post huiusce decreti in *Lucionen.* promulgatione, nempe a Leone XIII, anno 1882, et nuperrime a Pio X, nullam iacturam faciunt lectores nostri, si responsionem omittimus, quae nullum amplius valorem habet.

Ad 14. Sancta mater Ecclesia semper consuevit celebrare festa Sanctorum in propria die natalitia, nihilominus aliquando ea recolit aliis diebus prout plurima habentur exempla. In casu autem, licet s. Fulgentius (si revera sit Fulgentius Ruspensis), signetur in Martyrologio die 1 ianuarii, nihilominus quia iam a saeculis aliquo in loco celebratur alia die, scillicet, ut in casu, die 8 octobris, continuari debet celebratio eius festi in dicta die; ne mores populares, sine gravi ratione, perturbentur.

Ad 15. Responsum istud cohaeret cum novissimis Rubricis (tit. v. n. 6) ubi legitur: « Si festum proprium alicuius Nationis, Dioecesis, Ordinis, Instituti, vel particularis ecclesiae, quod cum octava celebratur in tota Natione, Dioecesi, Ordine, vel Instituto, aut in sua particulari ecclesia respective impeditum fuerit, ideoque reponatur iuxta Rubricas, reponitur etiam dies octava, quae celebratur octavo die post celebratum festum, ac si ipsum in die propria die recolatur ». S. R. C. aliis suis decretis 12 iul. 1889 et 20 iun. 1899 hoc ipsum declaraverat. Hac de re vide quae scripsimus in nostro Commentario in *Novissimas Rubricas,* nota 60 (Cf. *Ephem. Liturg.* an. 1914 p. 323) in qua citavimus hoc decretum in *Lucionen.*

Decretum autem in eo citatum d. d. 16 sept. 1721 in *Panormitana,* omissum fuit in ultima editione authentica, et ideo nullam vim habet, ita ut, quando aliquod festum habens octavam, sit Titularis vel non, perpetuo repositum est extra suum diem, reponenda sit etiam dies eius octava.

Ad dubia 16, 17 et 18 per se patent responsiones et nulla indigent declaratione.

Clerum militarem tempore belli respicientia.

Nota. — *Acta circa hoc punctum a S. Sede edita respiciunt tum administrationem Sacramentorum, tum ea quae in particulari ad rem liturgicam pertinent. Ea omnia in unum colligere, eaque paucis verbis (attamen satis perfecte) hic referre nobis utile visum est, ut ita militaris Clerus ea Acta facile cognoscere et consulere valeat. Praedicta Acta hic describimus iuxta datum in quo publicata seu edita fuerunt.*

I.

Responsa S. Poenitentiariae d. 18 martii 1912, annuente SS.mo D. N. Pio Pp. X (fel. rec.), ad Episcopum Virdunensem (1):

(1) Nota bene S. Poenitentiariam d. 25 maii 1915 declarasse :

1°. Miles quicumque, in statu bellicae convocationis, seu, ut aiunt, mobilizationis constitutus, ipso facto aequiparari potest iis qui versantur in periculo mortis, ita ut a quovis obvio sacerdote possit absolvi, iuxta regulas a probatis auctoribus traditas (1).

2°. Quoad irregularitatem incursam ab omni clerico, quem gallica lex ad exercendum active bellum aut pugnam coegit, consulat orator probatos auctores. — S. Poenitentiaria autem benigne indulget ut Sacerdotes militantes, ceteris paribus, inter bellicas operationes, Sacrum et Sacramenta ministrare valeant, non obstante irregularitate quam pugnantes forte incurrerint; bello vero composito, recurrant ad competentem auctoritatem. Nihil autem obstat quominus ipsi Sacerdotes aliique clerici militantes, licet in irregularitatem inciderint, admittantur ad Sacramenta.

3°. Durante bello, eiusque proxima praeparatione, Clericus in Sacris constitutus ab Officii divini lege liber existit.

(Vide A. VERMEERSCH, Period., *tom. VI, p. 227, et Anal. Ord. Cap., an. 1914, p. 298).*

« una cum praesenti decreto in vigore manere, quae occasione belli ab eodem S. Tribunali alias edita sunt ».

(1) Hoc primum responsum a S. Poenitent. Apost. d. 29 maii 1915 *(V. Acta Apost. Sedis. VII, 282)* in Commentario Officiali S. Sedis publicatum et extensum fuit ad *omnes milites in statu bellicae convocationis*. — Quum vero duo reliqua responsa nondum publicata sint in Actis Apost. Sedis, quamvis sint mera responsa seu declarationes ad dubia proposita et consequenter ut certa regula in foro conscientiae considerari possint, in foro tamen externo nullum valorem habent, usquedum ea responsa sint formaliter publicata a S. Sede.

II.

Ex audientia Ss.mi, d. 10 novembris 1914:

Benedictus Pp. XV « benigne indulgere dignatus est, ut omnes Sacerdotes ex utroque clero, licet nondum ad confessiones adprobati (1), in utilitatem militum cuiusvis gradus, qui e nationibus sint bellum gerentibus, usque dum hoc idem bellum ardeat, singulis scapularium benedictionibus ditandi praescripta a S. Officio numismata plenam habeant facultatem, eaque libere omnino uti possint ac valeant. Contrariis quibuslibet, iis nominatim quae statuta sunt in Motu Proprio d. 7 aprilis anno 1910, minime obfuturis ».

(*Vide* Acta Apost. Sedis, *VI, pag. 673).*

III.

S. Poenitentiaria, annuente Ss.mo D. N. Benedicto Pp. XV, d. 18 decembris 1914, statuit: « Capellani militum, dum exercitum comitantur, possunt, durante bello, excipere confessiones sacramentales quorumcumque fidelium ad se accedentium, et in eorum favorem uti facultatibus omnibus sibi pro foro conscientiae concreditis. Eadem pollent potestate praedicti Capellani militum in captivitate forte detenti in favorem omnium concaptivorum. Contrariis quibuscumque non obstantibus ».

(*Vide* Acta Apost. Sedis, *VI, pag. 712).*

---

(1) Nec facultatibus singulas scapularium benedictiones numismati attribuendi polleant.

IV.

Ss.mus D. N. Benedictus Pp. XV, d. 28 ianuarii 1915, « benigne concedere dignatus est, ut Missae omnes, quas a quocumque Sacerdote in suffragium animarum illorum, qui in praesenti exitiali bello ceciderunt et cadent, celebrari contigerit, ita illis suffragari possint, ac si in altari privilegiato celebratae fuissent. Praesenti hoc decurrente anno valituro..... Contrariis quibuscumque non obstantibus ».

(*V.* Acta Apost. Sedis, *VII, pag. 66).*

V.

Ss.mus D. N. Benedictus Pp. XV, d. 4 februarii 1915, « benigne indulsit, ut Sacerdotes quilibet, sive saeculares sive regulares, qui ab Apostolica Sede, directe aut indirecte, facultatem obtinuerunt pia obiecta benedicendi cum indulgentiarum applicatione, et s. ministerium exercent apud milites nationum, hoc tempore bello contendentium, vel quomodolibet inter eos versantur, non teneantur clausula quae apponi solet: *de consensu Ordinarii loci in quo facultas exercetur.* Praesenti valituro hac eadem rerum conditione perdurante. Contrariis quibuscumque non obstantibus ».

(*V.* Acta Apost. Sedis, *VII, pag. 66).*

VI.

S. Poenitentiaria ad dubium: « An liceat milites ad praelium vocatos, antequam ad S. Communionem admittantur, absolvere generali formula, seu communi absolutione, sine praecedente confessione, quando tantus

est eorum numerus, ut singuli audiri nequeant, doloris actu debite emisso? ». — Die 6 februarii 1915, annuente Ss.mo D. N. Benedicto Pp. XV, respondit: « Affirmative. Nihil vero obstare, quominus sic absoluti in praefatis adiunctis ad S. Eucharistiam suscipiendam admittantur. Ne omittant vero Capellani militum, data opportunitate, eos docere, absolutionem sic impertiendam non esse profuturam, nisi rite dispositi fuerint, iisdemque obligationem manere integram confessionem suo tempore peragendi, si periculum evaserint. Contrariis quibuscumque non obstantibus ».

(V. Acta Apost. Sedis, *VII, pag. 72).*

VII.

S. Congregatio de Sacramentis, d. 11 februarii 1915, de speciali auctoritate Ss.mi D. N. Benedicti Pp. XV, declarat et statuit, praesentis belli circumstantiis perdurantibus :

« 1°. Milites ad praelium vocatos *(i soldati sul fronte)* admitti posse, *servatis servandis,* ad S. Mensam Eucharisticam per modum viatici.

« 2°. Sacerdotes militiae adscriptos, qui militibus sauciis infirmisve deferendis vel curandis destinati sunt (vulgo *lecticarios* vel *infirmarios*), si in Ecclesiis Missam celebrare nequeant, in quocumque loco, decenti tamen et tuto, et etiam sub dio, Sacrum litare posse, remoto quovis irreverentiae periculo: eos vero qui armis dimicant, Missam eodem modo, iisdemque sub conditionibus celebrare posse, at Dominicis tantum et diebus festis de praecepto, dummodo omnes praedicti Sacerdotes nullo alio canonico impedimento irretiti sint.

«Contrariis quibuscumque minime obstantibus».
(V. Acta Apost. Sedis, *VII, pag. 97).*

VIII.

S. Poenitentiaria Apostolica ad dubium: «An Sacerdotes qui, quovis titulo ad exercitum pertineant, possint, durante bello, dum exercitum comitantur, uti facultatibus omnibus, quibus ex decreto S. Poenitentiariae, dato die 18 decembris 1914 fruuntur Capellani militum?». — *Resp.* die 11 martii 1915, annuente Ss.mo: «Affirmative, dummodo Sacerdotes, de quibus agitur, vel a proprio vel ab alio Ordinario confessiones fidelium excipiendi facultatem acceperint, quae positive revocata non fuerit.
«Contrariis quibuscumque non obstantibus».
(V. Acta Apost. Sedis, *VII, pag. 130).*

IX.

S. R. Congregatio, d. 15 aprilis 1915, «benigne concessit, ut, hoc bello durante, Capellani militum in castris vel in captivitate detenti, necnon eorum coadiutores, aliique Sacerdotes praelio dimicantes, legere rite possint in Dominicis et Festis Domini, eorumque Octavis, Missam *de Ss.ma Trinitate,* in aliis vero Festis duplicibus I vel II classis Missam *de S. Maria a Pentecoste ad Adventum,* additaque Oratione tempore belli; reliquis autem diebus praefati Capellani et Sacerdotes celebrare valeant enuntiatam Missam *de B. Maria Virgine* cum Oratione tempore belli, vel Missam *tempore belli* cum Oratione de B. Maria Virgine, vel

Missam de Requie. Contrariis non obstantibus quibuscumque ».

(V. Acta Apost. Sedis, *VII, pag. 265*).

X.

S. Poenitentiaria, d. 25 maii 1915, « de speciali et expressa apostolica auctoritate, indulget, ut Sacerdotes omnes, qui quovis titulo ad exercitum pertinent, dummodo a proprio vel ab alio Ordinario confessiones fidelium excipiendi facultatem acceperint, quae positive revocata non fuerit, possint, durante bello, excipere Confessiones sacramentales omnium, qui in exercitu militent, vel ad exercitum quovis modo sint addicti, eosque absolvere, iniunctis de iure iniungendi, nulla facta exceptione, ab omnibus censuris etiam speciali modo R. Pontifici reservatis, vel reservatis locorum Ordinariis.

« Ceterum S. Poenitentiaria declarat una simul cum praesenti decreto in vigore manere, quae, occasione belli, ab eodem S. Tribunali alias edita sunt. Contrariis quibuscumque non obstantibus ».

(V. Acta Apost. Sedis, *VII, pag. 281).*

S. CONGREGATIO CONSISTORIALIS

DECRETUM

De Ordinario Castrensi in Italia durante bello.

Rectus ordo et iusta ecclesiasticae disciplinae ratio postulant, ut quod in plerisque aliis regnis et

civitatibus factum est, in Italia quoque obtineat, et sacerdotibus qui magno numero militibus in praesenti bello terra marique dimicantibus adsistunt, Antistes aliquis seu Ordinarius donetur a quo spiritualiter pendeant.

Quam ob causam Ss.mus D. N. Benedictus Pp. XV eligendum censuit, et hoc Consistoriali decreto eligit Rev.mum Angelum Bortolomasi E.pum Derbensem et E.mi Archiepis. Taurinensis Auxiliarem: eumque cum dispensatione ab obligationibus quibus qua Auxiliaris Episcopus tenetur, durante novo munere, Ordinarium proprium constituit clericorum et sacerdotum omnium sive saecularis sive religiosi ordinis, qui in praelio aut in castris aut in castrorum hospitalibus seu in navibus hoc bello perdurante operam suam praestant, ut sacramenta et spiritualia subsidia militibus administrent.

Hi itaque omnes, cuiuscumque ordinis sint, dum militibus deserviunt, cessante quolibet privilegio vel exemptione, memorato Antistiti qua Ordinario proprio in exercitio munerum sacerdotalium parebunt. Facultates quas Apostolica Sedes ipsis nuperrime tribuit, nonnisi subordinate et dependenter ab eo exercere poterunt.

Ab eo pariter, non vero ab aliis, si quae dubia in sacro ministerio exercendo occurrant, consilia et directionem postulabunt.

Ad hunc finem Summus Pontifex praefato Antistiti facultates omnes necessarias et opportunas hoc ipso consistoriali decreto tribuit et largitur.

Eius itaque erit, initis cum auctoritate militari

consiliis, sacerdotes approbare qui sacrum ministerium penes militares copias sive terrestres sive maritimas exerceant, auditis tamen prius ipsorum Ordinariis, ut cognoscere valeant an tanto muneri exercendo sint pares: et eius pariter erit facultates eisdem tribuere, et data iusta causa, cum militaris auctoritatis consensu pro sua conscientia ab officio eos amovere vel a sacris interdicere, appellatione quacumque remota et monitis in singulis casibus propriis singulorum Ordinariis.

Denique cum per se et immediate R.mus hic Ordinarius omnibus postulationibus satisfacere forte non valeat, conceditur ut unum vel plures sacerdotes suos Vicarios seu Delegatos nominare valeat, cum facultatibus necessariis, ut in aliqua dissita militum statione vel in classi eius locum teneant, et urgentibus necessitatibus congrue provideant.

Praesentibus valituris contrariis quibuscumque non obstantibus.

Romae, die 1 iunii 1915.

† C. Card. DE LAI, Episc. Sabinen., *Secretarius*.

L. ✠ S.

† Fr. Thomas Boggiani, Archiep. Edessen., *Adsessor*.

Expositio Rubricarum.

III.

Reformatio Breviarii Romani necessarii erat.

(Continuatio. V. num. 5 curr. anni, pagg. 279-283)

Uti innuimus in praefatione huiusce libelli nostri, Breviarium romanum, a S. Pio V restitutum, non paucis laudibus acceptum fuit, et testante Bäumer *(Hist. Brév. Rom., II, 211)* in eo invenitur ordo quotidiani officii in multis simplificatus: psalterium per hebdomadam integre servatum: lectio sacrae Scripturae melius disposita et fere quotidiana reddita: delectus lectionum et homiliarum optimus et felix.

Attamen bona huiusmodi, quae clero promanabant ex Breviario Piano, *de iure* usque ad tempora nostra perseveraverunt, nam Rubricae generales intactae manserunt, *de facto* vero commoda, quae ab eis erant expectanda, non amplius obtineri poterant.

Causa praecipua fuit; 1° ingens illa festorum coacervatio quae, uti supra innuimus, post S. Pium V concessa sunt, 2° facultas transferendi festa impedita etiam semiduplicia, ita ut fere quotidie psalmi de Communibus recitari deberent; 3° denique indultum generale pro officiis votivis, quod omnino prohibuit, quominus psalmi feriales umquam legi possent (1).

(1) Cardinalis Parocchi, nobis de hoc indulto disserens, candide declaravit, quod proxima erat aliqua Breviarii emendatio, nam, si ex una parte votivorum concessio officiorum necessaria visa fuit, ne onus cleri augeretur, ex altera tamen antiquae traditioni et Ecclesiae desiderio omnino conformis non erat.

De huiusmodi psalterii iactura, iam saeculis xvij et xviij conquesti sunt viri liturgici cum Gavanto; licet tunc minor esset numerus festorum, et ignotum Indultum generale de officiis votivis. Guyet, qui anno 1658 opus suum percelebre edidit (*Heortologia*, I, 1, 19), ad rem, inter damna ab huiusmodi congesta multitudine, « quae multa resecat ac perimit, multa loco suo movet, ac laxata late vagari cogit, multa denique permiscet, confundit et interpellat », notat praecipue psalterii in hebdomada impeditam recitationem, Dominicarum per annum officium interemptum, magnam inter se officiorum altercationem, et inopportunam translationem, Responsoriorum denique de tempore obtruncationem.

Et citans postea, ex antiquis, Radulphum Tungrensem, et Gersonem, concludit: « Ut hinc videas, quanta esset priscis temporibus ferialis officii reverentia, quantaque aversio ab illius decoctione, cui tam multi hodie liberali nimis impensoque studio favent ».

Quibus damnis addendus est etiam neglectus lectionis sacrae Scripturae, nec non missarum de feriis Quadragesimae.

Ut vero iuxta gravitatem huiusmodi damnorum in divinis officiis luculentius agamus, de singulis ordinatim pertractabimus; sit ergo:

A) *Integri psalterii in hebdomada recitatio impedita.*

Tanta fuit erga psalmorum librum reverentia in utraque Ecclesia, ut antiquitus nemo ad Episcopatum promoveri posset, nisi integrum psalterium memoria teneret. Unde s. Gregorius in Epistola ad Andream scholasticum (Ep. lib. V, n. 48, Migne LXXVII. c. 777) aperte declarat: « Sed

---

Prophetane fuit sapientissimus Vir? Procul dubio fuit; et cum eo nonnulli scriptores (Cf. nostras Praelect. Liturg., anno 1909 editas, pag. 109), qui adhuc in Breviario videntes iacere neglectos ac contemptos psalmos, hymnos ac responsoria ferialia, nec non lectiones de Scriptura, et in missali Dominicarum et Quadragesimae pulcherrimas missas, aiebant: *Ut quid terram occupant?*

nec Ioannem presbyterum, psalmorum nescium, praesumpsimus ordinare ».

Toletanum etiam Concilium anno 656 coactum (Harduin. III, col. 978) habet: « Sollicite constituitur atque decernitur, ut nullus cuiuscumque dignitatis ecclesiastieae deinceps percipiat gradum, qui non totum psalterium, vel canticorum usualium et hymnorum perfecte noverit ». Idem decrevit Nicaena Synodus oecumenica II, anno 787 coacta. (Mansi XIII, col. 158, actie 5). Martène quoque (Ant. Eccl. Rit., I, viij), idem testatur; imo etiam moniales ex s. Hieronymo, ipse dicit, psalmos nescire permissum non fuisse (IV, vj. 4).

Lex autem totum persolvendi psalterium in spatio unius hebdomadae vetustissima est; nam, ut legitur in Regula s. Benedicti (I, c. 18), « quocumque modo distribuantur psalmi, omnimodis id attendatur, ut omni hebdomada psalterium ex integro numero 150 psalmorum psallatur »: et in antiquis breviariis, etiam in illo peculiariter contracto pro Curia Romana, ineunte saeculo xiij, lex ista semper servata fuit. Grancolas (Comm. hist. Brev. rom. I, c. 29 in fine) citat canonem concilii Rhemensis anno 1560 celebrati, in quo legitur: « A primaeva Brèviarii institutione, id antiqui patres voluisse videntur, ut singulis hebdomadis totum psalterium psallatur » (1).

Huiusmodi ergo sacrata lex negligi non poterat, quando, Pius v Breviarii romani correctionem incepit; hinc est propterea, quod hodie quoque, iuxta rubricas eiusdem Breviarii. *de iure* in unaquaque hebdomada integrum psalterium reci-

---

(1) Videant ergo, qui psalterium dividi cupiebant ita ut integre persolveretur duabus septimanis, quomodo huiusmodi propositio convenire posset cum antiquissima romana traditione. Quod cum tali divisione officium brevius evasisset, ultro concedimus; attamen *ne quid nimis* hac de re agendum erat; censores facile inveniuntur contra Breviarii reformationem, multi vero ex iis quamlibet reformationem acceptare parati erant, dummodo brevitas praecipue induceretur!!

tari deberet, *de facto* tamen accidit, ut, rarissime fiat officium de feria (1).

Dom. Ildefonsus Guépin O. S. B. (*De Brev. Mon. ratione et emendatione*, 1908 p. 18): « Hodie feriales psalmi rarissime occurrunt, dum frequentissime psalmos repetimus circiter triginta, quibus constat commune Sanctorum, ceteri autem ferme omnes ignoti, ut ita dicam, remanent. Omnes tamen pro utilitate nostra inspiravit Spiritus Sanctus, ut nobis offerret formam orationibus nostris adaequatam, simulque medium, ut Deo tributum adorationis nostrae, laudis et gratiarum actionis solveremus. Ita fit, ut aetate nostra, extra mentem Patris nostri s. Benedicti, veterumque Patrum praxim, fere semper maneamus (2) ».

---

(1) Optime scripsit Aniciensis Episcopus Isoard (*Le saint Bréviaire et son avenir*, 1900, pag. 8) : « . . . Pour le plus grand nombre des bons prêtres, le Bréviaire n'est pas la forme de prières qui tient lieu de toutes les autres : ils sont en quête d'autres formules, d'autres moyens de communication de la grâce. Quelle est la raison de ce singulier état d'âme ? Elle est toute dans la distribution actuelle des Psaumes entre les jours de la semaine (Hic loquitur non de distributione *iuris*, sed *facti*). Cette distribution est telle, en fait, que des cent cinquante chants, dont se compose le Psautier, il n'en est à peu près qu' une vingtaine, qui soient habituellement récités ; la plupart ne réapparaissent qu'à longs intervalles ». Ac inferius (pag. 20) scribit : « A l'occasion de la présence â Rome d'un grand nombre d' Evêques, Pie IX les fit interroger sur les améliorations qu'il désiraient voir introduire dans le Bréviaire ; ils répondirent : « La récitation plus fréquente de touts les Psaumes ».

(2) Cl. Grospellier in suo opusculo (L'état actuel des livres liturgiques ; 1911, pag. 10), notat, quod in calendario pro clero romano anni 1902 inscripta habebantur 67 festa confessorum pontificum, 58 confessorum non pontificum, et 42 unius martyris, et 17 Dominicae. Itaque, eo anno clerus romanus recitavit psalmum 4 *Cum invocarem* 532 vicibus, nempe 365, quia quotidie dicitur ad Completorium et 167 in communibus. Ps. 30, 62, 66, 90, 133, 148, 149 et 150, vicib. 365 - Ps. 94, vicib. 362. - Ps. 109, vicib. 325

Inter postulata, circa Breviarium, a nonnullis Patribus in Vaticano Concilio exhibita (Cf. Martin, *Conc. Vat. document. Collectio*, Paderbornae, 1873, p. 188), hoc quoque legitur, a nonnullis Episcopis exhibitum: « Ut quantum fieri potest, ordinarie recitetur totum psalterium in hebdomada, et brevius sit officium iis diebus, quibus parochi et confessarii muneris sui officiis diutius detinentur, prout sunt vigiliae festorum, sabbata, Dominicae praesertim Adventus et Quadragesimae ».

Alii... « ut praecipue psalterium eo ordine digereretur, quo pluries quotannis recitari integre posset, quum in praesentiarum maxima pars psalmorum vix aut ne vix quidem in officii recitatione recurreret ».

Querimoniis ergo et votis tot virorum, qui in studiis antiquarum Ecclesiae traditionum insignes fuerunt, iam expositis, duobus abhinc saeculis, omnino satis fieri oportebat; et Pius x, qui in omnibus actis suis maximum acumen iudicii practici demonstravit, intra se procul dubio loqui debuit: Ad quid in Breviario extant omnes psalmi, si clerus illos numquam recitare potest? Ut quid terram occupant? Iam inde ab annis biscentum eduntur omnes psalmi per hebdomadam distributi, qui de facto recitari nequeunt: nonne melius erit aliam inducere distributionem psalmorum, antiquam immutando, cum ista, licet veneranda, hodie in Breviario non iaceat, nisi ut paginas occupet inutiliter?

Opportunissima igitur atque necessaria fuit omnino nova distributio psalmorum in divino officio, ut revera ipsi possent in termino unius hebdomadae ab omnibus recitari.

– Ps. 110, 111, 112, vicib. 284 – Ps. 116, vicib. 247 – Ps. 1, 2, 3, vicib. 187 – Ps. 5, 8, vicib. 174 – Ps. 14, 20, vicib. 167 – Ps. 23, vicib. 125 – Ps. 10, vicib. 28; e contra Ps. 114, 119, 120, 122, 123, 124, 128, 130, 132, 134, 135, 139, 143, 144, 145, 146, una tantum vice in toto anno 1902, psalmi vero 41, 100, 104, 105, 106, 108 et 136 numquam eo anno recitari potuerunt. Ex reliquis hic non recensitis psalmis, aliqui raro, aliqui rarissime recitati sunt.

Thomasius, in sua excellenti praefatione in *Responsorialia* Romanae Ecclesiae (Op. omn., edit. Vezzosi, 1747, t. 4, p. 3), docet, antiquissimum esse eiusmodi Responsoriorum usum in Ecclesia romana, quem postea acceperunt ecclesiae Galliarum et Hispaniarum.

Responsoria, quae in Breviario habentur, duabus partibus constant, et ita inveniuntur composita iam a saeculo x. Prior pars, quae sigla ℟ signatur, illa est, quae proprie *Responsorium* dicitur; secunda, quae sigla ℣ notatur, *Versus* appellatur. Prima pars rursus in duas frangitur, et fractio signatur cum asterisco *, quia inde repetitur ultima sectio responsorii.

Helisarchius pius sacerdos, qui fuerat Ludovici I imperatoris a secretis, responsoria correxit ac reformavit, ut ex Amalario docet Bäumer (ibid.).

Cum autem opus correctionis ab Helisarchio coeptum, et ab Amalario propugnatum, e Galliarum finibus exiisset, etiam Romae Responsoria sic emendata accepta paulatim fuere, ideoque et modus repetendi, non totum Responsorium, sed secundam eius partem, iuxta morem gallicanum, communis evasit etiam in ritu romano. Responsoriale basilicae S. Petri saeculi XII a beato card. Thomasio publicatum, hoc clarissime demonstrat; idcirco saeculis X, XI ac XII, antiqua Responsoria latinae ecclesiae, quae partem pulchriorem et elegantiorem constituunt totius officii (1), hanc maximam et

(1) Cl. Episcopus Marbach (Carmina Scripturarum Introd. i) summopere exaltat Responsoria Breviarii romani, quorum nonnulla aemulantur meliora Graecorum cantica, et ad rem scribit : « La forme de nos Répons est due à une reminiscence de certains chœurs d'Eschyle... Peut-être y a-t-il même plus qu'une réminiscence de la forme, dans le rapport que l'on peut remarquer entre le commencement du premier *Aspiciens a longe* du premier dimanche de l'Avent, et le chant suivant du chœur de la tragédie des Perses. Consterné par la nouvelle de la défaite de Xerses, le chœur évoque en ces termes l'ombre du roi défunt Darius, afin de lui demander conseil : " O roi, ô notre antique monarque ! viens, parais sur le

B) *Lectio sacrae Scripturae per hebdomadas occurrentis prope interempta.*

Quam maximi sit ponderis ac momenti pro fidelibus, et praecipue pro Clero, sacrorum Bibliorum lectio, nemo est qui ignorat, ideoque usus eius in divinis officiis celebrandis antiquissimus est; apud hebraeos in templo, et in synagogis simul cum psalmodia, legebatur aliquid de sacra Scriptura.

Iuxta Sabatier (*La Didachè,* Paris, 1885, p. 94), Esdras ipse divinos libros in distinctas lectiones diviserat pro diebus hebdomadae, nec non pro variis festivitatibus. Bäumer (t. 1, p. 380) notat, in libro dicto *Mischnach Megilla* haberi fragmenta lectionum ex Pentateucho excerptarum, pro diebus festis praecipuis, atque pro festo dicto *Purim* ex Exodo et ex libro Esther.

Temporibus item, quibus in humanis fuit D. N. Iesus Christus, lectionibus ex Pentateucho addebantur lectiones ex *Hapthara,* scilicet ex Prophetis (cf. Glaire, *Introd.* 1861, t. 1, p. 401). Itaque in Evangelio s. Lucae (IV, 15-20) habetur, quod Redemptor noster, Nazareth veniens, intravit « secundum consuetudinem suam die Sabbati in synagogam et surrexit legere. Et traditus est illi liber Isaiae Prophetae. Et revolvit librum, invenit locum ubi scriptum est », etc. Iuxta quod divinum exemplar, primitiva ecclesia statim coepit in suis liturgicis conventibus usum sacrae lectionis inducere, et Apostoli non solum, hebraicam consuetudinem sectantes, et ipsi in synagogis lectiones antiqui testamenti interpretabantur (cf. *Act.* XIII, 15, et XV, 21), sed et lectiones ex novo induxerunt (cf. *Coloss.* IV, 16, et IV, 16, et I. *Thessal.* V, 27). Cl. Probst (*Liturgie der ersten christlichen Jahrhunderte,* Tubingae, 1879, p. 88), ex s. Ignatio antiocheno, ex s. Iustino martyre et ex *Epistola Diogneti,* probat, legem fuisse apud Christianos in II et III saeculo incipiendi conventus cum lectione ex antiquo testamento, nec non et ex Evangeliis et saepe ex epistolis Apostolorum. Item in *Constitutionibus Apostolicis* (apud Migne, *P. G.*, I, p. 1138) legitur:

« Congregamini, lectionem librorum sacrorum facientes, atque psallentes ». Quod, ut bene notat Bäumer (l. c.), praesertim pro usu Ecclesiae romanae intelligi debet, nam idem habetur in *Canones s. Hippolyti* (Ed. Haneberg, 1870), qui pro Ecclesiis Romana et Portuensi conscripti fuere a b. Hippolyto martyre.

In concilio Laodiceno (circiter an. 343-381) canon legitur 17: « Quod in conventu fidelium nequaquam psalmos continuare conveniat, sed per intervallum, idest per psalmos singulos, recenseri debeant lectiones » ; licet vero id videatur praeceptum pro missa, ut ait Bäumer (I, p. 123), nihilominus iam valet pro indicanda institutione liturgicarum lectionum.

Sequentibus autem saeculis IV, V et VI, paulatim leges circa lectiones liturgicas tam in missa, quam in officio divino redactae fuerunt; ita ut per hebdomadam duae lectiones haberentur, una ex antiquo, altera e novo Testamento; sabbato vero et dominica ambae erant ex novo, nempe prima ex Paulinis epistolis, secunda ex Evangeliis, ut ex Cassiano et s. Augustino tradit Bäumer. In regula autem s. Benedicti (c. IX) primas habemus distinctas regulas pro lectionibus in divino officio. Ad rem autem idem Bäumer (l. c.) contra Batiffol (p. 93) ait, quod inadmissibilis hodie sit sententia illorum, qui docent, ante s. Gregorium I non fuisse praescriptam aliquam lectionem in horis canonicis ex sacra Scriptura.

Hinc est quod in Breviario romano, singulis diebus per annum, ponuntur tres lectiones de sacra Scriptura, Rubricae vero, licet in solemnioribus festis legi iubeant lectiones vel proprias vel appropriatas de Scriptura, per hebdomadas tamen ordinatim disponunt lectiones de fere omnibus libris Scripturarum.

Iuxta vero easdem rubricas generales Breviarii a Clemente viij recognitas anno 1602, quae usque ad nos pervenerunt, omittendae erant lectiones de Scriptura occurrenti, quoties celebrabatur aliquod duplex 1 vel 2 classis, vel

duplex maius, vel festum doctoris Ecclesiae latinae. Cum vero antiquitus pauca essent festa Sanctorum ritu solemni celebrata, raro deserendae erant lectiones Scripturae occurrentis, et sic revera lex Rubricae servabatur.

Progressu vero temporis, prout supra dictum est, maxime in multis particularibus calendariis (1), duplicia classica et maiora plus aequo excreverunt, et etiam festa Doctorum, in quibus lectiones I Nocturni propriae vel de Communi dicendae erant; ideoque, omnibus apparet, quam grave damnum lectioni Scripturae in divino officio obveniret; centies milliesque repetitae erant nonnullae lectiones de communibus, ac prope oblitae manebant lectiones in feriis per annum distributae.

Ut tantum damnum in posterum evitaretur, Summus Pontifex sapientissime per novissimae Rubricae dispositionem statuit, ut semper in I Nocturno dicantur lectiones de Scriptura occurrenti in quibuslibet festis Sanctorum, etiam ritus duplicis maioris, et excepta tantum voluit festa Domini, et alia nonnulla.

Igitur ex novis Rubricis quotidie legi debent lectiones occurrentis Scripturae *...nisi sit festum Domini aut festum cuiusvis ritus B. Mariae Virginit; vel Angelorum, vel S. Ioannis Baptistae, vel S. Ioseph, vel Apostolorum, aut duplex I vel II classis.* In festis Domini leguntur speciales lectiones scri-

(1) In Breviario Ordinis Minorum anno 1910 sequentia festa habebantur universalia et propria, quae impedire poterant lectionem de Scriptura occurrenti: duplicia 1 classis 17, duplicia 2 cl. 57, duplicia maiora 62, alia festa cum lectionibus propriis de Scriptura 19, in totum 155. Cum autem habeantur in Breviario romano dies 71, qui non possunt habere lectiones de Scriptura occurrenti, si ex 365 anni diebus detrahas praedictos dies 71, remanent dies 294, cum scriptura occurrenti. Quia vero Fratres Minores habebant 155 festa cum lectionibus scripturalibus propriis vel de Communi, clare patet, quod ipsi solummodo diebus 139 per annum de Scriptura occurrenti legere poterant; imo praedictus numerus aliquando minuebatur, ob traslationen accidentalem alicuius ex festis cum propriis lectionibus !!!

pturales, eo quod de mysteriis vitae et passionis Domini, ac de eius doctrina, aperte loquuntur Scripturae, tam veteris, quam novi Testamenti, ideoque apte pro qualibet festivitate inveniri possunt lectiones, quae revera sunt propriae.

Item excepta fuerunt festa B. Mariae V., Angelorum, S. Ioannis Baptistae, S. Ioseph et Apostolorum, eadem fere de causa; quia, licet de B. Maria non multa legantur in Scriptura, nihilominus ei applicatae fuerunt aliquot prophetiae et libri sapientiales; de Angelis vero, de Baptista, ac de Apostolis, habentur revera narrationes, quae opportune legi possunt in eorum festis. Excipiuntur pariter duplicia I et II classis, ratione solemnitatis, et quamquam de eis nihil explicite habeatur in sacra Scriptura, attamen nonnulla in ea leguntur in laudem Sanctorum antiqui Testamenti, quae apprime aptantur, et ideo bene possunt legi in festis solemnioribus,

Similiter nova Rubrica dispensat a lectione Scripturae occurrentis quando *agatur de festo, quod vel lectiones habeat proprias, non vero de Communi.* Quibus verbis excipiuntur festa illa, quae in Breviario habent lectiones *proprias,* non vero de Communi, uti sunt ex. gr. Inventio S. Stephani, in qua habentur lectiones vere propriae, nempe de Actibus Apostolorum, in quibus agitur explicite de eo; item festum S. Leonis I papae, S. Mariae Magdalenae, Impressionis stigmatum S. Francisci, et festum S. Ioseph a Cupertino, pro quibus Breviarium proponit lectiones, quae licet *propriae* non sint, illis tamen ab Ecclesiae appropriatae fuerunt, et non sunt a respectivo Communi excerptae.

c) *Responsoria de tempore prorsus neglecta.*

Responsorium vox est omnino ecclesiastica, quae in genuinae latinitatis lexicis desideratur, licet a latina lingua derivata.

Bäumer (I, p. 172) citat Constitutiones apostolicas (l. 2, c. 57), in quibus iam nominantur *Responsa* et *Responsoria,* quae tamen tunc erant ad instar antiphonarum. B. card.

Thomasius, in sua excellenti praefatione in *Responsorialia* Romanae Ecclesiae (Op. omn., edit. Vezzosi, 1747, t. 4, p. 3), docet, antiquissimum esse eiusmodi Responsoriorum usum in Ecclesia romana, quem postea acceperunt ecclesiae Galliarum et Hispaniarum.

Responsoria, quae in Breviario habentur, duabus partibus constant, et ita inveniuntur composita iam a saeculo x. Prior pars, quae sigla ℟ signatur, illa est, quae proprie *Responsorium* dicitur; secunda, quae sigla ℣ notatur, *Versus* appellatur. Prima pars rursus in duas frangitur, et fractio signatur cum asterisco *, quia inde repetitur ultima sectio responsorii.

Helisarchius pius sacerdos, qui fuerat Ludovici I imperatoris a secretis, responsoria correxit ac reformavit, ut ex Amalario docet Bäumer (ibid.).

Cum autem opus correctionis ab Helisarchio coeptum, et ab Amalario propugnatum, e Galliarum finibus exiisset, etiam Romae Responsoria sic emendata accepta paulatim fuere, ideoque et modus repetendi, non totum Responsorium, sed secundam eius partem, iuxta morem gallicanum, communis evasit etiam in ritu romano. Responsoriale basilicae S. Petri saeculi xii a beato card. Thomasio publicatum, hoc clarissime demonstrat; idcirco saeculis x, xi ac xii, antiqua Responsoria latinae ecclesiae, quae partem pulchriorem et elegantiorem constituunt totius officii (1), hanc maximam et

(1) Cl. Episcopus Marbach (Carmina Scripturarum Introd. i) summopere exaltat Responsoria Breviarii romani, quorum nonnulla aemulantur meliora Graecorum cantica, et ad rem scribit: « La forme de nos Répons est due à une reminiscence de certains chœurs d'Eschyle... Peut-être y a-t-il même plus qu'une réminiscence de la forme, dans le rapport que l'on peut remarquer entre le commencement du premier *Aspiciens a longe* du premier dimanche de l'Avent, et le chant suivant du chœur de la tragédie des Perses. Consterné par la nouvelle de la défaite de Xerses, le chœur évoque en ces termes l'ombre du roi défunt Darius, afin de lui demander conseil: " O roi, ô notre antique monarque ! viens, parais sur le

omnium praestantissimam correctionem acceperunt, prout iacet in romano Breviario.

Itaque statim ac prodiit bulla « Divino afflatu » propusuerant aliqui, ut restituto usu quotidie recitandi Lectiones de Scriptura occurrenti, denuo etiam in pristino et antiquo honore restitueruntur Responsoria de Tempore, quae ut diximus, ab omnibus Liturgistis, tamquam elegantior pars totius divini officii, existimantur. Et sane, ut de aliis taceamus, en quae scribit Grancolas (*Comment. histor. in Rom. Brev. lib. I. c. 30*): « Responsoria vero optandum esset, ut cum Lectionibus affinitatem haberent, qualia sunt Responsoria Dominicae et Feriarum, quae petita sunt ex Libris paulo ante perlectis; Lectionum enim Responsoria instituta sunt, ut quiescendi spatium legenti concedatur, et ei, qui lecturus est, se parandi, etque ad auditorum attentionem conciliandam, spatiumque iis concedendum, quae lecta sunt, considerandi atque meditandi ».

« Saepe autem fit, ut quotidianae e Scriptura Lectiones nullam affinitatem habeant, cum Responsoriis de Communi Sanctorum; imo sunt quaedam, quae ex adverso appositas significationes habent ».

Concludit ergo opportunissime: « Possent propterea festis diebus, cum de feria lectum est, de feria quoque responsoria, adiici ». Sicque, ut nos ipsi in nostris *Praelect. liturg.* (p. 112) iam ab anno 1909 scripsimus « pulcherrima illla Responsoria, quae in proprio Tempore sunt, a clericis

---

sommet de ce tombeau; que ton pied se lève chaussé du brodequin teint de safran; que la tiare royale montre à nos yeux! ,,

« " Viens apprendre nos récents malheurs, des malheurs inouïs, maître des maîtres, parais. Un nuage de Styx nous enveloppe de ses ténèbres; car la jeunesse de Perse a péri toute entière! ,,

« " Viens, ô notre père, généreux Darius, viens! ,,

« Voici maintenant le commencement du Répons *Aspiciens:*

« *Aspiciens a longe, ecce video Dei potentiam venientem et nebulam totam terram tegentem; ite obviam ei,* etc. Ces premières lignes ne sont pas de l'Ecriture sainte ».

recitarentur, cum non modica aedificatione, dum e contrario, repetendo quotidie centies et millies Responsoria de communi, perpetuo in oblivione manent Responsoria ferialia, quae inaniter nunc in Breviario eduntur!! »

Tanta enim erat antiquitus, erga Responsoria de Tempore religio, ut dominicae, in quibus Responsoria dicenda erant ex novo libro sacrae Scripturae, perinde haberentur atque dominicae Adventus et Quadragesimae, translatis videlicet festis, quae in iis occurrebant, ut de festo S. Matthaei observat Rodulphus (prop. 16) ad finem. Quia, ut addit Guyetus (l. 4, c. 17, q. 5), Breviarium ipsum romanum, ante recognitionem Clementis VIII, praecipiebat officium fieri de feria, supresso festo simplici, vel S. Mariae in Sabbato omnino, potiusquam omittere Responsoria de feria.

Nunc ergo tot vota sapientium virorum exaudita sunt, nam occasione arrepta de typica editione Breviarii iuxta bullam « Divino afflatu » facienda, Pius X voluit ut singulis diebus per extensum ederentur Responsoria de Tempore: sicque, amotis difficultatibus quae supra attulimus, clerus facillime ac peroptime quotidie nunc recitare potest Responsoria ferialia, quae duobus ante annis, numquam recitari poterant.

(*Continuabitur*).

P. Piacenza.

Acta Academiae Liturgicae Romanae.

Die 3 martii 1915, apud ecclesiam Ss. Trinitatis et S. Apollinaris Congreg. Missionis, habitus est conventus academicus, in quo Rev. Vincentius Arunna *Ordinis Minimorum, quaestionem enodavit:*

De Missa applicanda in die Commemorationis Omnium Defunctorum.

Post Censorum animadversiones, R. P. Vincentius Egidi, *e Congr. Miss. a S. C. Iesu, epitomen resolutionum fecit, ac postea unus ex Presbyteris Congr. Missionis pium sermonem habuit.*

VI.

Sabinus parochus, iuxta usum perantiquum suae ecclesiae, die 2 novembris, summo mane, toto adstante suo populo, cantat cum eo officium defunctorum, et postea missam solemnem. Accidit autem, elapso anno, quod ea ipsa die, funus solemne celebrari debuerit praesente cadavere, in quo aliud officium decantavit. Quia vero in sua ecclesia non habebatur nisi missa ipsius Sabini parochi, dubitavit an missam applicare debuisset pro omnibus defunctis, an pro defuncto cuius funus celebratum est, maxime quod non amplius invenitur relativa dispositio in decreto *Labacen.* diei 28 aprilis 1902. Quaerit ergo:

1. Utrum parochi debeant applicare missam pro omnibus defunctis, cum die 2 novembris officium cum populo decantant?

2. An in casu, quo ipsa die occurrat depositio alicuius defuncti, liceat pro eo officium decantare et missam celebrare; et quid ad rem disposuerit S. Rituum Congregatio?

3. Quid faciendum, si una tantum missa habeatur eo die in ecclesia parochiali?

Solutio.

Ad I. Quamquam Ecclesia Christi sollicita sit ut animae fidelium defunctorum precibus suis et sacrificiis subleventur, nihilominus parochis numquam praeceptum generale dedit, ut pro ipsis die 2 novembris missam applicent, absque eleemosyna, prouti faciunt *pro populo* diebus festis.

S. R. C. suo decreto 1275 (4 aug. 1663) declaravit quod sacerdotes omnes celebrantes missam die 2 novembris non debent exclusive applicare sacrificium pro omnibus defunctis, sed applicatio est *ad libitum*.

Ad rem Em.mus Gasparri (Tract. can. Ss. Eucharist. I, 338 not. 2) ait: « Quidam putaverunt omnes sacerdotes in die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum, teneri ad missae applicationem pro omnibus defunctis, in genere: sed immerito, licet enim haec praxis sit valde laudabilis, tamen proprie dicta obligatio non adest », et citat idem decretum n. 1275. Quod congruit cum doctrina S. Alfonsi (Theol. Mor. VI, 338).

Idem dicendum est de parochis, quibus, licet impositum sit onus applicandi missas pro populo singulis diebus festis, numquam tamen inter dies istas recensita fuit Commemoratio Oo. defunctorum.

Hinc est quod pluribus in locis invecta sit consuetudo collocandi capsam mummolariam in ecclesia, die 2 novembris, in quam fideles deponunt eleemosynas pro celebrando officio cum missa pro omnibus fidelibus defunctis in genere, vel pro defunctis illius paraecia. Congregatio Concilii interrogata circa consuetudinem vigentem in quadam dioecesi, unicam missam canendi post officium, in dicta die, pro tota pecunia a fidelibus oblata, respondit: « Nihil innovetur, tantum apponatur tabella in ecclesia, qua fideles doceantur, quod illis ipsis eleemosynis unica canitur missa » (30 iulii 1877, Collect. S. Congr. de Prop. Fide. II, n, 3476).

Attamen, si alicubi vel ex probata consuetudine, vel ex praecepto Synodali, parochi applicare debeant missam pro

defunctis suae paroeciae in die Commemorationis omnium defunctorum, ubi viget, inquimus, mos iste, tunc ibi procul dubio parochi tenentur ad huiusmodi applicationem, neque possunt ea die eleemosynam accipere, prout non accipiunt diebus festis.

In casu autem nostro, quaesitum magis determinatur, quia Sabinus parochus, « iuxta usum perantiquum suae ecclesiae, toto adstante populo, cantat cum eo officium defunctorum, et postea missam solemnem », videtur ergo quod praesentia totius populi ad cantum officii et missae huiusmodi, exigat etiam applicationem ipsius missae, secus deficeret nobilior pars suffragii, nempe applicatio sacrificii.

In casu ergo, parochus Sabinus quaerat quid agebatur a suis antecessoribus, et si ipsi ea die applicabant missam, quod esset magis consonum menti Ecclesiae, et desiderio fidelium, tunc et ipse applicet, quin exquirat eleemosynam:

Ad II. Procul dubio, die 2 novembris licet officium et missam decantare pro aliquo defuncto, et ad rem S. R. C. (Decr. 893,3 -1788 1- et 3864 5), declaravit: In Commemorationis Oo. Fid. Defunctorum die, si cadaver sit tumulandum, cani debet missa ut in die obitus, praeter aliam pro omnibus defunctis: missae vero privatae omnes dici debent de Commemoratione Oo. defunctorum. Igitur nisi, ut in casu nostro, unicus esset sacerdos, binae missae in ecclesia Sabini decantandae forent, una pro omnibus, et una pro defuncto qui sit tumulandus.

Missa pro omnibus defunctis, quia (salva applicatione ut supra) praeceptum generale est, pro ea die 2 novembris; *missa pro defuncto particulari,* cuius aguntur exequiae, quia praeceptum est Ritualis Rom. Hoc enim (VI, iij 1-6-18), quamvis videatur imponere obligationem quamdam dicendi in exequiis officium defunctorum, a quo excipit tantum temporis angustiam vel aliam necessitatem, eius tamen verba communiter ita intelliguntur, quod detur obligatio dicendi hoc officium in casu tantum quo eleemosyna ad officium ipsum persolvendum erogata fuerit. Ita communiter doctores. Quod

autem attinet missam in sepultura celebrandam, idem Rituale ait (VI, I, 8) « quod antiquissimi instituti est, illud quantum fieri poterit retineatur, ut missa praesente corpore defuncti pro eo celebretur, antequam sepulturae tradatur ».

Hic loquimur de celebratione missae, non vero de eius applicatione, nam Benedictus XIV (Instit. 36 et de Sacrif. missae, I. ij, 204) ab hoc onere parochis imponendo abstinuit.

Ad III. Missa pro omnibus defunctis, in casu nostro, non tantum est missa de die, sed respondet officio publico a toto populo decantato, prout antiquitus diebus festis agebatur; ideoque missa pro omnibus defunctis est pars (imo nobilior) ipsius officii, et est ad instar verae missae conventualis; ergo in casu omittenda non est, sed omnino decantanda, ut officium diei a populo celebrato, suum habeat complementum. Hoc valet pro *celebratione missae*, nempe primae quae habetur in missali pro die Comm. defunctorum, non vero *pro eius applicatione*. Applicatio enim, ex supra dictis, a parocho facienda est, si adest consuetudo, vel praeceptum, vel si habuerit eleemosynam.

Quia vero decantatum fuit, ut dicitur in casu, etiam officium pro defuncto tumulando, et duae missae decantari nequeunt illa in ecclesia, clare patet quod unica missa non potest *celebrari* ut in die obitus, cum sit celebranda ut in die Commemorationis Oo. defunctorum. Haec tamen *applicari* poterit pro defuncto, si parochus Sabinus, ad applicandam missam pro omnibus non fuerit adstrictus, vel ex consuetudine, vel ex lege, vel ex stipendio accepto, ut supra dictum est.

In praxi ergo, parochus, si rem praevidere potest, in casu exposito, roget funus petentes, ut pro defuncto celebretur in proxima die, et tunc exulabit quaelibet quaestio. Quod si hoc obtineri nequeat, tunc missam pro particulari defuncto applicet die sequenti, de eo specialem memoriam faciens in *Memento* missae, eo magis quia die 2 novembris et ipse recens defunctus, participat suffragio missae pro omnibus decantatae.

Archaeologia Liturgica.

De osculo pedum Romani Pontificis.

(Continuatio, V. n. 5 curr. anni, pagg. 284-288)

Art. III.

De tribus praecipuis solemnibusque actionibus in quibus Pontifici Maximo pedes osculari consueverunt.

Pedis osculum, iuxta allata documenta, Episcopis, Presbyteris ac viris sanctitatis fama illustribus promiscue et in occursibus quibuscumque, nulla habita ratione temporis et loci, exhibitum fuit. Ast Romano Pontifici hoc idem obsequium non tantum in privatis occursibus et salutationibus, sed maxime in publicis et solemnibus, vel etiam liturgicis actionibus exhibitum fuisse constat, ita ut merito osculum pedis habitum fuerit veluti obsequium proprium et protestativum supremae ipsius R. Pontificis auctoritatis.

Tres itaque publicae solemnesque huiusmodi actiones sunt: *a)* Prima E.morum Cardinalium ac Romanae Curiae Pontificis noviter electi salutatio; *b)* Solemnis per R. Pontificem catholici Principis receptio et incoronatio; *c)* Solemnis Missae celebratio.

Quae de his historia nobis tradit, fideli narratione proferimus.

A. *De osculo pedis R. Pontifici exhibito immediate post eius electionem.* — Ritus et caeremoniae in primis Ecclesiae saeculis servata e, cum R. Pontifex eligeretur, magna obvolvuntur obscuritate. *Liber Pontificalis* usque ad saeculum septimum nihil habet. Praesentem adorationem primum ve-

luti obumbrans, est salutatio Cononi Pontifici facta, qui a. 686 fuit electus. Quae salutatio procul dubio magnam induit solemnitatem. Ita in *Libro Pontificali* describitur: « E vestigio autem omnes iudices una cum primatibus exercitus pariter ad eius salutationem venientes in eius laude, omnes simul acclamaverunt » (1). In quo proprie iste salutatio sita fuerit, hic clare non dicitur.

In subsequentibus vero Pontificum electionibus describendis res pedetentim manifestius declaratur. Iam anno sequenti 687, Cononis successor, Sanctus nempe Sergius I in Lateranense Episcopium post electionem deductus dicitur, et ibi unus e duobus, qui antea schismatice fuerant electi et Pontificatum fraudulenter usurpaverant, Pontifici legitime electo « se humiliavit, et ingressus, denominatum sanctissimum electum salutavit et osculatus est » (2). Hic, salutatio cum osculo coniungitur, sed res adhuc obscura manet.

Prima electio, in qua expresse osculum pedis, veluti primus obedientiae et venerationis actus in novum Pontificem, exhibetur, occurrit anno 827, quo Valentinus II electus fuit. *Liber Pontificalis* habet quod novus Pontifex, conclamata electione, « condignis gloriae laudibus et honoris amplitudine ad Lateranense Patriarchium ab ipsis (electoribus) deductus, et in pontificali est positus throno. Cuius ovantes ab omni Romanorum Senatu pedibus osculatis et omnibus, quae explenda erant rite ac veneranter » praestita fuerunt, etc. (3).

Luce adhuc clariori hae solemnitates illustrantur in electione S. Leonis IV, quae anno 847 habita est. *Liber Pontificalis* ita rem enarrat: « omnes a novissimo usque ad primum una voce, una simul concordia Leonem venerabilem presbyterum sibi futurum Pontificem flagitabant... Tunc omnes... pergentes cum gaudio, multaque aviditatis laeti-

---

(1) MIGNE, P. L., CXXVIII, 883.
(2) MIGNE, ibi, 894.
(3) MIGNE, ibi, 1278.

tia ad Ecclesiam in qua degebat, beatorum quatuor Coronatorum, eum coactum invitumque exinde abstrahentes, cum hymnis laudibusque praecipuis ad Lateranense patriarchium perduxerunt: qui morem conservantes antiquum, omnes osculati sunt pedes » (1).

In qua descriptione id potissimum animadversione dignum occurrit, quod osculum pedis praestitum ibi dicitur, indicatur in obsequium antiquae consuetudinis: « morem, observantes antiquum »; ex quo iure argui licet, huius caeremoniae introductionem, ante superius descriptam electionem Valentiniani II, ponendam esse; *mos* enim dici nequiret, si tantum semel (aut iterum) ea caeremonia peracta fuisset, nec *antiquus*, si id ante viginti annos dumtaxat evenisset. Ad antecedens igitur saeculum *saltem* ponenda est praefati obsequii origo et introductio in Pontificis electione. Dicimus *saltem*, quia ex aliis monumentis compertum habemus, ut superius demonstravimus, osculum pedis fuisse primis Ecclesiae saeculis communem caeremoniam, ad prosequendos honore et obsequio non tantum Pontifices, sed et simplices sacerdotes et etiam viros saeculares, sanctitatis fama insignes.

Caeremoniae, quae raptim in *Libro Pontificali* indicantur, simul collectae et congruo ordine dispositae, reperiuntur in antiquis Caeremonialibus Libris S. R. Ecclesiae, quos *Ordines Romanos* appellant. In eo, qui venit sub num. XIV, de osculo pedum Pontificis noviter electi praescribitur: « Finito *Te Deum*, ab Episcopis Cardinalibus ad sedem suam ducitur post altare, et in ea, ut dignum est, collocatur. In quo dum sedit electus, recipit omnes Episcopos et Cardinales et quos sibi placuerit ad pedes (osculandos) postmodum ad osculum pacis » (2).

Cuius obsequii exequendi ratio fit, processu temporis accuratior, usque dum ad illam accuratissimam formam per-

(1) MIGNE, ibi, 1306.

(2) MURATORI, *Musaeum Italicum*, Tom. II, Ordo Romanus XII, cap. 44, n. 78, edit. Parisien. 1724, pag. 211.

ducitur, quam in *Caeremoniali Romano* expressam habemus, et quae nunc quoque, prout temporum circumstantiae permittunt, observatur: En itaque praefati *Caeremonialis* verba: « Imponunt novo Pontifici pluviale rubeum pretiosum et mitram auro et gemmis ornatam, illumque sedere faciunt super altare; cui Cardinales omnes reverentiam exhibent per ordinem, pedes, manus et os deosculantes. Quibus peractis, Pontifex novus, praecedente cruce et Cardinalibus, ad Ecclesiam S. Petri descendit et prostratus ante altare, sine mitra aliquandiu orat, agitque gratias Deo et Beatis Apostolis. Tunc surgens a Cardinalibus super altare ad sedendum constituitur cum mitra et prior Episcoporum genuflexus incipit: *Te Deum laudamus*, quem hymnum Cantores prosequuntur. Interim Cardinales pedes electi, manus et os deosculantur, servato ordine; quod et alii, qui adsunt, praelati et nobiles faciunt » (1).

Ad pleniorem harum caeremoniarum intelligentiam maxime conferunt quae habet Ioannes Burchardus in suis Diariis. Is, electionem Innocentii VIII describens, de prima adoratione sequentia habet: « Surrexit de sede praedicta (ubi plures supplicationes signaverat) et impositum fuit sibi pluviale rubrum simplex et mitra cum perlis simplex non de preciosioribus, et a cardinalibus positus ad sedendum super dictum altare in parva cappella, et eo sic sedente, singuli cardinales venerunt ad reverentiam, primo vice-cancellarius, deinde alii suo ordine. osculantes primo pedem dextrum, tum manum et os ipsius electi... Quum essemus extra portam aulae conclavis, quidam ex diaconis apostolicis accepit crucem et eam sic portavit ante altare maius Basilicae sancti Petri; electus Pontifex genuflexus in faldistorio aliquantulum oravit. Tunc detecto capite, stans, incepit in cantu: *Te Deum laudamus*, et cantores sunt usque ad finem prosecuti. Incepto hymno, positus fuit electus ad

(1) *Sacrarum Caeremoniarum, sive Rituum Ecclesiasticorum S. R. Ecclesiae*, Libri tres, Lib. I, cap. VI. Venetiis, 1582, cart. 12.

sedendum super altare praedicto et accesserunt singuli Cardinales, primo vice-cancellarius, deinde alii omnes, et osculati sunt pedem, manum et os electi cum reverentia consueta : deinde plures alii pedem sunt osculati » (1).

Pauca ecclesiasticae antiquitatis adducta documenta clare probant huius obsequii venerandam originem ac continuatam in Ecclesia consuetudinem. Supervacaneum esse putamus ulteriora addere; notum enim cuique est, osculum pedis novo Pontifici post electionem exhibere, esse quid praecipuum inter caeremonias electionis, et adeo gravis momenti, ut ter repetatur. In novissimis etiam R. Pontificum electionibus id plene observatum scimus (2).

Merito quaestio hic institui potest, an hoc obsequium Pontifici noviter electo exhibitum significationem ab ordinaria diversam, induat. Prona est responsio. *Per se* osculum pedis, occasione electionis exhibitum, non diversam ab ordinaria habet significationem ; nihil enim aliud significat, sicut semper, nisi supremae R. Pontificis auctoritatis recognitionem et confessionem, eidem omnimodam subiectionem, ac illam ex corde venerationem, quae a fide in eius divinam supremamque potestatem proficiscitur.

Dicimus *per se*, quia *per accidens*, habito nempe respectu ad personas, ad tempus et ad solemnitatem a quibus et in quibus hoc obsequium praestatur, ordinariae significationi aliquid amplius addit. Putamus enim osculum pedis quod immediate post electionem novi Pontifici a Cardinalibus et ab aliis Romanae curiae Praelatis solemniter exhibetur, significare etiam publicam peractae electionis ratiha-

---

(1) MURATORI, *Rerum Italicarum Scriptores*, Città di Castello, 1907, Tom. XXXII, *Ioannis Burchardi Liber notarum*, *pag. 53*.

(2) Ephemerides officiales, vel quasi officiales, id testantur. Videantur, si placet, pro electione Pii X, *Analecta Iuris Eccl.*, a. 1903, pagg. 360, 361 ; et pro electione Benedicti XV, *Acta Apost. Sedis*, a. 1914, pagg. 495, 496 et 498 (*a*).

(*a*) In recentioribus tamen electionibus abolita fuit praxis sedendi super altari, et hadibita sedes gestatoria super suppedaneo ipsius altaris.

bitionem ac initium seu inchoationem illius subiectionis ac venerationis quam unisquisque novo Pontifici, profiteri debet. Hoc Curiae Romanae commune publicumque obsequium est etiam veluti quaedam solemnis novi Pontificis proclamatio, non verbis, sed opere in faciem totius orbis peracta. Est quoque ad catholici orbis fideles veluti invitatio, ut omnes novum Pontificem recognoscant eumque debita subiectione ac veneratione prosequantur. Sub hoc respectu consideratum, primum pedis osculum Neo-Pontifici a Romana Curia praestitum, procul dubio singularem significationem induit et est religionis actus specialis momenti.

(Continuabitur).

Fr. IOSEPHUS ANT. O. M. Cap.

Consultationes.

De reverentia praestanda a Celebrante Cruci Altaris, tum in accessu ad eam, tum in recessu ab ea.

(Continuatio — Vide pp. 287-296).

5°. Antequam huic studio finem imponamus, et ut melius cognoscamus quaenam reverentia sit praestanda a Celebrante Cruci Altaris, cum ad Altare pervenerit, non incongruum erit, ut parum examinemus, quomodo interpretati sint antiqui et recentiores Commentatores Rubricam de inclinatione facienda a Celebrante in fine Missae, antequam ab Altari discedat.

In fine Missae Rubrica (Tit. XII, n. 6) ita se habet: « Quibus omnibus absolutis,... Sacerdos accipit sinistra calicem, dexteram ponens super bursam, ne aliquid cadat, descendit ante infimum gradum Altaris, et ibi in medio vertens se ad illud, *caput inclinat*..., et facta reverentia, accipit biretum a ministro, caput cooperit, ac praecedente eodem ministro, eo modo quo venerat, redit ad sacristiam... ».

Inter *antiquos* commentatores praecipui dictam Rubricam ita interpretaverunt:

a) GAVANTUS (Part. II, Tit. XII, n. 6, litt. *h*) dicit: « *Caput inclinat,* hoc est apertum, sicuti initio Missae, in eodem loco veneratus est Altare, et Crucem, capite discooperto; eadem enim est ratio: et debet, ut ubi deposuit, ibi etiam recipiat biretum. Quod autem hic dicitur, *et facta reverentia,* non aliam de novo intellige, quam capitis inclinationem, seu genuflexionem, de qua proxime dictum fuit: neque enim duplex fit reverentia, quod perperam nonnullus scripsit ».

b) MERATUS (in h. l. Gav. n. X) sequentia habet: «... Et stans in plano ante infimum Altaris gradum facit *reverentiam profundam* Cruci, vel genuflexionem Sacramento, Ministro semper genuflectente... ».

c) CAVALIERI (*Opera omnia liturgica*, tom. V, cap. 25, n. 13, edit. Venet., an. 1758) ait: «... Interim Sacerdos sinistra calicem accipit, revoluta prius super bursam parte anteriori veli; accipit autem de more, ut in principio, cum ad Altare celebraturus accessit, et descendit retrahens se aliquantulum prius ad partem Evangelii facie conversa ad cornu Epistolae cum debitis cautionibus descendit... Cum ad planum pervenit se iterum ad Altare convertit, *caput inclinat*, vel genuflectit, si in eo sit Tabernaculum Ss. Sacramenti..., biretum accipit et caput cooperit, et praecedente sibi ministro,... redit ad sacristiam, et capite cooperto inclinat se imagini principali profunde... ».

Recentiores vero auctores modo sequenti interpretantur praedictam Rubricam:

a) MARTINUCCI-MENGHINI (*Manuale Caeremoniarum*, Vol. I, Tit. II, Cap. 3, art. 2, n. 143, edit. 3) ait: « Finitis precibus (*scil. a Leone XIII praescriptis*), assurget, et ante Altaris mensam reversus, partem anteriorem veli calicis reflectet super bursam, calicem ad nodum sinistra accipiet, extensam dexteram imponet bursae, ac sine ulla ad Crucem reverentia, se convertet, descendet de Altaris gradibus, *ut in principio Missae, reverentiam* CAPITIS *profundam* (1) ad Altare efficiet... Ingressus in sacristiam, coopertus, reverentiam capitis profundam efficiet Cruci vel imagini primariae ».

b) GEORG. SCHOBER (in *S. Alph. de Lig. libro de Caeremon. Missae*, cap. XIII, § 4, adn. 9) dicit: « In fine Missae ad quodcumque Altare celebratae, fit reverentia Cruci infra

---

(1) N. B. quod idem auctor (loc. cit., n. 23) dicat, in principio Missae: Sacerdos « ad Altare in quo erit operaturus, subsistet in medio ante infimum gradum, caput nudabit, biretum tradet ministro, *reverentiam profundam* Cruci... peraget... ». Haec itaque reverentia profunda debet esse *capitis*, iuxtà ipsum auctorem.

gradus, capite discooperto (S. R. C. 13 Febr. 1666 ad 9, n. 2363). Haec reverentia iuxta Rubricam et S. Alphonsum debet esse *maxima capitis inclinatio*, quamvis alii auctores *profundam corporis* requirant... ».

c) De Herdt (*S. Liturg. Praxis*, T. I, P. II, n. 294, edit. 10) ait: « ... Ut descendit ante infimum gradum ibi in medio se vertit ad Altare, et solum *caput, non autem corpus, profunde inclinat...* ».

d) R.mus D. I. F. Van Der Stappen (tom. III, *Tract. de celebrat. Miss.*, edit. 2, q. 264, n. 2) haec dicit: « Sacerdos, cum descendit usque ad planum ante Altaris gradus, convertit se ad Altare per latus dexterum..., et mox Altari debitam facit reverentiam..., scilicet: vel *capitis inclinationem profundam*, si Crux tantum ponitur in Altari; non vero profundam corporis inclinationem, sicut in accessu... ».

Nos ipsi (in nostro *S. Liturg. Promptuar.*, vol. I, n. 253, 6) scripsimus: « Quibus omnibus absolutis..., descendit ante infimum gradum Altaris, et ibi in medio vertens se ad illud, *caput profunde inclinat...* ».

e) Petrus M[a]. De Amicis (*Caeremon. Parohcor.*, P. II, sect. II, n. 125, 5) ait: « Post dictas preces redit Sacerdos ad Altaris medium.... vertit se ad cornu Epistolae, paululum recedens e medio ad partem Evangelii, descendit de Altari ante infimum gradum, ubi Altari *caput, non autem corpus, profunde inclinat...* ».

Ex dictis itaque patet, quod omnes praefati auctores eam Rubricam intelligant de *profunda* capitis *inclinatione;* Meratus solummodo dicit quod ea inclinatio debeat esse *reverentia profunda;* sed utrum ea esse debeat *capitis* inclinatio *maxima* seu *profunda*, an inclinatio *corporis* profunda, non clare indicat, quamvis ipse in alio loco explicite dicat eam esse debere profundam *capitis* inclinationem. Et revera, cum hic iuxta Rubricam agatur de *capitis* inclinatione et de adoratione latriae seu de reverentia praestanda Cruci Altaris seu imagini Crucifixi, nullum dubium esse potest quod ea inclinatio *capitis* debeat esse *profunda* seu *maxima*.

Conclusio

Ex omnibus praedictis manifeste sequitur, quod Celebrans *quando calicem defert,* vel *capite cooperto inclinationem facere debet,* Cruci Altaris seu imagini Crucifixi desuper positae caput profunde inclinare teneatur, tum in accessu ad Altare, tum in recessu ab eo, tum in transitu ante Altare maius (1).

Ut autem Rubrica Missalis (P. II, Tit. II, n. 2), cum Celebrans ad Altare pervenerit, magis conformis sit illi Rubricae P. II, Tit. XII, n. 6), quando Celebrans ab Altari recedit, nonne melius esset ut prima Rubrica ita se haberet: « Cum pervenerit ad Altare, stans ante illius infimum gradum, caput detegit et Altari seu imagini Crucifixi desuper positae profunde inclinat? »

Verba enim interiecta, « *biretum ministro porrigit* », Rubricam reddit obscuram et aequivocam, eaque verba sunt inutilia, utpote iam satis contenta in verbis « *caput detegit* », et insuper eadem verba applicari nequeunt Regularibus qui caput amictu cooperire debent.

Demum, ante S. Pium V, Ordo Missae Ioannis Burckardi (editus an. 1502) ita habet: « ... Ubi ante infimum gradum stans Sacerdos caput Altari seu imagini Crucifixi desuper positae profunde inclinans, debitam ei reverentiam facit... ».

Qualis Missa dicenda est in die infra Octavam Communem, in qua simul occurrat Vigilia alicuius Apostoli?

Praedictus casus occurrit in Ecclesia Fratrum Minorum Capuccinorum, ubi S. Laurentius a Brundusio Conf. Ord. Min. Capuc. est Titularis Ecclesiae. Ibi die 24 Iulii fit Of-

(1) Pariter notandum est quod celebrans calicem deferens, vel bireto coopertus profundam corporis inclinationem Cruci Altaris valde difficulter praestare possit.

ficium de die infra Octavam S. Laurentii, ritu semiduplici, cum 9 Lectione Vigiliae S. Iacobi Apost. et commemoratione Vigiliae eiusdem et S. Christinae, Virg. et Mart. — Porro quaeritur: qualis Missa eo die dicenda sit, utrum de die octava S. Laurentii, an de Vigilia S. Iacobi Apost.?

Resp. Rubrica antiqua Missalis (P. I, tit. III, n. 2) sequentia praescribit: « In Vigiliis autem, et Feriis Quatuor Temporum, vel Feria II Rogationum, quae veniunt infra Octavam, Missa dicitur de Vigilia vel Feriis supradictis, cum commemoratione Octavae: praeterquam infra Octavam Corporis Christi, in qua in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis cantantur duae Missae; una de Octava post Tertiam, alia et Vigilia post Nonam: in Missis autem privatis dicitur Missa de Octava cum commemoratione Viglliae ».

Iuxta praedicta itaque Missa *conventualis* dicenda est in illa Ecclesia die 24 Iulii de Vigilia S. Iacobi cum commemoratione Octavae S. Laurentii et S. Christinae, sine *Gloria* et *Credo* et in fine *Benedicamus Domino;* Missae autem *privatae* dicuntur de die infra Octavam S. Laurentii cum commemoratione Vigiliae S. Iacobi et S. Christinae, item cum *Gloria* et *Credo* et ultimo Evangelio Vigiliae.

Quaestio nunc est, an praedicta Rubrica adhuc hodie in vigore sit? — Respondetur affirmative quoad Missam principalem seu *conventualem* in Ecclesia Regularium, Officio chorali addictorum, cum nullibi habeatur revocatio seu mutatio praedictae Rubricae quoad Missam *conventualem*. Quoad Missas vero *privatas*, Rubrica hodiedum vigens (Tit. x, n. 2 Psalterii I^ae^ editionis) statuit: « In Feriis Quadragesimae, Quatuor Temporum, II Rogationum, et in Vigiliis, si occurrat fieri Officium alicuius Festi duplicis (non tamen I vel II classis) aut semiduplicis, Missae privatae dici poterunt ad libitum, vel de Festo cum commemoratione ultimoque Evangelio Feriae aut Vigiliae, vel de Feria aut Vigilia cum commemoratione Festi: prohibentur tamen Missae votivae privatae, aut privatae pro Defunctis ».

Est verum quod in praefata Rubrica agitur de aliquo

Officio *Festi* duplicis aut semiduplicis, et in casu nostro de Officio alicuius diei infra Octavam communem. Sed, si res bene consideretur, dicere possumus quod si in Festo duplici, etiam maiori, Missae privatae de Vigilia dici valeant, a fortiori id affirmandum est in Officio alicuius diei infra Octavam communem, occurrente aliqua Vigilia communi, cum in hoc casu agatur de Officio, cui praeferendum quidem est in occurrentia et concurrentia Festum semiduplex.

Consequenter in dicto die infra Octavam S. Laurentii, occurrente Vigilia S. Iacobi, etsi Missa *conventualis* dicenda sit de Vigilia S. Iacobi cum commemoratione Octavae S. Laurentii et S. Christinae, Missae tamen *privatae* celebrari possunt, vel de die infra Octavam S. Laurentii cum commemoratione Vigiliae et S. Christinae Virg, Mart., et ultimo Evangelio Vigiliae eiusdem, vel de Vigilia S. Iacobi cum commemoratione Octavae S. Laurentii et S. Christinae, et *Benedicamus Domino* in fine.

Missae tamen votivae privatae, aut privatae pro Defunctis in dicto die, occurrente Vigilia S. Iacobi, prohibentur iuxta praefatam novam Rubricam. Item ex Decreto S. R. C. d. 8 Februarii 1913, II (apud Acta Apost. Sedis, vol. V, pag. 43) prohibetur etiam Missa votiva privata Immaculatae Conceptionis B. M. V., Fratribus Minoribus ex privilegio in Sabbatis concessa.

De translatione accidentali duorum Officiorum, quorum unum pertinet ad Provinciam alicuius Instituti religiosi, et alterum ad quemdam Conventum eiusdem Provinciae.

Anno proxime futuro, in quodam conventu religioso duo Officia impediuntur ob Octavam Paschatis, nimirum S. Marcus Evangelista ritus duplicis II classis, et Anniversarium Dedicationis Ecclesiae Cathedralis Dioecesis ritus I classis. Primum Officium eo anno in Ecclesia universali

transfertur in Feriam III post Octavam Paschae, scilicet in 2 diem Maii, prima huius mensis impedita ob Festum Ss. Philippi et Iacobi Apost. die 1 Maii occurrens. Quaeritur: an in eo conventu, in quo etiam transferenda est Dedicatio Ecclesiae Cathedralis Dioecesis ob Octavam Paschatis, huius Officium ante vel post illud S. Marci Evang. transferri debeat?

Resp. Decretum S. R. C. ad hunc casum pertinens et adhuc vigens est sequens d. 3 Maii 1911 (n. 4264): « Quo facilius in Ecclesiis particularibus Officiorum repositiones et translationes paragi valeant, Sacra Rituum Congregatio, enixis precibus, tum a R.mis locorum Ordinariis tum a Superioribus Ordinum seu Congregationum Religiosarum sibi porrectis obsecundans, audito etiam Commissionis Liturgiçae suffragio, statuit ac decrevit, ut, ad tramitem resolutionis n. 3919, Ordinis Minorum Capucinorum S. Francisci, diei 27 Iunii 1896, ad XVI, tam Calendarium perpetuum quam Calendarium annuale cuiusque Ecclesiae particularis respective redigatur super Calendario Dioecesis vel Ordinis aut Congregationis; ac proinde, sicuti Officia, quae in propria Ecclesia vel Oratorio quotannis impedita sunt, fixe assignari debent diei primae liberae in Calendario perpetuo, ita Officia accidentaliter transferenda in posterum celebranda erunt die, quae prima libera reperitur in Calendario annuali, nulla habita ratione Officiorum, quae iam translata fuerunt, licet minoris nobilitatis: servatis de cetero Rubricis et Decretis. Contrariis non obstantibus quibuscumque ».

Ex praefato itaque Decreto eruitur:

1° quod ratio principalis huius Decreti sit: « *Quo facilius in Ecclesiis particularibus Officiorum repositiones et translationes peragi valeant* ». Et revera, ut plurimum Rectores Ecclesiarum non norunt leges translationes vel saltem mutationes quas inducere deberent in Calendario Dioeceseos vel Provinciae Ordinis seu Congregationis religiosae, si ipsi ordinatim transferre deberent Festa tum dioecesana tum localia, si impediantur. Ad obviandum hisce difficultatibus,

S. R. C. statuit, ut « *tam Calendarium perpetuum quam Calendarium annuale cuiusque Ecclesiae particularis respective redigatur super Calendario Dioecesis, vel Ordinis aut Congregationis...* »

2° Quod Calendarium annuale Dioecesis vel Provinciae Ordinis quoad Officia *per accidens* transferenda primo faciendum sit, et dein Calendarium annuale cuiusque Ecclesiae particularis seu Coenobii Provinciae, « *nulla habita ratione Officiorum, quae jam translata fuerunt* (in Calendario Dioecesis vel Provinciae), *licet minoris dignitatis* ». Dictum itaque Decretum supponit quod nonnumquam casus accidere possit quod Festum transferendum in Calendario annuali Dioecesis vel Provinciae Ordinis sit minoris dignitatis quam illud quod transferendum est in Calendario annuali alicuius Ecclesiae particularis vel cuiusdam Conventus religiosi. Hoc non obstante, Decretum statuit, quod si duo Officia accidentaliter impediantur, quorum unum pertinet ad Dioecesim vel Provinciam Ordinis, et alterum ad quamdam Ecclesiam particularem seu domum religiosam, illud (scil. Dioecesis vel Provinciae), licet minoris dignitatis, primo reponendum est, et dein alterum (scil. Ecclesiae particularis seu domus religiosae).

Hinc in casu proposito Officium S. Marci Evang., utpote pertinens ad totam Provinciam Ordinis, imo ad Ecclesiam universalem, licet minoris dignitatis, primo transferendum est, scilicet in 2 diem Maii, prima die huius mensis impedita ob Festum SS. Philippi et Iacobi Apost., et deinde in eo conventu in quo etiam transferenda est Dedicatio Ecclesiae Cathedralis Dioeceseos, huius Officium reponendum est die 4 Maii, die 3 Maii impedita ob Festum Inventionis S. Crucis.

Obiicitur: Certe citatum Decretum maxime valet, quando agitur de duobus Fesiis transferendis quae pertinent ad idem genus Calendarii, scilicet Ordinis, Provinciae seu domus religiosae; non vero, quando unum pertinet ad Calendarium religiosum, et alterum ad Dioecesim seu locum, in quo exi-

stat eiusmodi domus religiosa. Quomodo enim possibile sit quod Anniversarium Dedicationis Ecclesiae Cathedralis Dioecesis, quod est unum ex solemnioribus Festis localibus, in tota illa Dioecesi transferatur in 2^m^ diem Maii et Festum S. Marci Evang. in 4^m^ diem eiusdem mensis, et quod ob citatum Decretum in dicto Coenobio, quod in illa Dioecesi reperitur, contrarium sit faciendum? Nonne hoc contra mentem S. Sedis censetur, cuius mens certe est, ut Festa solemniora alicuius Dioecesis seu loci eodem die ac ritu in tota Dioecesi seu loco recolantur?

Resp. Certe haec ratio maxime valet quando agitur de duobus Festis quae pertinent ad diversum genus Calendarii, scilicet unum Festum ad Calendarium domus seu Provinciae religiosae et alterum ad Calendarium Dioecesis seu loci, cum tunc plerumque non solummodo obstet ratio ritus, solemnitatis et dignitatis, sed etiam difformitas in recolendis Festis solemnioribus localibus.

Quidquid tamen sit de ratione supra memorata, mihi videtur, usque dum S. Sedes non aliter disposuerit, sequendum esse citatum Decretum, etiam in hoc casu, praesertim ob rationem in Decreto allegatam: Calendarium annuale alicuius Ecclesiae seu Coenobii redigendum est, etiam quoad Officia *per accidens* transferenda, super Calendario annuali Dioeceseos seu Provinciae religiosae respective, « *nulla habita ratione Officiorum, quae iam translata fuerant* (scilicet in Calendario annuali Dioecesis vel Provinciae religiosae), *licet minoris nobilitatis* », uti in casu. Insuper, nonne Festa localia etiam pertineant ad Calendarium Ecclesiae particularis seu ad Calendarium domus religiosae ibi extantis? Si contrarium verum esset, ea Festa non essent adiungenda. Praeterea, nonne potius sit mens S. Sedis, ut uniformitas (quantum possibile) observetur in recolendis Mysteriis et Sanctis, praesertim quae censentur solemniora: 1° Ecclesiae universalis; 2° Dioeceseos seu Provinciae Ordinis, et 3° cuiusque Ecclesiae seu Coenobii? Suppone quod in casu habeantur duo Festa impedita ob Octavam Paschatis, unum pertinens

ad totam Provinciam seu ad totum Ordinem religiosum, v. g. Festum Fundatoris Ordinis, et alterum pertinens ad aliquod Coenobium, scil. Anniversarium Dedicationis Ecclesiae Cathedralis Dioecesis. Quaeritur nunc: an in hoc casu etiam primo transferendum sit Anniversarium Dedicationis Ecclesiae Cathedralis Dioecesis, et dein Festum Fundatoris Ordinis? Mihi videtur omnino negative.

Ratio itaque allegata contra litteram citati Decreti, etiam retorqueri potest contra mentem eiusdem Decreti, et consequenter mihi videtur tenendum esse ad litteram istius Decreti, usque dum S. Sedes aliter non disposuerit.

De inclinatione mediocri corporis et profunda capitis.

Quaer. Utrum inclinatio mediocris corporis uti profunda capitis semper considerari possit; an solummodo in casu quo inclinans est genuflexus?

Resp. Hoc naturaliter dependet a definitione utriusque inclinationis. Si utraque inclinatio intelligatur *pro capitis et modica humerorum inclinatione,* tunc certissimum est quod una pro altera inclinatione semper considerari possit.

Hinc in *Ephemeridibus Liturgicis* huius anni pag. 155 adnotavi in cl. P. Cai. Meratum quod ipsius definitio inclinationis *mediae* (scilicet corporis) et primae minimarum *maximae* (aut profundae capitis) pro una eademque sit habenda. Ipse enim Meratus dicit: « Inclinatio *media* dicitur illa, quae fit capitis et modica humerorum inclinatione », et paulo inferius idem auctor ait: « Prima minimarum seu simplicium reverentiarum *maxima* (*seu profunda capitis inclinatio*) consistit in capitis profunda inclinatione, quae trahit secum modicam etiam humerorum inclinationem ».

Item plures auctores recentes optimae notae utramque inclinationem eodem modo definiunt. Ita inter alios:

a) Martinucci-Menghini (*Manuale Sacrar. Caeremon.*, vol. I, p. I, lib. I, cap. I, n. 5, edit. 3) aiunt: « ...Reverentia media sive mediocris, regulariter fiet, quando * (1) una cum capite curvantur aliquantum et humeri. Reverentia simplex a Rubricistis in tres subdividitur species, nempe in *minimarum maximam, minimarum mediam* et *minimarum minimam*, videlicet in capitis inclinationem maximam, mediam et minimam. Prior ipsarum absolvitur tota capitis inclinatione, et aliquantula etiam humerorum; altera inclinatio ex toto tantummodo; tertia cum caput aliquantum inclinatur... » (2).

b) G. Schober (in *S. Alph. M. de Liguori libro de Caeremon. Missae*, cap. II, § 3) haec habet: « ...Sciendum est, praeter prostrationem et genuflexionem alios tres modos reverentiarum distingui, quae inclinationes dicuntur, scilicet *profunda, media* et *simplex*. *Profunda* est, quando quis stans caput et corpus ita inclinat, ut ambabus manibus genua tangere possit. *Media* est, si caput et humeros mediocriter inclinat. *Simplex* vero, si caput tantum inclinat. At haec ultima inclinatio iterum triplex est: *minimarum maxima, minimarum media, minimarum minima* (3), quae singulae re-

---

(1) In praefatione ad tertiam editionem cl. Menghini haec verba adnotat: « Invenientur interdum textui Auctoris inserti asterisci *; his monentur Lectores vel obviam ac parvi momenti, vel alias iam comprobatam immutationem nos ibi induxisse ».

(2) Rev. Menghini, interrogatus an, quum nullam adnotationem hic adiecerit, opinioni Auctoris (Martinucci adhaereat, respondit, se noluisse hanc quaestionem dirimere, nulla pollens auctoritate, prout et fecit in proprio *Manuale di Ss. Ceremonie* (III ed. Vol. I, pag. 50, V), sed usquedum S. Sedes aliter non declaret, retinere verba rubricarum esse sumenda in sua obvia significatione, ita ut inclinatio capitis sit reipsa solius capitis, non associanda cum qualibet, etiam minima, humerorum (Redactio).

(3) Hae denominationes, ait cl. Schober, etiam inveniuntur apud Meratum, Martinucci aliosque.

spondent triplici cultui: latriae, hyperduliae et duliae. Prima est, cum caput ita profunde inclinatur, ut etiam humerorum inclinationem secum trahat, et fit, cum dicitur *Gloria Patri, nomen Dei* et *Iesu*. Secunda est, cum caput notabiliter inclinatur, et fit, cum nomen *Mariae* pronuntiatur. Tertia in simplici capitis inclinatione consistit, et fit, cum nomen alicuius Sancti, vel viventis Papae profertur ».

Eodem modo, quamvis aliis verbis, definiunt inclinationem mediocrem corporis et profundam capitis (seu *minimarum maximam*) PP. Le Vavasseur-Haegy (*Manuel de Liturgie et Cérémonial selon le Rit Romain*, tom. I, n. 260, edit. 1910); Caeremoniale Romano — Seraphicum Ordinis Fratrum Minorum (Decreto S. R. C. d. 12 aug. 1908 approbatum, n. 17); Caeremonialis Ordo Romanus ad usum Ord. Minorum Conventualium (a Secretar. S. R. C. d. 10 aug. 1904 approbatus, pag. 100, nn. 1-5), aliique.

Haec sufficiunt ad demonstrandum quod hodiedum clarissimi Liturgistae mediam *corporis* inclinationem et profundam *capitis* pro una eademque inclinatione accipiant, scilicet pro *capitis et modica humerorum inclinatione*, et consequenter iuxta ipsos media corporis inclinatio uti profunda capitis semper considerari possit.

Quamvis itaque decretum S. R. C. d. 16 febr. 1906 ad 1 (n. 4179) (1) datum sit pro casu quo inclinans est genuflexus, cum tamen in eo responso inclinatio mediocris corporis intelligatur *pro capitis et modica humerorum inclinatione*, eaque eadem habenda sit ac profunda capitis inclinatio iuxta auctores optimae notae, ex eo satis sequitur mediocrem cor-

(1) Attamen, adnotatio ad pag. 291 fasciculi 5 nostrarum *Ephemeridum*, in lucem ponit, quod decretum S. R. C. n. 4179, I, datum est ad petitionem factam circa duas has reverentias: *profundam totius corporis*, et *solius capitis;* ac proinde responsio nullatenus tangit quaestionem de inclinatione capitis profunda, an eadem sit cum corporis mediocri: sed refertur ad casum, quo, quis est genuflexus, et respondet, agere debere reverentiam mediocrme *corporis*, non vero profundam item *corporis* (REDACTIONIS).

poris uti profundam capitis inclinationem non solum considerari posse, quando inclinans est genuflexus, sed in omni casu quo per mediocrem corporis inclinationem intelligenda est *capitis et modica humerorum inclinatio,* quae tunc habetur, non ut profunda corporis, ut patet, sed ut profunda capitis inclinatio.

P. Victorius ab Appeltern, O. M. C.

BREVIORA RESPONSA

Pro Hollandia. — I. In monasterio, cui adiacet ecclesia publica et consecrata, adsunt quaedam oratoria, non consecrata, sed benedicta tantum. Quaeritur autem utrum infra octavam Dedicationis omnium ecclesiarum nostrarum consecratarum in illis oratoriis, quoad Missam scilicet, sequi debeamus ea quae in Ordine nostro notentur per illam octavam pro ecclesiis consecratis, vel potius pro ecclesiis non consecratis (v. g. die 3 oct. Dedic. OO. EE. Consecrat. dupl. 1 cl. etc. — In eccl. non consecratis de ea (Dom. 19 p. Pent.), etc.? Ratio dubitandi est quia illa oratoria iuxta quosdam unum morale quasi constituunt cum ecclesia, quamvis duo illorum nullatenus cum ecclesia communicent.

Resp. Recte sentiunt, qui dicunt oratoria monasterii efficere quid unum morale; receptum quidem est inter iurisperitos, ecclesiam unam esse monasterium: qui ergo celebrat in oratorio monasterii ab ecclesia separato, non censetur celebrare extra ecclesiam. Insuper oratoria illa non sunt proprii iuris; quemadmodum igitur in privato sacello monasterii, etiam non separato, v. gr. sacristiae, nemo dubitaret Missam celebrare de Dedicatione ecclesiae monasterii, ita in illis. Etiam sacerdos alicui ecclesiae addictus, v. gr. ratione beneficii, si celebret in suo privato sacello, nonne de Dedicatione suae ecclesiae celebrabit, quantumvis longe absit

ab ecclesia? Secus esset dicendum, si aliqua alia ecclesia vel oratorium eiusdem monasterii consecratum fuerit; fieret tunc sui proprii iuris, et quod *reipsa* ab ecclesia principali separatum est, propria et solemni dedicatione, nequiret *moraliter* unitum intelligi (hoc tamen dicimus in subiecta materia, nequirent enim alia exinde trahi consectaria); nihil ergo in eo fieret de Dedicatione ecclesiae principalis monasterii.

II. Per S. R. C. decretum 28 iulii 1911 (n. 4274) ad VI et VII enumerantur dies quibus prohibetur Missa exequialis. Sed nihilominus certum est, illam Missam non permitti die S. Ioannis Bapt. Nativitati sacro, quamquam illud festum illo decreto haud nominatur. Quaedam autem occurrunt, de quibus non conveniunt auctores liturgici, quae sapientissimae *Ephemeridum liturgicarum* Redactioni proponere placet:

a) Licetne illa Missa exequialis in anniversario Dedicationis ecclesiae propriae?

Resp. Negative, ex decreto generali S. Rit. Congreg., n. 3755, I, quod per decretum in dubio citatum non infirmatur, quia hoc ultimum datum est tantum circa festa nuperrime suppressa vel noviter solemniter instituta, et nihil habet de ceteris, quae in suo robore manent.

b) Licetne in anniversario Dedicationis ecclesiae cathedralis, quae, iuxta decretum S. R. C. 9 iulii 1895, *propria* dicitur pro universo clero totius dioecesis, etiam pro Regularibus, quod confirmavit S. R. C. die 16 febr. 1910?

Resp. Licet, quia etsi ecclesia cathedralis dicatur et sit ecclesia *propria*, non est tamen eius festum, iuxta locutionem decreti generalis super citati, ex *solemnioribus... ecclesiarum particularium*. Nemo quippe dicet Dedicationis ecclesiae cathedralis festum esse ex solemnioribus, neque esse ecclesiae particularis, quantumvis propriae.

c) Licetne eadem Missa in festo Patroni principalis dioecesis?

Resp. Iuxta decretum S. R. C., n. 4003, I, 1, prohibita est tantum in Dominica translatae solemnitatis Patroni; sed si non transfertur solemnitas, prohibetur die ipso festi sup-

pressi (ibid. 2, 3); hoc decretum profecto etiamnum viget, ex ratione, quam adduximus in responsione ad *a*).

III. Num verba « in solemni expositione Sanctissimi Sacramenti », quae adhibentur in decreto S. C. Indulgentiarum 12 iunii 1907, praecise denotant ipsum momentum expositionis Ss. Sacramenti in Throno; vel potius illam Indulgentiam toties lucrari possuntne fideles quoties per tempus expositionis Ss. Sacramentum respicientes hanc orationem: « Deus meus et Dominus meus » recitant?

Resp. Concessio Indulgentiae, de qua hic sermo est, facta fuit per Responsum Autographum S. P. Pii X, signatum sub precibus ab altero ex Presbyteris Congregationis Missionis exaratis; et si reipsa Orator mentem suam aperuit qua est usus locutione, satis clare patet momentum expositionis indicari, eo vel magis, si comparetur una pars cum altera; petiit enim Indulgentiam: 1° « ...cum Sacramentum in Sacrificio elevatur », et 2° « etiam cum solemniter exponitur ». Videntur ambo tamquam actus transeuntes indicari. Et quia, cum agitur de Indulgentiarum conditionibus, res est strictae interpretationis, oportet ut non magis extendatur sensus concessionis, quam ferat obvius Rescripti sensus. Eo vel magis, quod, cum agatur de re ad longius tempus se potrahente, deficiente locutione: « quoties id egerint », vel e converso: « semel in qualibet expositione », non videtur indicari duratio quaedam, sed actus. Insuper Indulgentia septem annorum ettotidem, quadragenarum est nimis ampla, ut intelligi queat *toties quoties* lucranda. Unde, ni secus a legitima Auctoritate declaretur, retinendum est concessionem hanc ad actum expositionis tantum referri.

Pro variis locis. — I. Mulieres Confraternitati alicui adscriptae, etiam saccis indutae, uti pluries dictum est, nequeunt una cum Confratribus in processionibus incedere. Attendatur verbis Ritualis romani (tit. IX, cap. I, n. 4): « foeminae, a viris *separatae,* orantes *prosequantur* ».

II. Antiphonae duae: 1° de Laudibus in festo Pentecostes, 2° de Vesperis defunctorum, quae in Antiphonario

cum cantu exhibentur sub alia dictione quam in Breviario, ita retinendae sunt, ut, si cantus adhibeatur, in venerationem antiquae notationis gregorianae, ut in Antiphonario accipiantur: « Dum complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter dicentes, alleluia » — « Heu me! quia incolatus meus prolongatus est »; si vero sine cantu, ut in Breviario: « Cum complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco, alleluia ». « Hei mihi, Domine, quia incolatus meus prolongatus est ». Sunt autem typicae declaratae Vaticanae editiones, tam Antiphonarii, quam Breviarii.

III. In Vigilia Epiphaniae, quae Dominicae aequiparatur, prohibentur omnes Missae votivae et defunctorum, quae prohibentur in Dominicis etiam minoribus. Infra octavam Ascensionis, quae octavae Nativitatis Domini aequiparatur, prohibentur illae, quae infra octavam Nativitatis vetantur. In Dominica anticipata prohibentur Missae votivae quaecumque, exceptis solemnibus pro re gravi, et privatae pro defunctis (Rubr. post Bollam *Divino afflactu*, tit. X, n. 2, et S. R. C., die 6 decembris 1912 ad 1).

IV. Missa votiva pro Sponsis permittitur in Dominica anticipata, iuxta decretum S. R. C., 8 februarii 1913, III; et opinio cuiuslibet Scriptoris, etiam argumentis suffulta, quae ceterum sunt contraria decreto, non est attendenda.

V. Responsorium *Ego sum vitis*, quod recitatur in primo Nocturno hebdomadarum post Pascha non est dicendum et in tertio Nocturno, quando fit officium de Martyribus, iuxta communem regulam de *non bis in idem*, agitur enim de eadem hora canonica. Ergo usque dum S. Sedes aliud non decernat, sumatur in tertio Nocturno Responsorium primum eiusdem Communis (I Noct.) *Lux perpetua*.

NOTANDUM. Rogamus R.dos Consociatos, ut quando aliquod dubium proponere *Ephemeridibus* nostris cupiunt, perpendant utrum iam in eisdem *Ephemeridibus* alias, saltem de recenti tempore, enucleatum sit, quia Redactores a Directione reprehenduntur de repetitionibus eorundem argumentorum.

Pro Gallia. — I. In *Ordine* pro 1916, nostrae dioecesis, semper indicatur dies lunae. Pro 1916, litterae Dominicales sunt B. A. Epacta 25; numerus aureus 17; prima dies lunae in 1916 est ergo 6 ianuarii; ultima dies, 3 februarii; et secunda luna incipit 4 die februarii et finitur 4 martii, ita ut, alternatim, mensis lunae compleatur 29 diebus et 30 diebus. Utrum ita recte ordinatur numeratio? Specimen Kalendarii in *Ephemerides Liturgicae* non indicat lunationem; opportunum tamen esset.

Resp. Recta est numeratio indicata, praeter terminum lunae die 4 martii, qui esse debet 5. Satis sit inspicere Martyrologium romanum in suo capite « Explicatio... ad pronuntiationem lunae », et in consequenti tabella temporaria, ex quibus patet, anno 1916, literam Martyrologii esse F nigram, sub qua, nempe, die 6 ianuarii, invenitur pronuntianda luna prima; die 3 februarii luna 29; die 4 februarii luna prima; die 5 martii luna 30. Notetur quod numeratio lunae in Martyrologio non convenit cum astronomica, et sexto Kalendas martii, in bissestili prout est 1916, duobus nempe diebus, 24 et 25, luna eadem pronuntiatur, quae est 21: litera quippe Martyrologii non mutatur in bissextili.

II. Die 28 iunii 1916, quamvis duplex maius sit simplificatum, *apud nos*, propter diem infra octavam Corporis Christi, legenda est ne tamen IX lectio homiliae Vigiliae SS. Petri et Pauli, et non duplicis mai, simplificati?

Resp. Legenda est IX lectio homiliae, uti eruitur e rubrica particulari post diem festum SS. Corporis Christi, in qua excluditur tantum IX lectio *alicuius festi commemorati*, et non alia, quae tamen obvie supponi debet aliquando occurrens.

III. Utrum die 4 iulii 1916 sit faciendum *apud nos*, de 2ª die infra octavam Anniversarii Dedicationis Ecclesiae Cathedralis, vel de 6ª die infra octavam SS. Petri et Pauli? De Anniversario, mihi videtur, quia festum est Domini.

Resp. Octavae inter se praeferuntur eadem lege, qua festa ipsa ad quae pertinent (Rubr. ex Bulla *Divino afflatu*,

III, 1); atqui festum SS. Apostolorum Petri et Pauli praeferendum est Anniversario Dedicationis Ecclesiae; ergo, die 4 iulii, in casu, agendum est de die infra octavam SS. Apostolorum. Ratio autem praeferentiae festi huius est duplex, nempe, eo quod sit festum ex solemnioribus Ecclesiae universalis, et habeat adnexam feriationem.

Pro variis locis. — I. Iterum quaestio, utrum Regulares, proprium habentes Kalendarium, recitare debeant Symbolum in Missa, in festo Titularis Ecclesiae Cathedralis, *extra vero Ecclesiam Cathedralem.* Videbatur quod sic: Symbolum enim recitandum est in Ecclesia propria: et ex decreto 4249, ad III, Cathedralis habenda est, etiam Regularibus, Ecclesia propria. Responsum est contra, in *Ephem. Liturg.*, 15 aprilis 1915, pag. 251: « Recitatio Symboli in Missa non dependet ex qualitate festi, an sit primarium vel non; sed ex alia ratione, vel Patronatus, vel Tituli in Ecclesia propria, etc. » Ergo a Regularibus non est dicendum Symbolum. Porro, prima fronte, placuerat solutio. At mihi attentius consideranti, et ipsasmet datae solutionis rationes allatas perpendenti melior videtur solutio contraria. Etenim: *a)* quando dicitur, recitationem Symboli non pendere ex qualitate festi, an sit primarium necne, assentior. *b)* Sed additur recitationem Symboli ex alia ratione, v. gr. quod festum sit *Titulare propriae Ecclesiae:* cui libenter etiam assentior. Porro, praecise, decretum 4249, ad III, affirmat festum Dedicationis et Tituli Ecclesiae Cathedralis esse primarium, et rationem dat, quia « Ecclesia Cathedralis dicitur omnibus de Clero *propria*, aut ratione Beneficii, *aut ratione subiectionis etiam pro Regularibus* ».

Ex hac ipsa clara responsione concludo Symbolum in Missa esse recitandum in festo Titulari Ecclesiae Cathedralis, etiam extra Ecclesiam Cathedralem, quia festum Ecclesiae Cathedralis remanet in tota Dioecesi, etiam pro Regularibus, *festum Ecclesiae propriae.*

Secus, nec ceteri de Clero saeculari extra Cathedralem Symbolum recitare deberent.

Resp. Exclusimus in citata responsione rationem *primarietatis*, quae invocabatur ad sustinendam recitationem symboli extra ecclesiam cathedralem die festo huius Titularis; nunc invocatur ratio de *proprietate*, et concluditur, secus neque clerum saecularem deberet recitare symbolum extra dictam ecclesiam. Hisce respondemus: 1° *Proprietas* non est ratio inducens recitationem symboli; est v. gr. proprius S. Leo III pro clero romano, et tamen non habet symbolum ex hac ratione; ad quid ergo invocatur *proprietas*, in casu? 2° Reipsa clerus saecularis dioecesis, nequit *Credo* recitare in Missa die festo Titularis ecclesiae cathedralis, celebrans extra propriam ecclesiam. Nos igitur, quamvis, uti alias diximus, exspectemus benignam decisionem S. Sedis, quae symbolum admittat, etiam extra ecclesiam propriam Titularis, ubi ratione tituli festum ipsum celebratur; nunc standum praesenti legi, omni cum reverentia, quae lex clarissimis verbis expressa habetur in decreto n. 2189: *Non esse* recitandum symbolum Apostolorum, in festo Sancti Titularis, *nisi* in ecclesia propria; adverte: praepositionem **In**, scilicet: *in ecclesia*, affirmative; *extra ecclesiam*, negative. Quid clarius?

II. In numero ultimo *Ephemeridum Liturgic.*, pag. 305, *pro loco B*, respondetur:

Ad 1^{um}, dici posse Missam Simplicis occurrentis in feriis Quadragesimae vel in Vigiliis propriam Missam habentibus. Item, ad 2^{um}, dici posse Missam Simplicis commemorati (v. gr. S. Lucii) in festo semiduplici S. Casimiri Regis. Ubinam reperitur data haec licentia? Ratio enim data est mere negativa: *quia, scilicet, Missa horum Simplicium non est votiva, sed festiva*. Quid inde? Non sunt Missae votivae Missae horum festorum simplicium: verum est. At, non ex hoc quod essent votivae, hae Missae Simplicium excluduntur. Sed quia non indicantur in norma posita n. 2, tit. X Rubricarum servandarum iuxta Constitutionem *Divino afflatu*, quae talis est: In feriis Quadragesimae, quatuor Temporum, II Rogationum et in Vigiliis, *si occurrat fieri Offi-*

cium alicuius festi duplicis aut semiduplicis, Missae privatae dici poterunt ad libitum, vel de festo vel de feria aut Vigilia. Sed in hoc textu *omnino tacetur* de festo quocumque simplici. Et quidem recte, quia bene habetur occurrentia festi simplicis cum feria maiori aut Vigilia, sed nequaquam occurrentia feriae maioris aut Vigiliae *cum officio simplici.* Porro facultas data celebrandi Missam feriae aut Vigiliae datur in supradicto decreto Missae, quae secus dici deberet concordanter cum Officio recitato festi occurrentis duplicis vel semiduplicis. Si ipsum *Officium feriae* praestaret Officio festi occurrentis, ut, v. gr., in feria IV Cinerum, nequaquam Missa festi occurrentis duplicis aut semiduplicis permitteretur. Ergo, cum Officium feriale in feriis maioribus et Vigiliis, semper praestet festo cuicumque simplici, numquam videtur licitum dicere Missam festi simplicis in feria quacumque propriam Missam habente.

Extra Quadragesimam, libenter concederem liceitatem Missae Simplicis concurrentis cum Officio semiduplici, v. gr. S. Lucii in festo S. Casimiri, praecise, quia, cum Missae privatae votivae concedantur in festo semiduplici, a fortiori Missa Simplicis occurrentis; sed per Quadragesimam, Missa feriae permittitur sola, et obstat quominus dicatur Missa Simplicis.

Resp. Dispositio rubricae novissimae citatae, est in favorem feriarum Missam propriam habentium, quae antea prohibitae erant, si haberetur occurrens Officium duplex. Quid ergo contra solutionem datam in *Ephemeridibus* circa Missam de Simplici? Simplex, occurrens cum dictis feriis, non impediebat neque Officium neque Missam de feriis iisdem; ergo privilegium tituli X, n. 2 novarum rubricarum, favet feriae pro casibus, in quibus veteres rubricae ei obstabant circa Missam. Casus hodiernus noster, non est idem; feria enim nihil perdit: dicitur eius Officium et dicitur regulariter eius Missa.

Hoc tamen imminuere non potest ius Missae festi simplicis, nisi feria sit privilegiata. Sunt res totaliter diversae:

1° Missa ferialis dici *potest*, in casibus expositis, etiamsi non dictum sit eius Officium; 2° Missa de Simplici dici *potest*, etiam si, in eisdem casibus dictum sit Officium de feria. Ubi contradictio? Ubi incohaerentia? Ubi vulnus legis?

Brevi argumentandi ratione usi sumus, ex defectu temporis, si tamen rev. Inquirens non acquiescit, faveat indicare, eo quod rem fusiori calamo explicare parati sumus.

THEOLOGIA LITURGICA

(Continuatio. V. n. 4 curr. an., pagg. 317-320).

59. Quod si statui innocentiae non congruebant opera propitiatoria, maxime congruebant opera latreutica, eucharistica et impetratoria, scriptum est enim « Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies (1) ». Adoratio est honor Deo deitus propter eius infinitam excellentiam, et in obsequium servitutis divinae dominationi respondentis (n. 36). Est hic praecipuus actus religionis ab ipsa naturali synderesi dictatus homini (2), qui etiam solo naturali rationis lumine ductus novit Deum colendum esse, non solum interius per actus interiores animae, sed etiam exterius per actus exteriores corporis.

Sicut latreutica, ita etiam eucharistica opera conveniebant statui innocentiae; ea enim praecipiuntur a sensu grati animi erga Deum, qui tot tantaque beneficia largitus erat homini innocenti. Conveniebant pariter opera impetratoria quia etiam in statu innocentiae creatura humana eget gratiis et beneficiis Dei; pro quibus oportet semper orare. Quis ergo dubitare potest protoparentes nostros hisce officiis pietatis defuisse?

60. Nec omittendum quod coniunctio maritalis, a Deo ipso immediate sanctificata, individuam vitae societatem etiam in reli-

(1) Deuter. VI, 13.
(2) Principium synderesis est: « Deus est colendus ».

gionis actibus eis imponebat. Praeterea protoparentes humani generis non ignorabant ipsos iunctos esse non tantum in societate maritali, verum etiam in societate theocratica, ita ut constituerent primam societatem theocraticam inter homines, sive ecclesiam militantem in terra. Cuius ecclesiae caput et sacerdos erat Adam, non tantum quia vir caput mulieris et familiae, quantum quia caput humani generis a Deo ipso constitutus, ut commercium humanae familiae cum Deo initiaret atque dirigeret.

61. Quod si quaeratur de operibus liturgicis in particulari, qualia sunt sacramenta, sacrificia, dona et alia quae constituerunt postea sacram liturgiam in lege scripta et in lege nova, nihil certi affirmare possumus, quia neque scriptura sacra, neque divina traditio de hoc documentum aliquod continent. Quoad Sacramenta S. Thomas quaerit: Utrum etiam ante peccatum fuerint necessaria sacramenta? et respondet negative: cuius ratio accipi potest ex rectitudine illius status in quo superiora inferioribus dominabantur, et nullimodo dependebant ab eis; unde in statu innocentiae homo sacramentis non indigebat (1). Utrum autem sacramenta in statu innocentiae extiterint, nec ne, S. Doctor non quaerit: attamen thomistae ex adducta ratione attribuunt ei sententiam negantem existentiam sacramentorum ante peccatum (2). Defectus autem indigentiae alicuius divinae institutionis est ne argumentum eam non extitisse?

62. Ex doctrina S. Thomae trahi potest argumentum pro existentia operum liturgicorum in statu innocentiae, etiam quoad sacramenta, et alia media sensibilia pro collatione gratiae. Docet angelicus Doctor quo ad divinam Providentiam pertinet ut unicuique provideat secundum modum suae naturae et conditionis: sed humanae naturae proprium est ut per corporalia et sensibilia in spiritualia et

(1) III. Quaest. LXI, art. 11. Haec ratio vim habet contra necessitatem Sacramentorum, non autem, saltem directe, contra existentiam eorum. Posset enim quis dicere: non fuerant necessaria, tamen extiterunt. Ut ex defectu necessitatis argui possit quod de facto non extiterint sacramenta demonstrandum esset Deum necessaria tantum homini innocenti conferre debuisse. Hoc autem quisnam demonstrabit? Hic autem non erit abs re sententia S. Augustini: « In nullum nomen religionis, seu verum seu falsum coadunari homines possunt nisi aliquo signaculorum seu sacramentorum visibilium colligentur » (Contra Faustum, 19).

(2) BILLUART. Tract. De Sacramentis in communi. Dissert. II. Suppono 1. Supponit hic Auctor iuxta communem theologorum sententiam in statu innocentia non extitisse sacramenta. Idem asserit Ad. Tanquerey, qui addit: « aliunde ille status brevissimo tempore duravit, et instituere sacramenta tam cito abolenda conveniens non erat » (Synopsis Theologiae Dogmaticae. De Sacramentis in generali. Cap. 1, art. 11). Quae ratio si vim haberet, valeret etiam pro quocumque medio gratiae pro statu innocentiae instituto.

intelligibilia deducatur, conveniens ergo erat ut Deus gratiam, et alia dona spiritualia etiam homini innocenti per corporalia et sensibilia conferret. Caterum prae oculis habendum est quod protoparentes humani generis simul iuncti in societate maritali et domestica iuncti pariter erant in societate theocratica, et constituebant ecclesiam, non certe evolutam, ut facta est in decursu temporis, sed in statu embryonali, si ita dici potest. Sed etiam in tali statu erat corpus morale, seu mysticum, compactum et connexum per omnem iuncturam subministrationis secundum operationem in mensura uniuscuiusque membri. Nec refert quod duo tantum sint membra huius corporis, semper enim ut membra constituant corpus necesse est iungantur simul periuncturas subministrationis secundum operationem in mensura uniuscuiusque membri. Haec omnia referuntur ad opera liturgica, quae constituunt commercium spirituale inter mystici corporis membra.

63. Ad secundum quaesitum: quantum temporis duraverit status innocentiae? Quaesitum hoc non est alicuius momenti pro praxi; illud tamen proponendum ducimus, sive quia de illo agitur communiter a theologis, sive quia refertur ad primordia ecclesiae et sacrae liturgiae. Multae ergo et dispares sunt opiniones Patrum et theologorum circa durationem status innocentiae protoparentum. Certe duravit usque ad peccatum. Quaeritur ergo quando protoparentes peccaverint. Quidam dixerunt eos peccasse eadem die qua creati fuerunt; alii postridie; aliqui post octo dies; aliqui post quadraginta; alii tandem post triginta quatuor annos (1). Cuinam fundamento tot dispares sententiae innitantur non refert investigare, cum agatur de re circa quem desunt omnino documenta, sive in scriptura sacra, sive in traditione. Attamen scriptura plura narrat, quae facta sunt ante peccatum.

1. Tulit Dominus Deus hominem et posuit eum in paradiso voluptatis - (Gen. II, 15) - ex hoc arguitur quod homo creatus fuit extra paradisum - 2. Praecepitque ei dicens: ex omni ligno paradisi comede; de ligno autem scientiae boni et mali ne comedas; in quocumque die comederis ex eo, morte morieris - 3. Formatis Dominus Deus de humo cunctis animantibus terrae et volatilibus caeli, adduxit ea ad Adam ut viderer quid vocaret ea; - 4. Appellavitque Adam nominibus suis cuncta animantia, et universa vo-

(1) Cf. Cornelium a lapide, Comment. in Genesim, 1. 23 — Cf. Scienza Liturgica. Parte prima. Lezione Quarta, n. 66, 1897.

latilia caeli; – 5. immisit Dominus Deus soporem in Adam; – 6. cumque obdormisset tulit unam de costis eius et replevit carnem pro ea; – 7. et aedificavit costam quam tulerat da Adam in mulierem; – 8. et adduxit eam ad Adam; – 9. dixitque Adam; hoc nunc os de ossibus meis, et caro de carne mea; haec vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est; – 10. Necesse fuerat ut uterque nossent ligna paradisi de quibus comederent, et lignum scientiae boni et mali de quo Deus praeceperat ne comederent; – 11. Quoniam Deus praeceptum hoc dederat Adamo in particulari, debuit postea Adam illud communicare mulieri; – 12. Ex hoc quod serpens accessit ad mulierem ut tentaret eam, argui potest quod ipsa sola deambularet tunc in paradisum; – 13. conversatio et tentatio qua seducta fuit mulier; – 14. tulit mulier de fructu vetito et comedit; – 15. deditque viro suo qui comedit (1). Haec omnia ut honeste et cum ordine perficerentur requirebant aliquod tempus; et hoc est tempus quo duravit status innocentiae; quanta autem fuerit huius temporis longitudo vanum est inquirere, desunt enim, ut diximus, omnia documenta certa et fide digna.

64. Attamen non videtur indubiis argumentis innixa opinio tenens statum innocentiae brevissimo tempore durasse, ut v. gr. aliquot diebus, vel horis. Quomodo enim tam cito protoparentes oblivisci poterant beneficiorum Dei, et avertere se ab eo propter mendacem assertionem serpentis? Quomodo in brevissimo temporis intervallo assentiri poterant fallaci proposito elevationis indebitae oblatae a serpente in contemptum ipsius Dei, ut fieri possent sicut dii?

65. *Sed et serpens erat callidior cunctis animantibus terrae quae fecerat Dominus Deus* (2); et seduxit Hevam astutia sua (3). Sed serpens visibilis et corporeus erat instrumentum alterius serpentis spiritualis et invisibilis, qui in Apocalypsi dicitur: « *draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus et satanas, qui seducit universum orbem* » (4). Quod si serpens animalis erat callidior cunctis animantibus terrae serpens antiquus qui in animali, aut per animal locutus est Hevae callidior fuit progenitoribus nostris. Enimvero maxima calliditate opus ut suaderet eis se futuros esse sicut deos scientes bonum et malum si comedissent de fructu ligni vetiti.

(2) Gen. III.
(3) II. Cor. XI, 3.
(4) Apoc. XII, 9.

66. Quod si obiiciatur quod Adam « *non est seductus, mulier autem seducta in praevaricatione fuit* », ut scribit Apostolus ad Timotheum (1); non sequitur ex hoc quod serpens non deceperit Adam; quin imo in hoc ipso maiori calliditate usus est seducendo mulierem, ut haec postea seduceret virum. Et factum est ita. Etenim Adam qui facile repulisset suggestionem serpentis si serpens ipse illi eam direxisset, non restitit verbis et exemplo mulieris quae tulit de fructu vetito et comedit, deditque viro suo qui comedit (2).

67. Ita consummatum est peccatum protoparentum, et finem habuit status innocentiae et iustitiae originalis. Et hic quam bene facit ad rem lamentatio Hieremiae prophetae: « quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus! », sanctitatem et iustitiam in qua constituti fuerant amiserunt; antea Deo accepti, tamquam filii dilectionis, nunc obiectum irae et indignationis Dei; antea induti vestimentis aureis gratiae, virtutum et donorum Spiritus sancti, nunc expoliati donis supernaturalibus, secundum corpus et animam in deterius commutati, propriae nuditatis erubescunt, et se abscondere nituntur.

(Continuabitur).

(1) 1. Timoth. II, 13.

(2) Gen. III, 6. Propterea legitur in Ecclesiastico: « A muliere initium factum est peccati ». Eccli. XXV, 33.

PROPRIETAS LITERARIA

IMPRIMATUR

Fr. Albertus Lepidi O. P., S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

† Ioseph Ceppetelli, Patr. Costantinop., *Vicesgerens.*

Augustus Zucconi, Director Domus editricis Desclée et Soc., Romae, *Sponsor.*

Ex Officina Polygraphica Latiali, Fratrum Tempesta, Via Boccaccio, 7 - Roma

ROMAE . ANNO . DOMINI . M . D . CCCC . XV.

DIE . XXV . IULII

IN . FESTO . S . IACOBI . APOSTOLI

SANCTISSIMO . PONTIFICI

BENEDICTO . XV

CUIUS . MAIESTATEM

INVERECUNDISSIMUS . VATES

CONTUMELIOSIS . VERSIBUS . CONTAMINAVIT

HUNC . HYMNUM

EIUS . FAUSTO . NOMINALI . DIE

SCRIPTORES . EPHEMERIDUM . LITURGICARUM

CETERIQUE . PRESBYTERI . VINCENTIANI

IN . SOLATIUM . MOERORIS . DEDICANT

HYMNUS

Portae fremant Inferorum,
Insectantium Pontificem:
Dixit Christus, Rex Pastorum:
Stabit Petrus contra artificem
Omnis doli, et iniquorum
Obstinatam franget rabiem;
Petro dedi omnium errorum
Debellare in orbe seriem.

Summe Pontifex, clamamus:
Salve, firma petra Ecclesiae!
Te magistrum praedicamus
Morum et fidei falli nesciae:
Te columnam salutamus
Veritatis integerrimae:
Tuum robur invocamus
In moerore et dubiis animae.

Pro te, sine intermissione,
Ab Ecclesia fiat oratio:
Sub Iacobi protectione,
Vive diu, orbis salvatio!
Sedis Petri in unione,
Sit communis pax et gaudium,
Dum in caelica visione,
Consequamur iuge praemium.

B. VERGHETTI
SS. RR. C. Hymnographus.

S. CONGREGATIO RITUUM

DECRETUM

In LUCIONEN. 12 aug. 1854.

(Continuatio — Vide num. 6 curr. anni, pag. 324-329).

Art. 6. — *De ritibus in Missa servandis.*

19. Iuxta Rubricas Missalis tit. VII, n. 3, hostiae consecrandae pro communione populi ponendae sunt *vel super Corporale, vel in alio calice seu vase:* attamen si multae sunt particulae consecrandae, satius est eas ponere in pyxide; si paucae, poni possunt in alia patena, numquam vero in alio Corporali complicato.

20. Confirmatur Decretum d. d. 3 sept. 1661 in *Andrien.* declarans, licitam esse patenae suppositionem per Sacerdotem in communione generali, et applicatur etiam ad Diaconum in missa solemni a Sacerdote decantata, in qua fiat Communio, et in casu purificationem quam ministrare deberet Diaconus, iuxta Rubricam Missalis (II, x, 9), si habeatur consuetudo, clericus ministrare potest.

21. Ad praecavendam sacrorum fragmentorum perditionem, non potest ipse Sacerdos, sive intra missam sive extra ipsam, communionem distribuens, te-

nere patenam inter digitos manus sinistrae, quae sacram pyxidem gestat, ut eam sic mento communicantium supponat.

22. Ut praecaveatur sacrorum fragmentorum dispersio, dum communio administratur, pro missis solemnibus sufficit dispositio data ad 20: quoad alias, cura et solertia Sacerdotis supplere debet.

23. Quando communio ministratur monialibus ad fenestellam clausurae, et muri crassitudo impedit quominus Sacerdos, prope os communicantium pyxidem admoverepossit, licet servare consuetudinem apponendi supra linteum ante communicantes, laminam deauratam ad recipienda fragmenta.

24. Purificatio communicantium de qua loquitur Rubrica Missalis (II. x, 9) et Caeremoniale Episcoporum (II, 29, 4), ubi non est in usu, potest omitti, ut provisum est in 20.

25. Oratio *Deus, qui humanae substantiae*, incipienda est eodem momento quo Sacerdos benedicit aquam, non vero post factum signum crucis debet inchoari.

26. Decretum in *Londinen.* 11 sept. 1847, de missa solemni, quod statuit consuetudinem non adhibendi planetas plicatas, esse eliminandam, vel potius missam celebrandam esse sine ministris, spectat tantum ecclesias cathedrales et collegiatas, non vero minores ecclesias, de quibus loquitur rubrica Missalis I, xix, 7.

27. An dicendum sit in ℣. Gradualis in festo VII Dolorum b. Mariae *Hoc Crucis fert supplicium auctor*

vitae factus homo, vel *hoc Crucis fert supplicium vitae factus homo,* dilata responsio.

28. Arbitrio et prudentiae Ordinarii remittitur, an expediat inducere praxim lavandi manus, postquam Sacerdos exuerit vestes sacerdotales, ubi non est in usu, non tamen per modum praecepti.

29. Quando festum S. Barnabae occurrit die 23 iunii, cum eadem sit secreta missae cum vigilia s. Ioannis Baptistae, pro sancto Barnaba sumenda est secreta s. Matthiae, mutato nomine.

30. In locis ubi operarii sutores postulant a parochis missam in honorem Ss. Crispini et Crispiniani, die 25 octobris, qua in kalendario dioecesano occurrit festum duplex, ex indulto Ordinarius potest concedere missam in cantu de Communi, non vero expedit, ut in missa de festo occurrenti addatur oratio de communi plurimorum Martyrum.

Commentarium.

Ad 19. Paragraphum istum citat P. Schober (Caer. Mis. II, nota 25) et postea (VII, 6) docet: « Quando sacerdos plures particulas pro communione fidelium consecrare debet, ponantur si paucae sint, quinque videlicet vel sex, super patenam sub hostia: et facta oblatione, super corporale ex parte evangelii collocentur, semper tamen super petram sacram (1) in aliqua distantia a magna hostia. Si

(1) Hinc communiter auctores, et nonnullae Instructiones Dioecesanae, praescribunt quod ara lapidea, quae insertur in altaribus non consecratis, seu *petra sacra,* talis sit dimensionis, ut commode capiat hostiam, calicem et etiam pyxidem pro consecratione hostiarum. In Visitatione apostolica pro alma Urbe, a s. m. Pii X praescripta, lapis sacer de quo agimus, ad minimum patere debet cent. 33×25.

sunt multae, ponantur in pyxide vel super corporale, ut dictum est, et si in pyxide afferantur, haec ponatur retro post calicem, et Sacerdos, antequam accipiat patenam calicis, illam discooperiat, non tamen pyxidem a loco moveat, et in offertorio intentionem suam etiam ad illam dirigat ». Et notat quod si loco pyxidis adhibeatur calix alter, post oblatas hostias cooperiri debet cum alia palla, sicut pyxis cooperitur cum suo operculo.

Praesens decretum autem omnino excludit, quod loco calicis vel pyxidis in casu adhibeatur aliud corporale complicatum. Pro intelligentia huiusce exclusionis, convenit ut hic tradamus verba quaesiti a Curia Lucionen, propositi, nempe: « An hostiae consecrandae poni possint in alio corporali complicato, in parte corporalis superposito, quod tempore oblationis, et consecrationis explicetur, ut discooperiantur hostiae? » ; et S. R. C. respondit *negative*. Licet ergo in primitiva Ecclesiae disciplina, in appositis linteaminibus deferebatur et custodiebatur Ss.ma Eucharistia, in hodierna tamen numquam rubricae supponunt, ut Hostiae consecratae in complicato corporali permaneant.

Ad 20. Citatum decretum in Andrien. 3 sept. 1661 n. 1210 declarat, retinendam esse patenae suppositionem per sacerdotem cotta indutum in communione generali, quae per Dignitatem agitur: quae in hoc decreto S. R. C. opportune et iisdem ex causis, applicantur etiam ad diaconum. Quod autem attinet ad purificationem labiorum communicantibus tradendam, notandum est, quod Rubrica Missalis (II, x. 9) dicit: « Si in missa solemni fiat communio... Diaconus purificationem eis (communicatis) ministret ». Si ergo Diaconus patenam supponit communicantibus, iam impeditus est, quominus purificationem iis ministrare possit: hinc S. R. C. respondit, in casu posse servari consuetudinem, qua clericus ipse purificationem ministret. Iuxta ritum Ambrosianum, deponuntur nonnulla vasa cum aqua apud locum, in quo distribuitur sacra communio, ut quisque ex fidelibus, si velit, purificari queat.

Ad 21 et 22. Praelaudatus P. Schober (XI, nota 3) iterum ad rem nostram decretum istud in Lucionen. refert. Pretium est operis referre quod legitur in Caerem. Parochorum cl. De Amicis (p. 1. sect. I. c. 1 n. 19). Si in altari, in quo Eucharistia est administranda, deficiat tabulea linea super balaustrio extensa, adhibeatur linteum manuale, seu tabella aut discus mappa linea coopertus, quo utantur communicantes, cum ss. Eucharistiam accipiunt.

Attamen S. R. C. decreto suo 20 martii 1875 (Act. S. Sedis VIII, p. 425) toleravit usum disci metallici qui in compluribus ecclesiis adhibetur. Quia vero antiqua disciplina, nihil aliud ad Eucharistiam accipiendam adhibuit, nisi solum linteum; sunt nonnulli doctores, antiquitati forsan nimis adhaerentes, qui ecclesiarum rectores hortantur, ut disco cuicumque metallico deinceps valedicant. Fatendum est tamen quod per discum metallicum, multo melius providetur fragmentorum collectioni. Licet enim, ut ait De Herdt (I, 273) « plures auctores credant, Angelos assistere et particulas decidentes colligere, a nostra equidem parte omnino providendum est, ne culpa nostra deperdantur, et irreverenter tractentur. » Et sane, Rubricae (tit. VIII. n. 5) exigunt quod sacerdos, post factam consecrationem Hostiae, *deinceps pollices et indices non disiungat,... usque ad ablutionem digitorum post communionem*. Similiter (tit. X, n. 4) sacerdos post communionem sub specie panis *inspicit corporale, colligit fragmenta cum patena, si quae sint in eo. Patenam quoque diligenter cum pollice et indice dexterae manus super calicem extergit, et ipsos digitos, ne quid fragmentorum in eis remaneat*. Ex quibus Rubricis, sicut et aliis quibus consulitur *si aliquid Sanguinis Christi ceciderit*, vel *si Hostia consecrata vel eius particula dilabatur in terram*, satis superque noscitur, quanta cura et diligentia sancta mater Ecclesia procuret ut minima quoque fragmenta sacrarum specierum colligantur: imo, vult quod ipse *locus, ubi cecidit* (Hostia) *mundetur, et aliquantulum abradatur et pulvis, seu abrasio huiusmodi in sacrarium immittatur*. Ergo nostro iudicio non est dam-

nanda consuetudo utendi disco metallico, ex quo opportune sacerdos, post communionem populi, colligere potest fragmenta. Attamen curandum est omnino, ut discus huismodi sit bene inauratus, et cautissime custodiatur, ad instar patenae, alioquin adhibeatur tabella, linea tela cooperta.

Ad 26. Ex huiusmodi declaratione, patet quod in ecclesiis minoribus, de quibus loquitur Rubrica Missalis (I, xix, 7) possunt ministri sacri servire ad altare diebus poenitentialibus in albis; in cathedralibus vero omnino adhibendae sunt in casu planetae plicatae. Hoc sensu accipi debet citatum decretum in *Londinen*.

Ad 27. Responsio dilata fuit a consultore, sed in Missali typico, quod est omnino sequendum, posita sunt verba: ..... *hoc Crucis fert supplicium, auctor vitae factus homo.*

Ad 28. Sunt plures qui cum Gavanto (II, xij, 6) suadent sacerdotibus lavare manus, postquam exuerint missalia paramenta: alii cum Hippolyto a Portu, omnino vetant, quia rubricis nil addendum esse videtur. Inter huiusmodi doctorum discrepantiam Episcopus Lucinonen., occasione, ut diximus, instaurationis liturgiae romanae, quaesivit quid esset in casu agendum: et S. R. C. opportune respondit, rem relinquendam esse arbitrio et prudentiae Ordinarii, qui disponere debet, quid sibi placet, non tamen per modum praecepti. Ergo celebrans, potest, si velit, ablutionem facere vel non.

Ad 29. Cum ex novis Rubricis nunc transferri nequeant festa impedita, huiusmodi responsum, non amplius applicari potest.

Ad 30. Huiusmodi dispositio per novas Rubricas clariorem applicationem accepit, eo quod nunc, de sancto simplici occurrenti, missa celebrari potest. Scimus quod de Ss. Crispini et Crispiniani festo in calendario Lucionen. nil fiebat, ut patet ex hac resolutione, ideoque novissima Rubrica non faceret ad rem: nihilominus apparet, s. Matris Ecclesiae mentem esse, ut de Sancto, qui recolatur a populo ex devotione, dummodo agatur de Sanctis in Marty-

rologio romano inscriptis, vel saltem in appendice adprobata ipsius Martyrologii, missa celebrari queat. Mirari autem quis poterit, cur huiusmodi paragaphus neget in casu quod fiat commemoratio de Sanctis praedictis in missa de die: hodie forsan etiam hanc commemorationem concederet S. R. C., si Ordinarius loci postularet.

Art. 7. — *De Horis canonicis.*

31. In II Vesperis festi pretiosissimi Sanguinis dicendae sunt Antiphonae ut in I Vesperis.

32. In Dominica post Octavam Oo. Ss. in qua ex indulto Pii vij celebratur Anniversarium Dedicationis Omnium Ecclesiarum Galliae, non est agenda commemoratio Dedicationis Cathedralis, extra ipsam.

33. Circa locum dictae commemorationis, provisum in praecedenti.

34. Officium votivum Ss. Sacramenti recitandum est, ut in Breviario, nihil addito vel dempto, ideoque non est applicandum in casu decretum 29 nov. 1708 in *Chartagin.* ad iv, de retinendo *Alleluia* in fine antiphonarum, quarum verba exprimunt gaudium, victoriam et similia.

35. Licet S. R. C. concesserit patribus Theatinis, ut servare possint consuetudinem circa Pluviale, quod assumitur apud ipsos a Celebrante in Vesperis, tantum a Capitulo, haec tamen concessio extendi non debet ad alias ecclesias, sed ubique servanda est dispositio Caeremonialis et Decretum 20 iulii 1593 statuens, quod hebdomadarius indui debeat pluviali a principio Vesperarum.

36. Acolythi quando accedere debent ante Hebdomadarium in Vesperis vel inde recedere, genufle-

ctere debent tantummodo in transitu ante medium Altaris.

37. Dilata; iterum proponatur dubium, an in lib. II, c. 14, n. 5 Caeremonialis Episcoporum, legendum sit: *ob reverentiam divinae Incarnationis,* vel *ob reverentiam divinae invocationis,* ut habet editio Romana Typ. de Propaganda Fide anni 1848.

38. Posito quod in praefato loco legendum sit: *ob reverentiam divinae Incarnationis,* quaeritur utrum cum Gavanto (X, iij, 15) et Bauldry (I, v, 13) exinde concludi debeat, servandum esse a Celebrante ritum ibi descriptum (elevandi et iungendi manus) quoties inchoat alios hymnos, quorum initium continet divinam invocationem, quales sunt Hymni « *Creator alme siderum; Audi, benigne conditor; Placare, Christe, servulis* ».

Ad quod dubium 38 responsum fuit: ad proximum. Videtur tamen occurrisse hoc loco erratum, quia responsum certo fuit: Ut in praecedenti, scilicet dilata.

39. Laudandus est usus recitandi in Vesperis Canticum *Magnificat* a Celebrante cum adsistentibus in thurificatione Altaris.

40. In Sabbatis Quadragesimae ad Antiphonam finalem b. Mariae in Vesperis ante meridiem celebratis, standum est, non vero genuflectendum, ut docet Manuale ecclesiasticum n. 167 edit. rom. 1853.

41. Episcopus postulet indultum, ut Sacerdotes, qui ad Spiritualia exercitia obeunda conveniunt, in Seminario possint recitare simul officium divinum, iuxta calendarium Seminarii vel Cathedralis, omisso officio proprio cuiusvis.

Commentarium.

Ad 31. De antiphonis dicendis in II Vesperis festi Pretiosissimi Sanguinis, nihil dicendum venit; forsan in editionibus breviarii id explicite non dicebatur. Hodie vero huiusmodi declaratio valet tantummodo, pro locis in quibus festum ipsum celebratur sub ritu I classis, prouti notatur in Breviarii editione typica.

Ad 32, 33 et 34. Nil est declarandum, cum hodie in praxi, quid sit agendum disponant novissimae rubricae.

Ad 35. In casu agitur de indulto concesso Patribus Theatinis, quod extendi nequit ad alias ecclesias, ideoque standum est ad dispositionem Caeremonialis.

Ad 36. Acolythi numquam ante hebdomadarium accedentes, vel recedentes ab eo, genuflectere debent, sed tantum cum acceptis candelabris, ab utroque cornu altaris, per medium altaris transeunt, iuxta rubricam et praxim universalem.

Ad 37 et 38. Standum est editioni typicae Caeranialis Episcoporum.

Ad 39. Caeremoniale Episcoporum nil dicit de recitatione cantici *Magnificat* a celebrante in Vesperis, dum incensat altare; hoc loco ergo declarat S. R. C. huiusmodi consuetudinem esse laudandam.

Citatus P. Schober (Caeremoniale, V,ij, 9) cum Cony id ipsum docet, et citat huiusmodi decreti in *Lucionen.* paragraphum.

Procul dubio, cum celebrans incensando Altare canticum canere cum choro nequeat, valde congruit ut cum ministris illud recitet, licet non sit de praecepto.

Ad 40. Vesperae quae recitantur in Quadragesima ante meridiem, non sunt nisi vesperae anticipatae quae celebrari deberent ad occasum solis, ante unicam comestionem. Cum autem in praesenti disciplina comestio vespertina in diebus

ieiunii anticipetur in meridie, vesperae ante comestionem meridianam censentur ac si recitarentur sua hora naturali. Hinc, cum in Sabbatis antiphona B. M. V. finalis dicenda post vesperas, recitari debeat stando, ita etiamsi persolvantur Vesperae micante sole et non sero, iam enim liturgice loquendo coepta est dies dominica.

Ad 41. Privilegium ut omnes de clero spiritualibus exercitiis vacantes divinum officium recitare possint iuxta calendarium proprium, habent ex. gr. Presbyteri Congregationis Missionis ac aliae nonnullae Communitates Religiosae. in quarum domos solent convenire clerici pro huiusmodi sacris recessibus.

Notandum est autem, quod privilegium istud valet pro recitatione in communi, quia, qui recitat horas canonicas privatim, sequi debet calendarium proprium, si sit beneficiatus, et congruit si beneficiatus non sit. Qui tamen in communi recitavit matutinum cum laudibus, et privatim horas minores persolvit, has etiam iuxta communitatis calendarium persolvere debet, ut patet.

Art. 8. — *De Officio parvo b. Mariae V.*

42. Quando recitatur Officium parvum b. Mariae a clericis non in sacris, dici non debet ante horas *Pater* et *Ave,* et ante Matutinum et Primam etiam *Credo,* et est in casu applicanda Rubrica Tit. 32, n. 3 assignans tantum *Ave,* pro initio Officii parvi, quando non coniungitur cum Officio divino, adeo ut sufficiat etiam ante Matutinum salutatio angelica.

45. Officium parvum b. Mariae concludi debet a clericis non in sacris prout habetur in Breviario.

44. Decretum diei 26 aug. 1752 in *Gadicen.* de non addendo *Alleluia* tempore Paschali in Officio

parvo, et similis Rubrica Breviarii, spectant etiam eos qui solum Officium parvum recitant.

Commentarium.

Ad 42, 43 et 44. Res hisce in responsis declarata per se patet, et nulla indiget illustratione, eo vel magis, quia hodie Officium parvum b. Mariae non amplius recitandum est in choro tamquam pars divini Officii.

Expositio Rubricarum.

Reformatio Breviarii Romani necessaria erat.

(Continuatio, V. num. 5 curr. anni, pagg. 338-349)

D) *Missae Dominicarum omnino sublatae.*

Inter officia in honorem Dei celebrata, praecipuum locum obtinuit semper ac constanter officium diei Dominicae, quae *festum* per antonomasiam vocata est. Dominica substantive sumpta, vox est omnino sacra christianorum; cum enim *dies Domini* sit, in eius honorem ac servitium consecrata, *dies Dominica* dicta est, vel simpliciter *Dominica*, in substitutionem sabbati hebraeorum: « Observantia enim diei dominicae, ait s. Thomas (2, 2, qu. 122, ad 4) in nova lege succedit observantiae sabbati, ex constitutione Ecclesiae et consuetudine populi christiani ». Hinc Augustinus (*Serm.* 151 *de Temp.*) ait: « Dominicum ergo diem apostoli et apostolici viri, ideo religiosa solemnitate habendum sanxerunt, quia in eodem Redemptor noster a mortuis resurrexit... Ac ideo sancti doctores Ecclesiae decreverunt omnem gloriam iudaici sabbatismi in illum transferre, ut quod ipsi in figura, nos celebremus in veritate; quia tunc erit requies nostra vera, quando resurrectio fuit perpetrata ».

D. Cabrol (*Le livre de la prière antique,* 1900, p. 231) sententiam D. Cagin acceptans, docet Dominicam a christianis sabbato suffectam fuisse, quia usus hebraicos deserere cupiebant, ut plane nosceretur, christianam religionem novam esse legem propriam et perfectam, non vero ipsum iudaismum quasi temperatum. Dominica erat etiam dies resurrectionis Domini, prima dies in hebdomada; quia autem conventus liturgicus christianorum sero in sabbato habe-

batur, et liturgia nonnisi in aurora explebatur, Dominica evasit dies liturgica per excellentiam.

De quo in Scriptura praeclarum habetur testimonium, ubi (*Act.* XX, 7) legimus, quod *una sabbati*, prima nempe hebdomadae die, *conveniebant ad frangendum panem;* et in libro *Didachè* (cap. 14) legitur: « Die dominica autem convenientes frangite panem et gratias agite » (Cf. Bäumer, I, p. 60). De qua consuetudine die dominica ad ecclesiam conveniendi, ut sacris interessent mysteriis Christiani, loquitur s. Iustinus (Apologia II): « Die qui Solis dicitur, omnes qui in oppidis vel agris morantur, unum in locum conveniunt ».

Itaque apud Christianos solemnis et observanda dies dominica habita fuit, ideoque, cum divinis mysteriis et Deo directe sacra esset, tanto honore colebatur, ut in ea nullius sancti festivitas celebraretur.

Micrologus (Migne P. L. 151, c. 1013), cuius auctor exeunte saeculo decimo floruit, habet: « Iuxta romanam consuetudinem in omni dominica ecclesiastico conventui cum officio dominicae satisfacimus, nisi aliqua multum celebrior occurrat festivitas ». Similiter Rodulphus Tungrensis (De Can. observ. prop. 13 ed. Hittorp.), qui obiit circa annum 1386, testatur, aetate sua aliquot tantum festorum officia celebrata fuisse, ut b. Mariae, s. Ioannis Baptistae, ss. Petri et Pauli, cum in dominicam diem incidissent, nulla vero iuxta ritum ambrosianum.

Huiusmodi laudabilis mos semper viguit et adhuc viget in ecclesia Mediolanensi, in cuius Breviario legimus (Rubric. gen. n. 3): « Si igitur cum Dominica concurrit (intellige *occurrit*, iuxta romanum ritum) aliquando officium de aliquo festo vel b. Mariae, vel alicuius ex Apostolis, vel sancti Patroni, etiam s. Ambrosii, fit de Dominica, translato officio de sancto, qui in Dominicam inciderit. Si vero ut supra, aliqua solemnitas Domini in Dominicam incidit, fit de illa solemnitate cum commemoratione Dominicae ».

Pariter in concilio provinciali Moguntino (an. 1549)

legitur: « Sed et Sanctorum solemnitates in diem dominicam incidentes, censemus submovendas, quo sanctorum omnium Domino sua conservetur solemnitas ».

Post autem reformationem Breviarii, sub Gregorio ix et Nicolao iij per Franciscanos factam, in gratiam maioris brevitatis officii sanctorum, admissa fuerunt quaelibet festa duplicia, in die dominica, sicque etiam in correctione s. Pii v, mansit praecedentia huiusmodi.

Iuxta ergo rubricas Breviarii, Dominicae minores per annum, locum cedere debuerunt duplicibus etiam minoribus. Attamen notandum est, quod in Breviario Pii v erant tantummodo 36 festa sanctorum et b. Mariae V., quae praeferri poterant Dominicis minoribus; nostris vero temporibus usque ad 184 percrebuerunt in Kalendario universali, et in Kalendario pro clero romano ad 326!!!

Si ergo sub Pio v dies dominica omnibus duplicibus etiam minoribus cedebat, hoc raro contingere poterat; hodie vero e contra, per quam raro, imo aliquibus in dioecesibus et Ordinibus numquam, de Dominica agi poterat officium, nisi in Quadragesima et Adventu.

Quam ingens damnum obveniret, per huiusmodi neglectum ac oblivionem officii dominicalis, sentiunt hodie communiter sacerdotes, legentes pulcherrimas missas Dominicarum, atque sermones Patrum in secundo nocturno, et ex integro homilias in tertio. Parochi autem nunc aiunt: Dominica dies est festum populi christiani per excellentiam; populus autem ea die non pergit ad ecclesiam ut honoret et celebret sanctum aliquem, cuius festivitas per accidens in Dominicam incidit, sed ut Deum directe excolat: opportunum est ergo, imo necessarium, ut non aliud officium, non alia Missa persolvatur, nisi de ipsa die dominica.

Adde, quod Parochi explicationem evangelii dominicalis agere debent in unaquaque Dominica; valde ergo congruit quod explicetur ipsum Evangelium quod legitur suo loco in missa. Adde etiam quod populo, qui iuxta mentem Ecclesiae actioni liturgicae praesens esse debet, summopere

convenit, ut cantui respectivo participet; nemo est ergo, qui non videat commoda multa ac bona, quae proveniunt ex celebratione Missae dominicalis.

Et sane, licet olim difficilius officia duplicia concederentur ut ait Gavantus (III, iij, 4) « ne Dominicae officium quod est Domini, impediatur, quod notat expresse Clemens viij die 19 iulii 1601 », nihilominus, uti supra notavimus, non solum multa festa praescripta fuere sub ritu duplici, sed plurima quoque a ritu semiduplici ad duplex evecta sunt, ut in occurrentia cum Dominica, officium prolixius Dominicale locum cederet officio breviori de Communi. Quod autem contulit ultimum et exitiale vulnus eidem dominicali officio, fuit nimis larga concessio officiorum quae in die dominica fuerunt postea assignata (1).

Quam ob causam auctores omnes melioris notae, ut Gavantus (*loco citato*), Guyetus (I, 1, q. 20), ut de aliis minoribus taceamus, semper conquesti sunt de nimia multiplicatione festorum duplicium, quae impedimentum praebent, quominus officium dominicale recitari queat. Sed ad rem nostram citare hic placet cl. Grancolas, qui (Comm. hist. brev. I, c. 41) scribit: « Est de dominica adnotandum, eam tam Deo sacram habitam fuisse, ut tunc nullius sancti festum celebraretur... Optandum sane esset, ut mos iste (celebrandi nempe Dominica, nonnisi festa solemnissima)

(1) Ut taceamus de festis SS. Nominis Iesu et Pretiosissimi Sanguinis pro universali Ecclesia, et SS. Redemptoris ac Dedicationis Ecclesiarum, pro aliquibus locis, quae festa Domini sunt; Patrocinium s. Ioseph, festa SS. Nominis, Septem dolorum, et Rosari; B. M. et S. Ioachim, plurima alia, ut Maternitas, Puritas, Patrocinium, SS. Cor eiusdem B. Virginis, SS. omnes Pontifices, SS. Reliquiae, Translatio, Inventio aliquorum sanctorum, passim in Dominicis celebrabantur, quod procul dubio nullimode congruit cum antiqua traditione liturgica. Nonnulla religiosorum Instituta, in calendario perpetuo habebant omnes dies dominicas mensium augusti, septembris et octobris, impeditas a festis secundariis mobilibus.

rursum restitueretur, cum hodie nullae fere loco suo constiterint, nisi Adventus et Quadragesimae Dominicae». Doctus iste liturgista, qui diem supremum obiit die 1 augusti 1752 (et plurimum laudatur a Benedicto xiv (De canoniz. Ss. 4, part. 2, n. 5), quid revera diceret, si vixisset hisce nostris temporibus?

Sed et commissioni sub Benedicto xiv pro emendatione Breviarii institutae «displicebat dominicos dies festis plurimis destinatos fuisse» (cf. Roskovány V, p. 547); quapropter, non defuerunt viri docti ac piissimi sive sub Pio vi (Bäumer l. 3, c. 13), sive sub Pio ix, ut Guéranger et plures patres Vaticani concilii, qui vota obtulerunt, ut honor debitus diei dominicae restitueretur.

Quomodo autem huiusmodi restitutio fieri poterat? Bifarie tantummodo; vel supprimendo maximam partem duplicium minorum et maiorum, uti sub Benedicto xiv proposuerat commissio pro reformatione Breviarii, vel moderando Rubricas, ita ut concessa esset Dominicis per annum praeferentia super duplicia, quae non sint saltem 2 classis.

Primum remedium adprobari non poterat: 1° quia id fieri nequibat, nisi cum diminutione cultus erga sanctos; 2° quia officium dominicale, prout iacebat in Breviario, prolixum erat, et valde decet, quod die dominica brevius sit pensum officii, ne sacerdotes diutius detineantur, quominus aliis muneribus fungi utiliter queant, uti postulabant Patres Vaticani. Ergo non aliud remanebat nisi secundum remedium, nempe, ita dignitatem officii Dominicae extollere, ut praeferri posset sanctorum duplicibus minoribus et maioribus quod factum fuit, plaudentibus omnibus doctis viris, in novissima Breviarii reformatione.

Itaque, per huiusmodi novam dispositionem, melius et ordinatius dividuntur Dominicae in tres ordines: Dominicae I Ordinis, nulli festo locum cedunt; Dominicae II Ordinis, cedunt tantummodo duplicibus I classis; Dominicae vero III Ordinis (quae hucusque cedebant cuilibet duplici minori etiam secundario), nunc non cedunt, nisi duplicibus II classis.

(*Continuabitur*)

P. Piacenza.

Acta Academiae Liturgicae Romanae.

Die 3 martii 1915, apud ecclesiam Ss. Trinitatis et S. Apollinaris Congreg. Missionis, habitus est conventus academicus, in quo Rev. Iulius Chiavoni *quaestionem enodavit:*

De Missa pro populo in festis cum feriatione sublata.

Post Censorum animadversiones, R. P. Artistides Gasparri *epitomen resolutionum fecit, ac postea unus ex Presbyteris Congr. Missionis pium sermonem habuit.*

VII.

Raymundus in editione typica Breviarii Pii x, ante tabellas occurrentiae et concurrentiae videt catalogum festorum, quae cum feratione celebrari debent. Inter ea invenit Nativitatem s. Ioannis Baptistae, utrumque festum s. Ioseph, festum quoque s. Ioachim; non vero festa Ss.mi Nominis IESU, et Pretiotissimi eius Sanguinis, et Rosarii B. M. V. Nescit ergo explicare horum festorum omissionem ex una parte, et ex altera nescit, utrum teneatur ad applicandum missae sacrificium pro populo, diebus omnibus praedictis; ait enim: Nativitas s. Ioannis reposita fuerat in dominicam iv iunii, et tunc die 24 non amplius tenebantur parochi ad applicandam missam pro populo, nunc vero, licet in diem 24 iunii restituta fuerit Nativitas sancti Praecursoris, dubium manet, legislator enim mentem suam non aperuit in casu: similiter de aliis festis supra recensitis dubitari potest. Quaerit igitur:

1. *Qua lege teneantur parochi ad applicandam missam pro populo diebus festis; quid de Oeconomo, tempore vacationis paroeciae?*

2. *Quibus diebus mansit huiusmodi obligatio parochorum, et quare etiam diebus festis suppressis?*

3. *Utrum consideranda sint tamquam festa suppressa, cum onere applicandi missam pro populo, festa in casu recensita, et quid speciatim dicendum sit de duobus festis s. Ioseph, et de festo s. Ioachim, quae in catalogo Breviarii inveniuntur descripta?*

Solutio.

Ad I. Licet parochi non habeant officium pastoris veluti proprium, sibique inhaerens *iure divino,* sed illud exerceant ex constitutione ecclesiastica, tamquam adiutores Episcopis, nihilominus et ipsi tenentur iure divino, licet non absolute, pro ovibus suis Missae Sacrificium in Festis offerre. Hoc probatur ex Concilio Tridentino (*Ses. 23, 1. de Reform.*) ubi legitur: « Cum *praecepto divino* mandatum sit omnibus, quibus cura animarum commissa est, oves suas agnoscere, *pro his sacrificium offerre* etc. ». Et Summi Pontifices, praesertim Benedictus xiv (Const. *Cum semper oblatas* 19 aug. 1744) ac Pius ix (Const. *Amantissimi* 3 maii 1858) aperte declarant, obligationem huiusmodi Parochorum, *ex praecepto divino* descendere. Quod probatur etiam ex quamplurimis resolutionibus Congregationis Concilii, et unanimiter docent et tenent Theologi cum Suarez (III, p. t. 3, disp. 86) Pasqualigo (quaest. 851 n. 7) et S. Alphonso (VI, n. 326); et canonistae cum Fagnano (in cap. *Fraternitatem, n. 92*) Barbosa (*de off. et pot. Episc.* 24, n. 23) et Reinffestuel (*de celebr. Mis.* 22).

Ratio est, quia Ecclesia ministerium Parochorum instituit in bonum animarum, et parochis curam commisit ovium,

non modo facultativo, prout sacerdotibus, qui ex caritate curam fidelium exercent, sed modo imperativo, quo obligatio inducitur.

Sub qua obligatione comprehenduntur omnes, qui *actu curam exercent,* sive perpetuo sive temporaneo modo; scilicet sive Parochi veri et canonice instituti, sive Curati ad nutum amovibiles.

Ergo ad hunc effectum, sub nomine Pastorum, veniunt 1° *Episcopi,* qui ut diximus a Deo tamquam veri Pastores constituti sunt. 2° *Parochi,* qui ratione beneficii parochialis directe et principaliter curam ovium gerunt. 3° *Vicarii* perpetui, seu Vicarii curati, qui *actu* curam exercent, dum cura *habitualis* penes alium vel alios remanet. 3° Vicarii, qui vacante paroecia ad curam ipsius deputantur, nempe *Oeconomi spirituales.*

Hi omnes et soli, tam de clero saeculari quam regulari enumerantur a Benedicto XIV in citata sua constitutione (§ 4) his verbis: « Mens nostra et sententia est, sicuti etiam pluries a praelaudatis congregationibus (Concilii) iudicatum fuit et definitum, quod *omnes et singuli qui actu animarum curam exercent,* et non solum parochi aut vicarii saeculares, verum etiam parochi aut vicarii regulares, uno verbo, omnes et singuli, de quibus supra dictum est, atque alii quicumque, etiam specifica et individua mentione digni, nempe teneantur Missam parochialem applicare *pro populo,* ut praefertur, ipsorum curae commisso ».

Itaque hanc obligationem non habent sacerdotes coadiutores, qui revera non subintrant in locum parochi, sed tantum eum coadiuvant; uti cooperatores; et multo minus alii sacerdotes qui missam celebrant diebus festis, pro commoditate populi.

Obligatio autem applicandi diebus festis missam pro populo, est *personalis* et *realis.* Personalis, quia hoc officium sine legitima causa committere Parochus non potest; *realis,* quia si legitime impediatur, pro huius Missae applicatione

in ecclesia parochiali, alterum sibi substituere tenetur. Ita docent omnes theologi, cum Benedicto xiv.

Quando autem Parochus abest a sua paroecia, iuxta resolutionem Congr. Concilii (in *Petrocoren.* 14 dec. 1872) satisfacit suae obligationi Missam applicando pro suo populo, in loco ubi degit, dummodo ad necessariam populi servitutem alius sacerdos in ecclesia parochiali Missam celebret et verbum Dei explicet. Quod si parochus ob infirmitatem, vel alia de causa, Missam in die festo celebrare nequeat, alium Sacerdotem deputare debet, non tantum ad celebrationem, sed etiam ad applicationem Missae pro suo grege. Quod si ob deficientiam alius sacerdotis, parochus vel infirmus, vel quocumque modo impeditus, missam applicare non potuit per alium, tunc quam primum, missam applicare debet, aliis diebus (Acta S. Sedis VII, p. 191).

Ad II. Obligatio applicandi Missam pro populo adest pro omnibus *diebus festis de praecepto,* nec non pro diebus festis abrogatis.

Hoc constat ex constitutionibus pontificiis, et praesertim ex citatis Benedicti xiv et Pii ix. Pro diebus tum *dominicis*, tum qui adhuc sunt festivi *de praecepto,* nullum dubium manet; pro diebus vero in quibus non amplius adest obligatio audiendi sacrum idem Benedictus xiv aperte declaravit (l. c. § 7):

« Et quia in nonnullis dioecesibus numerus dierum festorum de praecepto, de apostolica nostra auctoritate et consensu, eatenus est minutus ut nempe in aliquibus festis christifideles et Missam audire et ab operibus servilibus abstinere debeant, in aliis vero populo permissum sit, opera servilia exercere, firma remanente obligatione audiendi Missae sacrificium, nos, ut obortae iam dubitationes circa onus applicationis Missae parochialis in huiusmodi diebus festis penitus elimínentur, statuimus et declaramus, quod etiam iisdem festis diebus, quibus populus Missae interesse debet, et servilibus operibus vacare potest, omnes animarum curam gerentes, *Missam pro populo celebrare et applicare teneantur* ». Id

pariter declararunt plurimae Congregationis Concilii resolutiones, etiam in casu contrariae consuetudinis, quae tamquam illegitima censenda est.

Ratio autem huius est; quia, licet populus dispensetur, in casu, ab obligatione audiendi Missam, nihilomiuus Parochus pro eo orare tenetur; quod excellentissimo modo fit, per applicationem sancti sacrificii etiam diebus non amplius festivis.

Ad III. In nova Rubricarum reformatione positus fuit secundus character praelationis festorum *Maior solemnitas*; « scilicet si festum celebretur cum feriatione, etiam in foro reducta vel sublata, aut cum octava ». Et sane sive feriatio, sive octava, quibus decoratur aliquod festum, non augent simpliciter solemnitatem ipsius festi nec sunt tantummodo accessoria extrinseca, uti esse solet ex. gr. maior concursus populi, sed revera constituunt quaedam elementa intrinsecae dignitatis liturgicae, quibus exornantur solemniora festa Ecclesiae. (Cf. Piacenza *Comm. in noviss. Rubr.* 1915 p. 173).

Hinc est quod, feriatio et octava conceduntur tantum maioribus festivitatibus, et ideo denotant maiorem solemnitatem; ergo criterium *maioris solemnitatis* ex natura sua, et toto iure, constituit validissimum titulum praeferendi festum prae aliis, quae nec feriatione, nec octava sunt decorata. Porro cum nonnulla habeantur festa quae olim feriationem habuerant, postea vero, uti supra ex constitutione Benedicti xiv iam vidimus, feriatio vel fuit penitus *sublata*, vel *reducta*, scilicet, ablata obligatione abstinendi ab operibus servilibus, remansit onus audiendi sacrum, et cum, licet sublata vel reducta feriatione, festa tamen, quoad leges liturgicas, adhuc feriata esse censeantur, in catalogo festorum quae, ceteris paribus, praeferentia gaudent super alia, posita sunt etiam huiusmodi festa, quae habent, vel habuere feriationem. (*Ibid.*).

Hac autem de causa in hoc catalogo inscribuntur festa quae cum feriatione celebrantur, solummodo sub respectu iuris liturgici praelationis, abstrahendo ab onere quo parochi applicare debent missam pro populo, vel non.

Hinc est quod omissum fuit festum s. Silvestri I Pont. Conf. quod occurrit die 31 decembris. Procul dubio dies ista erat feriata, in eaque parochi applicare aduch debent missam pro populo, hoc tamen non in honorem ipsius s. Silvestri, sed ob devotionem fidelium, qui ea die, utpote data solemnibus gratiarum actionibus in anni termino, ab operibus vacabant, et divinis officiis interesse studebant. Hinc, licet et adhuc ultima anni dies inter eas adumeranda sit, in quibus parochi sacrificium missae pro grege applicant, non tamen festum s. Silvestri, tamquam olim feriatum, est habendum, ideoque aliis in paritate ritus praeferendum.

E contra adiecta fuerunt duo festa, quae numquam feriationem habuerunt, scilicet solemnitas s. Ioseph, et festum s. Ioachim.

Procul dubio, quando solemnitas s. Ioseph assignata fuit in dominica iij post Pascha, id factum est, ut feriatio dominicae ipsi adnexa in honorem redundaret eiusdem solemnitatis praecipuae s. Ioseph, ut scilicet feriationem in dicta dominica recuperaret, quam perdiderat in sua die 19 martii. Nihilominus, mens non fuit legislatoris, ut onus parochorum circa applicationem missae pro populo augeretur: ideoque, si applicatio missae, uti declaravit Congregatio Concilii, fieri debet a parochis in die antiqua 19 martii, nunc in solemnitate s. Ioseph missam applicare non tenentur. (*Ibid.*).

Ratio est, quia, in dominica iij post Pascha, missa applicabatur pro populo, non ob solemnitatem s. Ioseph, sed propter diem dominicam ipsam; ideoque solemnitas nunc assignata in feria iv praecedenti, secum onus missae parochialis, quod non habebat, ferre non potuit.

Quod dicimus de solemnitate s. Ioseph, dici quoque debet de festo s. Ioachim, quod assignatum fuerat in dominica infra octavam Assumptionis b. Mariae a Clemente xij, ne festa feriata nimis succrescerent; scilicet, die 16 augusti parochi ad applicandum missae sacrificium pro populo non tenentur (Cf. cit. decr. S. C. C. et *ibid.*).

Dubium in casu nostro exurgere potest de festo Nati-

vitatis s. Ioannis Baptistae: nam quando huiusmodi festum celebrandum erat dominica iv iunii, procul dubio die 24 eiusdem mensis, non amplius Parochi applicare debebant missam pro populo, quia tunc revera onus applicationis in ipsa die dominica inerat, sicut inest unicum onus quando per accidens quodvis festum feriatum in aliqua dominica incidit: nunc vero, quia Nativitas s. Ioannis, omnibus plaudentibus, ad antiquam suam sedem restituta fuit, iura sua et onera recuperavit, et ideo dicta die 24 iunii, est dies feriata, tam iure liturgico inspecto, quam inspecto iure canonico, de applicatione missae pro populo (Cf. decr. S. Congreg. Concilii 16 dec. 1914).

Igitur in hoc festo, licet absque feriatione celebrato, remanet obligatio applicandi missam pro populo, ut supra declaravimus. Hanc sententiam quam cl. adiutor noster Dr. Piacenza docuerat in suo Commentario, (in novissim. Rubriicis Breviarii Romani pag. 173-174) admisit S. Congregatio Concilii suo decreto d. d. 16 dec. 1914.

Archaeologia Liturgica.

De osculo pedum Romani Pontificis.

(Continuatio, V. n. 6 curr. anni, pagg. 355-359)

B.) *De osculo Pedis R. Pontificis in solemni Imperatorum, Regum et Principum receptione et coronatione.* — Non *per se,* sed *per accidens,* nempe ob personarum et solemnitatis circumstantiam, singularem quoque significationem et speciale momentum induit pedis osculum, quod Imperatores, Reges et Principes R. Pontifici exhibent, quando ab eodem solemniter recipiuntur et coronantur.

Hoc obsequium in tali solemni circumstantia exhibitum, haberi potest uti catholicae doctrinae publica expressio de terrenae potestatis spirituali Auctoritati subiectione. Catholica enim doctrina est, Imperatores, Reges et Principes civiles, si sunt christiani, esse filios Ecclesiae, ideoque et ab ipsis filiorum obsequia supremae Ecclesiae auctoritati, nempe Pontifici Maximo exhibenda esse. Quod officium non semel ipsi publice et solemniter praestare gloriati sunt. Illi quoque, qui Ecclesiae aliquando vel obedientiam detrectarunt, vel cum ea parum reverenter contenderunt, actorum suorum poenitentia ducti ad Pontifices curvi venerunt et eorum pedes, ad ceterorum fidelium instar devote osculati sunt.

Praeclara huius filialis obsequii exempla ab Imperatoribus, Regibus Principibusque praestiti narrant Ecclesiasticae Historiae.

Liber Pontificalis habet quod anno 523, cum S. Ioannes Papa et Martyr ad Imperatorem Iustinum seniorem ab Odorico rege sibi demandata legatione perfuncturus iverit, « occurrerunt Beato Ioanni milliario 12 omnis civitas cum cereis

et crucibus in honorem beatorum Apostolorum Petri et Pauli... Tunc Iustinus Augustus, dans honorem Deo, humiliavit se pronus et adoravit beatissimum Papam Ioannem » (1).

Quod quidem obsequium deinde saepe saepius renovatum reperimus. Praefatus *Liber Pontificalis* sequentia inter potiora nobis exempla refert:

a) Anno 535, « Agapitus ambulavit Constantinopolim, X Kalendas Maii ingressus C. P. et susceptus est Agapitus episcopus cum gloria... Tunc piissimus Augustus Iustinianus, gaudio repletus, humiliavit se sanctae Sedi Apostolicae, et adoravit beatissimum Papam Agapitum » (2).

b) Anno 708, Constantinus Pontifex item Constantinopolim petiit, a Tiberio Iustiniani Augusti filio, a Patriarcha Cyro et ab optimatibus civitatis honorifice exceptus. « Domnus autem Iustinianus Imperator, audiens eius adventum, magno repletus gaudio, a Nicaea Bithyniae misit sacram (epistolam) gratiarum actione plenam: Et ut debuisset Pontifex occurrere Nicomediam, et ipse venire a Nicaea quod factum est. In die autem quo se vicissim viderunt, Augustus Christianissimus cum regno in capite se prostravit, pedes osculans Pontificis. Deinde in amplexum mutuum corruerunt et facta est laetitia magna in populo, omnibus aspicientibus tantam humilitatem boni Principis » (3).

c) Luitprandus Rex longobardorum, Romam vastare minaverat, ast ad eum egressus est Pontifex S. Gregorius II, et tali pia commonitione animum regis emolivit, « ut se prosterneret eius pedibus et promitteret se nulli inferre laesionem » (4).

d) Anno 844 vel 845, Siginulphus Beneventorum Princeps, qui magno cum exercitu Romam venit, « ardenti pectore praecipuum desiderabat videre Pontificem, et ab eo benedi-

(1) Migne, P. L. CXXVIII, 514-516.
(2) Migne, ibi 551.
(3) Migne, ibi 950.
(4) Migne, ibi 983.

ctionem accipere. Quem Praesul cum suscepisset, solo prostratus, pretiosos ipsius pedes osculatus est, et ab eo benedictione suscepta ab eius conspectu, alacriter Deo gratias referens, regressus est » (1).

Caeremoniale Romanum in ordine praescribendo, seu potius suggerendo, quo Imperator Romam veniens recipiendus est, revocat quod factum fuit, quando Fridericus III anno 1468 Urbem petiit « religiosae peregrinationis gratia », et hoc eo fine narrat, scribit compilator, « ut posteri his uti (si voluerint) facile possint » (2).

Primus itaque occursus Summi Pontificis cum praefato Imperatore, ita describitur: Caesar, « ut Pontificem vidit, genu terram tangens, illum veneratus est, et accedens propius idem fecit, ascendens deinde ad solium, in terram pronus Pontificis pedes osculatus est, deinde manum. Pontifex illum benigne suscipiens atque a terra elevans ad osculum oris recepit et assurgens eum modeste amplexatus est, moxque iussit eum sedere in sede pro eo honorifice praeparata inter solium Pontificis et sedilia Episcoporum Cardinalium, tum excepit praelatos et proceres Caesaris ad pedis osculum » (3).

Qui ordo in eodem Caeremoniali Romano plus minusve servari quoque praescribitur: *a*) in receptione Regis « qui genuflexus osculatur pedem Sanctissimi Domini nostri (4); *b*) in receptione Reginae, cum omnia serventur quae pro regis susceptione statuta sunt, excepto quod « post osculum pedis et manus », immediate ad locum suum revertitur (5); *c*) in receptione primogeniti Regis, qui post admissionem ad osculum pedis, sedebit post primum presbyterum Cardina-

(1) Migne, ibi 1299.

(2) *Rituum ecclesiasticorum sive Sacrarum Caeremoniarum S. R. Ecclesiae,* Venetiis, 1582. Lib. I, sect. 13, cap. 1, cart. 87.

(3) *Rituum ecclesiasticorum sive Sacrarum Caeremoniarum S. R. Ecclesiae,* Venetiis, 1582. Lib. sect. 5, cap. II, cart. 36.

(4) Ibi, sect. 13, cap. II, cart. 90.

(5) Ib., cap. III, cart. 91.

lem et non post primum Episcopum » (1); *d*) in receptione alicuius Principis electoris Imperii, sive alterius maxime Principis, qui « recipietur a Pontifice ad osculum pedis, manus et oris » (2); *e*) Hoc idem servandum praescribitur in aliorum Principum, sive illustrium virorum et etiam regum Legatorum receptione (3).

Huiusmodi obsequii solemnitas et momentum ex eo quoque arguitur, quod ab Imperatoribus et Regibus R. Pontifici praestitum fuerit cum ab eo imperii vel regni coronam solemniter acceperunt.

Antiquiora monumenta liturgica quae nobis « de Coronatione Imperatoris » loquuntur, duplicis sunt generis: aliqua vocantur *libri Sacramentorum*, et alia *libri Caeremoniarum* seu melius *Ordines Romani*. In prioribus potissimum preces dicendae exhibentur, sed caeremoniae quoque breviter indicantur; in posterioribus vero caeremoniae potissimum, ut eorum etiam denominatio significat, traduntur.

In *libro Sacramentorum*, qui a S. Gregorio M. appellationem accipit, in ordine servando pro « Coronatione Imperatoris » bis osculum pedis Romano Pontifici exhibendum praescribitur. Primo in initio caeremoniae, cum se Pontifici sistit « reverenter osculatur pedes ipsius » (4). Secundo immediate post acceptam coronam item « osculatur Apostolici pedes » (5).

Sed res magis ac magis declaratur in libris caeremonialibus.

In superius citato *Ordine XIV* ad caput inscriptum: *Incipit Ordo ad benedicendum Imperatorem quando coronatur*, sequentia de caeremoniae exordio habentur: « Rex cum Archiepiscopis et Episcopis principalibus et magnatibus suis ascendens ad summum Pontificem (sedentem super faldisto-

(1) Ib., cap. IV, cart. 92.
(2) Ib., cap. V et VI, cart. 92 et 93.
(3) Ib., cart. 94.
(4) MURATORI, *Liturgia Romana vetus*. Venetiis 1748, T. II, pag. 455.
(5) Ib., pag. 462.

rium paratum in capite graduum) reverenter osculatur pedes eius; et offerens ei aurum quantum sibi placuerit, benigne accipiatur ab eo ad osculum (oris) et ad amplexum » (1).

In decursu autem caeremoniae cum Imperator a Pontifice gladium et diadema acceperit, « illico procedens nuper coronatus osculatur apostolicos pedes » (2). Hoc idem fit in coronatione Reginae, quae, accepta a Pontifice corona, « pedes Domini Papae osculatur » (3).

Sed haec fusiori sermone in *Caeremoniali Romano* exponuntur et declarantur. Caesaris adventus Romam et prima Pontificis salutatio ita describitur: « Super suggestum Pontifex pluviali et mitra pretiosis indutus, ascendit cum ordinibus curiae paulo ante quam Caesar appareat. Electus Imperator, cum suis omnibus, servato ordine, ut equum descendit, per gradus ascendit suggestum, et ut primum Pontificem videt, detecto capite illum genu terram tangens veneratur. Et iterum, cum appropinquat ad gradus sedis, genuflectit, demum ad Pontificis pedes pervenit, illos in reverentiam Salvatoris devote osculatur. Pontifex hilari vultu Caesarem aspiciens ad osculum manus et oris recipit... Et stante ibi ad dexteram Pontificis Caesare, Pontifex recipit Imperatricem ad osculum pedis et manus; Regem vero, si quis adest ad osculum pedis, manus et oris; alios autem Praelatos, proceres et nobiles Caesaris ad osculum pedis tantum » (4).

In actu incoronationis Imperator osculum pedis exhibet immediate postquam Pontifex ei diadema imposuit: « Et mox Imperator osculatur pedes Pontificis ». Imperatrix quoque

(1) Mabillon, *Musaeum Ital. Ordo Rom. XIV*, cap. 105, Parisiis 1724, Tom. II, pag. 398.

(2) Ib., pag. 403. Non tantum quoad substantiam, sed etiam quoad ipsa verba, quae hic citavimus, apprime congruunt cum iis, quae superius ex libro *Sacramentorum* retulimus.

(3) Ib., pag. 411.

(4) *Sacrarum Caeremoniarum* S. R. E. Lib. I, sectio 5, cap. II, cart. 36.

sive cum coniuge Imperatore, sive sine ipso coronetur, « coronata statim osculatur pedes Pontificis » (1), deinde surgens redit ad locum suum.

Praeter Caeremonialia a nobis citata, quae Ordinem exhibent olim observatum in coronatione Imperatorum, alia quoque extant a diversis scriptoribus indicata, quae cum de Imperatore per R. Pontificem incoronando caeremonias dictant, osculum pedis numquam praetergrediuntur (2).

Novissima huiusmodi solemnitas ea videtur fuisse, quae Bononiae peracta fuit in Basilica S. Petronii cum Clemens VII Carolum V Imperatorem Romanum inunxit et coronavit. In continuatione Annalium Baronii sub anno 1530 haec solemnis caeremonia minute describitur, et id quoque memoratur quod Imperator « sic coronatus osculatus est pedem Papae » (3).

(Continuabitur).

Fr. IOSEPHUS ANT. O. M. Cap.

---

(1) L. c. et ib., cap. VI.

(2) MARTENE, *De antiquis Ecclesiae Ritibus*, Lib. II, cap. IX et in appendice ad cap. XXIII.; — CENNI, *Monumenta dominationis Pontificiae*, T. II, Dissert. VI, paragr. IV.; — MORONI, *Dizionario di erud. Eccles.*, V. *Coronazione degl'Imperatori*, ecc.

(3) RAYNALDUS ad a. 1530, num. XXIX. — In coronatione Napoleonis I Gallorum Imperatoris per Summum Pontificem Pium VII, die 2 Decembris 1804 Parisiis habita, de osculo pedum nullum occurrit verbum, De eo omnino silent, Ordo Caeremoniarum pro ea occasione editus, illius temporis solumnitatis descriptiones, tum Pontificis, tum Imperatoris Historici: Omissum fuisse videtur.

Consultationes.

Utrum Privilegium Octavae Ss. Petri et Pauli, pro Urbe Romae concessum a Leone xiij, adhuc vigeat: utrum etiam Regulares, proprium calendarium habentes, eodem privilegio uti valeant: et an Octava ipsa nunc sit elevata ad iij ordinem.

Notum est quod Pontifex Leo xiij, per decretum 5 iulii 1883 privilegiatam reddidit Octavam Ss. Apostolorum Petri et Pauli, cui dispositioni praemissa sunt in decreto sequentia verba:

« Tandem animadvertere, hac oblata occasione, licuit, commemorationem de Octava Ss. App. Petri et Pauli impediri festo Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C. ritus dupl. 2 cl., ac festo Visitationis B. M. V. ad eumdem ritum recenter elevato (Pius ix d. d. 29 mai. 1850), quod aegre ferendum Romae iure merito putatur, quam beatissimi Apostolorum Principes supra omnes mundi civitates tantopere nobilitaverunt, constituto ibi catholicae unitatis centro, supremoque et indefectibili magisterio. Sacra igitur specialis Congregatio hisce omnibus maturo examini perpensis, si Ss.mo D. N. placuerit, ita decrevit: I..... II..... III. De festo Ss. Petri et Pauli die 29 iunii, Romae agatur commemoratio singulis Octavae diebus, quocumque festo occurrente ». Per hocce decretum ergo factum est, ut in alma Urbe Octava Ss. Apostolorum Petri et Pauli, privilegiata evaserit, sicut Octava Nativitatis Domini, quoad commemorationem faciendam etiam in duplicibus 2 et 1 classis.

Quaeritur ergo:

I. An adhuc vigeat huiusmodi privilegium.

II. Utrum Regulares proprium calendarium habentes eodem privilegio uti poterant, et adhuc possint.

III. Utrum in Urbe Roma Octava Ss. Apostolorum Petri et Pauli habenda sit tamquam Octava III ordinis.

Ad I igitur respondendum esse putamus *affirmative*. Primo quia rationes, pro concessione privilegi adductae, adhuc manent, nempe festa sub ritu duplicis 2 classis per Octavam ipsam occurrentia (in Basilica vaticana celebratur eodem ritu festum Ss. Processi et Martiniani). Secundo quia privilegium huiusmodi nil habet quod contradicat sive litterae sive spiritui novarum Rubricarum: est privilegium pontificium legitime et opportune concessum, quod optime vigere adhuc potest.

Ad II vero *negative*, nostro iudicio, est respondendum, nempe Regulares, proprium calendarium habentes uti non poterant hoc privilegio, sequentes ob causas: Primo: S. R. C. pluries declaravit quod Regulares, recitare nequeunt officia concessa clero saeculari, *nisi in rescripto concessionis eadem Officia declarata fuerint de praecepto etiam pro Regularibus calendario dioecesano minime utentibus*. Cf. decr. 1708, 3084 ad 2, 3147 ad 1, et praesertim 4105 recenter datum die 6 dec. 1902, in quo declaratur: *Regulares non teneri ad Officia loci quo degunt, nisi quatenus eiusdem loci calendario utantur*.

Puerile esset, si quis diceret, non posse ad rem nostram adduci auctoritatem decretorum, quae hic protulimus, quia ipsa agunt de Officiis propriis, in casu autem nostro tantummodo agitur de commemoratione Octavae, nam obligationes Regularium proprium Calendarium habentium, extenduntur, non tantum ad non recipienda Officia localia, nisi ipsis sint apertis verbis concessa, sed etiam ad partes Officii, ideoque et ad simplicem commemorationem Octavae.

Nec valet opponere quod decretum a Leone xiij adprobato, expresse dicit...: *Romae* agatur commemeratio Octavae Ss. Apostolorum: si *Romae*, ergo ab omnibus degentibus in Alma Urbe, sive sint de clero saeculari sive de regulari. Haec difficultas non tenet, quia, ut vidimus in citatis decre-

tis, nisi explicite comprehendantur in concessione, exclusi semper censentur Regulares.

Item non valet oppositio quaesita a decreto d. d. 9 maii 1884, n. 3607 ad 3, quo explicite declaratur, quod ii omnes de clero qui Romae degunt, sed calendario in usum cleri ipsius Urbis non utuntur, debent recitare Officium votivum Ss. Petri et Pauli, non vero alterum de Ss. Apostolis Ecclesiae universali concesso.

Primo quidem obtutu, si Regulares proprium Calendarium habentes, ex eo solum quod in urbe Romae degunt, non debent persolvere Officium votivum de omnibus Apostolis, sed de Ss. Petro et Paulo tantum; videtur mentem esse S. Congregationis circa cultum Ss. Petri et Pauli patronorum Urbis, omnes tam de saeculari quam de regulari clero aequiparandi; ergo etiam circa Octavae commemorationem. Attamen, facile huic obiectioni fieri satis possumus, duabus ex rationibus. Primo, quia mens legislatoris aperte patere debet; vel expresse, vel modo declaratorio, uti docent canonistae. Atqui legislator in casu nostro mentem suam explicavit circa Officium votivum, et nihil dixit circa commemorationem Octavae, ergo stat lex praecedens, quae non comprehendit in casu Regulares proprium Calendarium habentes. Quando enim agitur de privilegiis, aut de oneribus aliis imponendis, oportet quod lex clara sit per se, et nisi interveniat ipsius legislatoris declaratio, nemo extendere potest privilegium, vel onus, ad alios.

Est qui asserit, quod si dubium exponeretur ad S. Congregationem hac de re, procul dubio responderet quod, et Regulares tenentur ad dictam Octavae commemorationem etiam in duplicibus I classis; esto, nos ipsi id non excludimus, attamen usque dum mentem suam, etiam circa huiusmodi Commemorationem Octavae, Congregatio non explicaverit, huiusmodi onus Regularibus imponi nequit: aliud est enim loqui de lege condita, aliud de lege condenda, ut patet.

Scimus quod non una communitas religiosa, quae ca-

lendario pro Clero Romano utebatur commemorationem agebat quotidie etiam in duplicibus 1 classis, de Octava Ss. Apostolorum Petri et Pauli, et bene; nunc autem postquam proprium calendarium obtinuit non amplius eam facit.

Imo, si etiam Regulares qui Romae degunt tenerentur ad dictam commemorationem, S. R. C. quae anno 1914 tot adprobavit calendaria pro Regularibus, infra octavam Ss. Apostolorum mentionem posuisset: « *in domibus vero, vel coenobiis, aut monasteriis Almae Urbis, fit quotidie commemoratio octavae etiam in duplicibus 2 et 1 classis;* non fecit, ergo Regulares non debent agere dictam commemorationem.

Ad III. Licet Romae iam ab anno 1883 octava Ss. Apostolorum esset privilegiata, non tamen dici poterat eam esse Octavam III Ordinis; quia iuxta nov. Rubr. Octavae III III Ordinis, non tantum admittunt commemorationem quotidie etiam in duplicibus 1 classis, sed excludunt quoque missas votivas et privatas defunctorum, extra diem obitus, vel pro die obitus; Octava vero Ss. Apostolorum missas huiusmodi antea non excludebat.

Quia privilegia accipienda sunt prout exponuntur in rescripto concessionis, cum rescriptum agat tantummodo de quotidiana commemoratione Octavae et nil aliud, quod sint prohibitae missae votivae et privatae defunctorum dici nequibat, ideoque Romae Octava Ss. Apost. erat Octava communis, Hodie vero habetur Romae tamquam Octava III orinis, uti aperte tradit Calendarlum pro Clero Romano nuper a S. R. C. adprobatum.

Dr. Petrus Piacenza.

De Dominica resumenda.

Dominica III post Pentecosten hoc anno impeditur Officio nobiliori, scilicet festo ritus duplicis II classis. Quaer.: quando et quomodo illa Dominica sit resumenda?

Resp. Iuxta novas Rubricas Psalterii (I edit.), Tit. X, n. 2, Missae votivae privatae aut privatae pro defunctis prohibentur in Feria in qua anticipanda vel reponenda est

Missa Dominicae. — Iuxta vero Decretum S. R. C. d. 6 decembris 1912 ad 1m (vide *Acta Apost. Sedis*, vol. IV, p. 727): « Dicitur Missa reponenda, quae Dominica praecedenti, ob occursum nobilioris Officii, celebrata non fuit: et in casu, Missae votivae et privatae defunctorum prohibentur in illa Feria, in qua prima vice resumenda est Missa Dominicae ». — In eodem Decreto ad 2m dicitur: « Si prima dies libera mensis sit Sabbatum, et in eo fiat de S. Maria in Sabbato, celebranda est Missa principalis de S. Maria in Sabbato, etiam in casu quo impedita fuerit Missa Dominicae praecedentis. In ecclesiis autem Cathedralibus et Collegiatis, post Primam et extra Chorum, celebranda est sine cantu Missa pro defunctis ».

« Igitur (ait eximius Rubricista, Dr. P. Piacenza, in Comment. ad praefatum Decretum, apud *Ephemer. Liturg.*, an. 1913, p. 70), ut hoc declarat Decretum, quod exponimus, quandocumque Dominica aliqua impediatur a nobiliori Officio, scilicet vel a duplici I aut II classis, vel a festo, vel die octava Domini (1), Missa eiusdem Dominicae impeditae posticipari debet in primam Feriam, quae libera invenitur in hebdomada sequenti; et licet eadem Missa celebretur pluribus in Feriis, quae ab Officio IX Lectionum non impediuntur, prohibitio tamen, quominus Missae votivae et pro defunctis celebrari possint, adest tantummodo in prima ex Feriis praedictis; in reliquis vero Feriis Missae votivae et pro defunctis libere celebrari queunt. Ratio est, quia mens Summi Pontificis in nova reformatione Breviarii fuit, ut Officium et Missa de Tempore instaurarentur, et ideo Missa dominicalis, quae sua die omissa fuit, reponi omnino nunc debet infra suam hebdomadam, si fiat de Feria, vetitis Missis votivis et pro defunctis ».

Hinc ad casum propositum respondendum est: cum Rubricae Breviarii non loquantur de resumendo seu posticipando Officio alicuius Dominicae, si excipias Dominicam

(1) Iuxta novissimas Rubricas Psalterii, tit. IV, n. 2, dies octava Domini non amplius impedit Officium Dominicae minoris.

infra Octavam Nativitatis Domini et iuxta aliquos quandoque Dominicam primam anni; idcirco in prima Feria libera illius hebdomadae, scilicet in Feria IV in casu, fit Officium de Feria per annum cum Oratione Dominicae III post Pentecosten, necnon cum Suffragio ad Laudes et Precibus dominicalibus ad Primam.

In praedicta vero Feria, tam Missa Conventualis quam Missae privatae celebrandae sunt de ea Dominica, sine *Gloria* et *Credo* cum 2ª Oratione *A cunctis* et 3ª ad libitum, et *Benedicamus Domino* in fine Missae.

Ea tamen die vetantur Missae votivae privatae aut privatae pro defunctis.

Quaer.: **Quid sit tenendum de omissione inclinationis a Celebrante, vel loco inclinationis de genuflexione a Ministro Cruci in transitu praestanda, si Altare maius nimis distat?**

Resp. Uti patet, hic agitur de reverentia praestanda Cruci Altaris maioris, in quo non asservatur SS. Sacramentum.

Porro de inclinatione, vel loco inclinationis de genuflexione a ministro Cruci praestanda in transitu Altaris maioris *a longinquo,* nullum invenis auctorem qui de hoc casu explicite loquitur. Plures auctores, quando agunt de reverentia praestanda *in transitu Altaris in quo asservatur SS. Sacramentum,* dicunt quod si quis *directe* sive *a latere* transit Tabernaculum in quo adest SS. Sacramentum, illud adorandum sit simplici genuflexione, i. e. unius genu (Vide De Herdt, *S. Liturg. Prax.*, t, I, n. 200, not.; R.mum I. F. V. D. Stappen, tom. III, *Tract. de celebrat. Mis.*, q. 186, 3; Caeremoniale vero Ord. Minor. Conventual., P. II, cap. V, n. 4, dicit *ante* vel *retro* aut *prope* latus Altaris in quo Sacramentum asservatur; etc.). — Et hoc iure merito, nam quis non salutaret aliquam egregiam personam, v. g. aliquem principem, regem, etc., si eum transiret ab eius latere? A fortiori hoc denegandum non est, si agatur de loco in quo asservatur SS. Sacramentum.

Quamvis autem auctores non explicite loquantur de reverentia praestanda Cruci Altaris maioris, si quis eam transiret *a loginquo;* solutio tamen huius quaestionis satis eruitur ex Rubricis et auctoribus, quando agunt de absolutione ad tumulum.

Iuxta Rituale Rom. (Tit. VI, cap. 3, n. 4) feretrum collocandum est *in medio ecclesiae* (ergo in pluribus casibus illud feretrum procul distat ab Altari maiori); et paulo inferius (n. 10), in absolutione ad feretrum, idem Rituale, cantato a Choro Responsorio *Libera me, Domine,* et a Sacerdote dicto alta voce *Pater noster,* dicit: « Et ipse *(Sacerdos)* accipit... aspersorium aquae benedictae, et *facta profunda inclinatione Cruci,* **quae est ex adverso**, Diacono seu ministro genuflectente..., circumiens feretrum (si transit ante Sacramentum, genuflectit), aspergit corpus defuncti.,. ». — Rubrica vero Missalis (P. II, Tit. XIII, n. 4), loquens de absolutione finita Missa, sequentia verba habct: Cantato Responsorio *Libera me, Domine,* et finito *Kyrie, eleison,* Celebrans « incipit intelligibili voce: *Pater noster,* et secreto prosequendo reliqua, accipit aspersorium de manu Diaconi, et *facta Altari reverentia...,* circumiens tumulum, aspergit illum aqua benedicta... Cum transit ante Crucem, profunde inclinat, Diaconus vero genuflectit... ».

Rituale itaque (loc. cit.) praescribit inclinationem profundam Cruci, *quae est ex adverso* (scil. Cruci Subdiaconi), antequam inchoetur aspersio tumuli seu corporis defuncti; nullam autem inciinationem praescribit, dum Sacerdos transit ante Altare maius, neque dum transit ante Crucem Subdiaconi; Sacerdos vero transiens ante Sacramentum genuflectit iuxta idem Rituale. — Missale vero Rom. dicit a Sacerdote inclinationem esse faciendam Cruci, tum cum transit ante Altare *(maius nempe, si in eo non asservetur SS. Sacramentum),* tum cum transit ante Crucem Subdiaconi, Diaconus vero in utroque casu genuflectit.

Hinc iuxta illam Rubricam Missalis in transitu ante Crucem Altaris etiam *a loginquo* praestanda est reverentia;

iuxta Rubricam autem Ritualis genuflexio est tantummodo facienda in transitu ante Sacramentum a loginquo, non autem inclinatio profunda Cruci Altaris maioris, si hoc nimis distat.

Cum itaque dicta Rubrica Ritualis circas reverentiam praestandam tum Cruci Altaris maioris tum Crucis Subdiaconi omnino sit opposita Rubricae Missalis et praxi universali Ecclesiae, cumque Commentatores eiusdem Ritualis circa hoc punctum lectores remittant ad Liturgistas Missalis Romani (1), idcirco breviter videamus, quomodo Rubricistae Communiter explicent dictam Rubricam Missalis.

a) Cl. Cai. Meratus (P. II, Tit. XIII, n. XXVI) de hoc puncto loquens, ait: « ... sic Celebrans *facta reverentia Altari, vel genuflexione SS. Sacramento, si ibi adsit,* procedit circumiens feretrum per latus suum dexterum, ter aspergens illius feretri latus dexterum, scilicet in capite, in medio, et in pede; et dein ter aspergit sinistrum latus eiusdem tumuli eodem ritu; et quando transit ante Crucem Subdiaconi profunde se inclinat: Diaconus vero, ut dixi, genuflectit... ».

b) Cl. Martinucci - Menghini *(Manuale SS. Caeremoniar.,* vol. I, p. 281, edit. 3, 1911, nn. 163-166) aiunt: « Si tumulus, seu castrum doloris locatum erit extra presbyterium... Quum venerit in caput tumuli, inter ipsum et Altare consistet, sed aliquanto versus cornu evangelii (2)...

(1) H. Baruffaldus (in *suis Comment. ad Rit. Rom.,* tit. XXXVI, § XI, edit. Venet. 1731) dicit: « Praetermissis quae diffuse adnotat Gavant. et Port. *dd. ll.* nonnulla remanent dicenda ad maiorem dilucidationem huius paragraphi... ». — NB. Quod Gavant. de hoc puncto nihil dicat. — Cl. I. Catalanus (in *suis Comm. ad. Rit. Rom.,* Tit. VI, Cap. 3, § 9) dicit: « ... Qui plura, quae praxim spectant incensandi, et aqua benedicta aspergendi defunctos scire desiderat, legere Notas atque Additiones potest Caietani Merati Clerici Regularis, quas ad Gavantum concinnavit, et quidem tanta diligentia, ut ad explicandas ipsas sacrarum Caeremoniarum minutias omnem suam impenderit operam... ».

(2) Rubrica Missal. (Tit. XIII, n. 4) habet: « ... aliquantulum versus cornu Epistolae... ».

Cantato a cantoribus *Kyrie, eleison,* elata voce canet *Pater noster,* quod secreto prosequetur, dum interea de loco discedet, *reverentiam ad Crucem Altaris* efficiet, aspersorium a Diacono accipiet, ac tumulum circumiens aspergit a latere tribus vicibus... : transiens ante Crucem processionalem a Subdiacono sustentam reverebitur illam...»:

c) G. Schober *(Caerem. Missar. solemn. et pontifical.,* art. 4, cap. 4, n. 6, edit. 2) dicit : « ... Celebrans, aspersorio accepto et manu sinistra super pectus posita..., incedit per latus dexterum scil. partis Evangelii, *ante altare profunde se inclinans,* vel, si ibi adsit SS. Sacramentum, genuflectens (Diaconus autem semper genuflectit)... Transiens ante Crucem a Subdiacono sustentam *inclinat caput* (Diaconus vero genuflectit)... ».

d) R.mus I. F. Van Der Stappen (Tom. IV, *Tract. de administrat. Sacram.,* q. 270, n. 10, edit. 2) haec habet : « Cantato *Kyrie, eleison,* Sacerdos mox dicit alta voce: *Pater noster...* ; interim ipse dextera accipit a Diacono absque osculis aspersorium, et sinistram tenet ante pectus... ; se convertit ad Altare, et in medio *Cruci Altaris profunde caput inclinat* (aut genuflectit, si adsit SS. Sacramentum in Tabernaculo) ; accedit ad feretrum ut corpus defuncti aspergat... ; ante Crucem quam tenet Diaconus *caput profunde inclinat...* ».

e) In nostro opere *S. Liturg. Promptuar.,* t. I, n. 300, 5, scripsimus : « Finito a Choro *Kyrie, eleison,* Celebrans intonat *Pater noster...,* accepto aspersorio, et manu sinistra super pectus posita..., facit Altari debitam reverentiam, nimirum *profunde* (*corpore*) *se inclinat,* vel, si ibi adsit SS. Sacramentum, genuflectit (Diaconus autem semper genuflectit)... Transiens ante Crucem a Subdiacono sustentam *profunde se inclinat* (Diaconus vero genuflectit)... ».

Ergo iuxta praedictos auctores nonnulli volunt a Celebrante esse faciendam profundam *capitis* inclinationem, tum ad Crucem Altaris tum ad Crucem Subdiaconi (vide R.mum V. D. Stappen, et Schober quoad reverentiam prae-

standam Cruci Subdiaconi); alii vero dicunt a Celebrante esse faciendam profundam *corporis* inclinationem tum Cruci Altaris tum Cruci Subdiaconi (Vide Victorium ab Appelt., Schober quoad reverentiam praestandam Crucis Altaris, et Meratum quoad reverentiam faciendam Cruci Subdiaconi); alii demum, utentes verbis generalibus, non specificant qualitatem inclinationis. Omnes tamen praedicti auctores admittunt reverentiam esse praestandam Cruci Altaris maioris in eius transitu, tum a Celebrante tum a ministris, *quamvis Altare maius nimis distet.*

De reverentia Cruci Altari praestanda a Ministris.

Quaer.: Quasnam reverentias praestare debeant Ministri Cruci seu imagini Crucifixi tempore alicuius functionis sacrae?

Resp. 1° *In Sacristia,* antequam ipsi cum Celebrante ad Altare procedunt, ab eis facienda est Cruci seu imagini Crucifixi una cum Celebrante profunda capitis inclinatio. Ad dubium: « An Diaconus et Subdiaconus, quando Celebrans facit reverentiam Cruci in Sacristia debeant genuflectere, sicuti in Altari genuflectunt quando Celebrans Crucem salutat transeundo ante illam, et in accessu et recessu? » S. R. C., d. 18 decembris 1779 ad 7, n. 2515, respondit: *Negative.*

2°. In accessu ad Altare, in recessu ab eo et in transitu ante Altare maius, necnon *in actu functionis* in accessu, recessu et transitu ante quodcumque Altare, regula generalis est quod Ministri, sive sacri sive inferiores, unum genuflectant Cruci Altaris. Praelati (1) vero et Canonici Ecclesiae

(1) Per *Praelatos* hic intelliguntur Episcopi (etiam *titulares*), Abbates, et illis maiores; item Protonotarii et alii qui uti possunt rochetto, Praelatitio si sint saeculares (Gavant. p. I, tit. 17, n. 5; Bauldry, *Man. Ss. Caeremon.*, p. 3, c. 16, n. 4).

Nomine Praelatorum apud Regulares veniunt Generalis, Provincialis et Custos regiminis, i. e. superior localis seu Guardianus (A. a Carpo, *Caeremon.* p. I, c. 4, n. 17 et p. I, n. 19; P. Piat. Mont., *Praelect. Iur. Regul.*, tom. I, pag. 492, q. 6, edit. 2).

Cathedralis (1) et Celebrans (calicem non deferens) in dictis casibus caput et humeros profunde inclinant, i. e. profundam corporis inclinationem faciunt.

Probatur: *a*) ex *Rubrica Missalis:* in *Ritu servando in celebratione Missae,* tit. IV, n. 7, haec verba habentur: « Diaconus et Subdiaconus hinc inde assistunt Celebranti, cum incensat, et cum transeunt ante Crucem, semper genuflectunt ». Item ibidem tit. XIII, n. 4, in fine, in Absolutione ad tumulum dicitur: « Cum (*Celebrans*) transit ante Crucem (*Subdiaconi*), profunde inclinat, Diaconus vero genuflectit... »). Hinc iure merito dicit Gavantus (in Rubr. Missal., tit. I, n. 5, lit. *c,* « Ministri vero omnes, etiam Cruci, quae in Altari est, genuflectunt in tota Missa, ut in tit. IV, n. 7 expresse habetur. Simile quid habes in Absolutione post Missam Defunctorum, in qua Diaconus genuflectit Cruci, quam portat Subdiaconus: ergo genuflectunt inferiores ministri ad differentiam Celebrantis. Quod autem hic dicitur de genuflexione Cruci praestanda a ministris in transitu, ob eamdem rationem applicandum est ad accessum ad Altare et de recessu ab eo.

b) Ex *Caeremon. Episc.* (l. I, c. XVIII, n. 3) satis quoque eruitur, quod omnes, exceptis Canonicis Cathedralium et Praelatis, unum genu flectant Cruci Altaris, tum in accessu ad illud tum in transitu ante illud (et idem dic de recessu ab eo). Regula generalis est (ait Index generalis Decret. authent. S. R. C., vol. V, verb. *Beneficiati*), quod Beneficiati et clerici, tam parati quam non parati, semper genuflectere debeant, quoties transeunt ante Altare (et idem dicendum de accessu et recessu), nisi simul incedant eodem ordine et gradu cum Canonico parato celebrante, quia tunc genuflectere tantum debent quando et Canonicus genuflectit (S. R. C., 22 decembris 1612, n. 306. Cf. insuper S. R. C., 15 maii 1745, n. 2381 et 9 maii 1857, n. 3046).

(1) Soli Canonici Cathedralium non tenentur ad genuflexionem transeuntes ante Altare vel ante Episcopum, non item Canonici Collegiatarum, licet usum rocheti habeant, nisi ex consuetudine vel privilegio (Cf. Gardellini not. ad decr., 4595, dub. I veter. coll.).

c) Ex *S. R. C. decretis:* circa hoc punctum tria potissimum habentur decreta:

1^um^ « Quum a Caerem. Episc. (lib. I, c. XVIII, n. 3), praescribatur ut omnes, exceptis Canonicis Ecclesiae Cathedralis, unum genuflectant Cruci Altaris maioris, quaestio exorta est, num haec genuflexio facienda est etiam in aliis Ecclesiis, seu Capellis publicis, ubi in Altari maiori haud asservatur Ss. Eucharistiae Sacramentum? » S. R. C. die 30 aug. 1892 ad 11, n. 3792, resp.: *Affirmative, sed in actu functionis tantum.*

2^um^ decretum S. R. C. d. 9 iunii 1899, n. 4027, ita se habet: « I. Diaconus et Subdiaconus, dum ab uno latere in aliud transeunt, *Sacramento non extante super Altari*, semper genuflectunt, et tantum in medio... II. Dum ab uno latere pergunt in medium, vel dum e medio ascendunt ad Altare, *Sacramento non extante super Altari*, numquam genuflectunt, praeter Subdiaconum quando accepta patena, vadit post Celebrantem ante medium Altaris, et facta genuflexione ibi stat ».

3^um^ decretum est sequentis tenoris: « Minister inserviens Missae, in Altari ubi SS.mum Eucharistiae Sacramentum non asservatur, unico genu flectere debet accedens ad Altare, et quoties ante medium Altaris transibit aut ab eo recedet » (S. R. C., 16 novembris 1906, I, n. 4193).

Omnes tamen, etiam Canonici et Praelati, unum genu flectunt Cruci Altaris ab adoratione Crucis Feriae VI in Parascere usque ad Nonam Sabbati sancti inclusive (S. R. C., 9 maii 1857 ad 5, n. 3049).

P. Victorius ab Appeltern, O. M. C.

BREVIORA RESPONSA

Pro dioecesi Cephalodunen. — I. Potestne consuetudo derogare dispositioni Caeremonialis Episcoporum (lib. I, cap. V, n. 8), praescribenti congruum stipendium Magistro Caeremoniarum cathedralis, ac praesertim primo Magistro, scilicet Episcopi?

Resp. Caeremeniale Episcoporum (loc. cit., n. 1) habet: « Curabit ergo Episcopus, ut duo, si fieri possit, de gremio suae ecclesiae... ad eiusmodi onus assumantur »; et concludit (n. 8): « Ut autem ipsi Caeremoniarum Magistri necessariis rebus pro victu et vestitu, iuxta eorum statum non indigeant, animumque diversis curis et perturbationibus defatigare et distrahere non cogantur, sed a cunctis aliis negotiis remoti, omni studio et diligentia, ac toto pectore in commissam ipsis curam et munus suum facilius incumbere possint; providebit Episcopus, ut ipsis constituatur aliquod certum et competens stipendium, et insuper, ut eis applicentur emolumenta aliqua extraordinaria... ut promptiori animo suo muneri satisfaciant, ac libros necessarios sibi parare possint... ut non solum actione et opere sint parati, sed etiam, cum opus fuerit, de his, quae fiunt, rationem reddere quoad eius fieri possit, valeant ».

Ex his deducimus: 1. Ex verbis *curabit Episcopus... providebit Episcopus*, patet, quod officium Caeremoniarum Magistri a Caeremoniali consideratur tamquam munus fiduciarium et personale, ita ut, quemadmodum Episcopus ad id eligit clericum, quem idoneum aestimat, ita sibi uni integrum sit illum removere, si iam amplius minime satisfaciat; secus ac disponitur circa munera alia v. gr. Sacristae cathedralis ab ipsomet Caeremoniali, de quo impersonaliter dicitur: « In Sacristam eligendus est, qui etc. Assumendus autem est etc. (loc. cit. cap. VI, 1) ». 2. Si Episcopus alia remedia habet ad curandum et providendum, non tenebitur monitis et consiliis Caeremonialis adhaerere. Ratio enim

redditur a Caeremoniali, qua oporteat providere electum de stipendio etc.; ut scilicet *a*) non careat necessariis ad vitae sustentamentum; si ergo Caeremoniarius aliunde habet quo honeste vivat, poterit Episcopus dispensari ab alia provisione pro illo capienda; *b*) non sit aliis curis defatigatus et distractus; si ergo unum facere et aliud non omittere valet Magister, sine alterutrius detrimento, cessat ratio talis stipendii attribuendi quod permittat ab alio munere vacare; *c*) promptiori animo, suo muneri satisfaciat; si ergo etiam absque stipendio id obtinetur, stipendium ipsum necessarium non erit; *d)* libros necessarios sibi parare possit; si ergo aliunde habet vel libros ipsos, vel media ad illos acquirendos, cessat, ex hoc capite, ratio necessitatis stipendii.

Nequit porro quaestio fieri de consuetudine, ubi res, ex natura sua, non exigit continuatam, uniformem agendi rationem, sed pendet ab adiunctis temporum, locorum ac personarum, cuius generis, ut vidimus, est officium Magistri Caeremoniarum episcopalis.

Adde, quod, cum Magister Caeremoniarum esse possit Canonicus vel utcumque de gremio ecclesiae, iam saltem pro diebus et horis servitii ipsius ecclesiae, obviam itur difficultati temporis insumendi, si sit de gremio, quod alii muneri deberet tribuere Clericus non de gremio, ut functionibus assistat, quibus moderari destinatur.

Nemo igitur se componere poterit in iudicem Episcopi, si circa suum Caeremoniarium alia ratione se gerat, ac per Caeremoniale proponitur. Circa Caeremoniarium Capituli, idem plus minusve dicendum.

II. In ecclesia cathedrali quatuor habentur Caeremoniarum Magistri: duo Episcopo destinati, qui functionibus moderantur interveniente Episcopo; duo autem Capitulo, qui alternatim munus Caeremoniarii complent in functionibus canonicalibus, et Ministris Canonicis assistunt in Pontificalibus. Praeterea Episcopus est etiam Parochus Cephalodunensis, hoc autem munus exercet per quatuor Cappellanos, qui hebdomadariis vicibus inserviunt. His praemissis, quaeritur:

1. Possuntne quatuor supradicti Caeremoniarum Magistri in Pontificalibus, eodem tempore, una simul scilicet, inservire, ita ut duo episcopales personae Episcopi sint addicti et clericis inservientibus, dum alii duo nonnisi Diacono et respective Subdiacono Missae qui sunt Canonici assistunt?

2. In functione Feriae V in Coena Domini, si ad benedictionem SS. Oleorum deficiat numerus Sacerdotum (quatenus respondeatur affirmative ad quaesitum praecedens), quinam ex quatuor Caeremoniariis tenebuntur locum accipere Sacerdotum deficientium? An vero debent potius Canonici eorum vices supplere?

3. Potestne obligari ad munus Presbyteri fungendum in dicta functione unus ex Caeremoniariis Episcopi, et unus ex Caeremoniariis Capituli eximi, sub praetextu, quod, cum sit Cappellanus, oporteat ut SS. Eucharistiae distribuendae fidelibus incumbat, dum reipsa hoc posset a Canonicis praestari, vel, de licentia Episcopi, ab alio Sacerdote, v. gr. alio Caeremoniarum Magistro?

4. Si deficiat aliquis Subdiaconus, potestne supplere Clericus in Minoribus tantum constitutus vel saltem s. tonsura initiatus?

Resp. 1. Regula Caeremonialis Episcoporum est, ut primus Caeremoniarius *in primis* sit « sollicitus circa personam Episcopi, aliarumque personarum dignitate aut nobilitate praestantium..... *ac nihilominus* omnia circumspiciat, singulorum munia perpendat..., nec gravetur aliquando, cum viderit necessarium, etiam suis manibus adiuvare ministros ceterosque omnes, quorum opera uti oportebit (lib. I, cap. V, nn. 1 et 2) ». De altero Caeremoniarum Magistro sic loquitur idem Caeremoniale: « Praecipuam curam geret circa personam Celebrantis ac Ministrorum illius (ib. n. 3) ». Et de utrisque ait: « Unus tamen alterius defectum, cum opus erit, modestia ac silentio corrigere et supplere studeat... ac onera inter se partiantur, concordesque sint... Satius enim est unum quam plures esse, nisi fuerint concordes (ib., in fine ».

Quod vero attinet assistentiam Ministrorum, tam maiorum, quam minorum, habet: « suis quaeque locis in operis cursu exponentur (ib. n. 6) », et revera multa habentur ad rem passim. Addit insuper: « Si ecclesia sit ampla, et numero Clericorum ac Beneficiariorum abundans, possent arbitrio Episcopi; aut iuxta consuetudines ecclesiarum, aliqui ex eiusdem ecclesiae gremio subministri adhiberi, qui in aliquibus casibus, tam in choro, quam extra, ipsos Caeremoniarios adiuvarent (ib., prope finem) ».

Ex his omnibus consequitur, non esse ad literam accipiendas praescriptiones Caeremonialis circa Caeremoniarum Magistros, ita ut, dummodo consulatur decori ss. functionum, commoditati agentium, expeditiori rerum decursui, unaquaeque ecclesia possit suas tenere consuetudines, negotiumque iuxta opportunitatem moderari; quae tamen omnia, ad mentem Caeremonialis, videri debent ab Episcopo et provideri.

2. Si bonus ordo ss. functionum servari nequiret, absente aliquo ex Caeremoniariis, oporteret Canonicos partes agere Presbyterorum, hi enim ex decreto S. R. C., n. 210, I, tenentur per seipsos illorum numerum supplere (cf. etiam decr. n. 2398); secus assumantur, qui possent, sine detrimento aliquo, ex Caeremoniariis, et res audito Episcopo, ad vitandas controversias in actu functionis, mature componatur, etiam quoad delectum unius prae altero ex Caeremoniariis.

3. Inconveniens est utrumque, sive quod Canonici Pontificali assistentes, et quidem sacris paramentis induti, cogantur chorum et paramenta relinquere, ut ad s. Eucharistiam distribuendam accedant, sive quod alter ex Caeremoniariis id faciat, sit Cappellanus vel non. Res igitur ab Episcopo componenda est, eo vel magis quod ipsemet est Parochus, prout melius expedire iudicaverit, vel Canonicos adhibendo ad munus Presbyterorum, vel aliquem ex Caeremoniariis, aut alium, cum res pendeat ex adiunctis, ut in superiori numero dictum est.

4. Negative, quia, ut minor clericus supplere queat vices Subdiaconi, oportet ut adsit vera et absoluta necessitas; in casu autem, necessitas non habetur, cum ipsa necessitas potius excuset a completo numero Subdiaconorum, prout et Presbyterorum vel Diaconorum (S. R. C., n. 3114, IV), si tempestive ad S. Sedem nequit recursus haberi pro dispensatione ab eodem numero (S. R. C., n. 3359). Subdiaconi, prout et Diaconi, a Pontificali romano, in hac functione, dicuntur adstare *tamquam Ministri et inspectores;* quamquam ergo officium non habeant actuale ministerii proximioris Sacrificio prout est illud, quod vetatur Clerico supplenti in Missa vices Subdiaconi, non videtur conveniens praedicto in munere aliquem id formaliter repraesentare, quod non est.

Pro Perusia. — 1. Ad lucrandas Indulgentias *toties quoties* in fine mensis Ss. Cordi Iesu dicati, requiritur ut sacra praedicatio, aut quotidie aut saltem ad formam Spiritualium Exercitiorum per octiduum, in mense, locum habeat; quid significat illud *ad formam Spiritualium Exercitiorum?* Num praedicatio quomodolibet facta, de moribus reformandis, de Novissimis et similibus? An vero geminatae instructiones et meditationes?

2. Possetne s. functio clausurae praedicti mensis, ad maiorem commoditatem fidelium, die festo Ss. Petri et Pauli App., sine detrimento Indulgentiarum, haberi?

Resp. 1. Non una est forma ubilibet et quandocumque in usu Spiritualium Exercitiorum; aliquando fiunt quadruplici per diem sermone, bis ad instruendos fideles circa methodum chistianae vitae et Sacramenta, bis ad excitandum, meditando, eosdem fideles ad poenitentiam, Dei amorem et vitae aeternae desiderium. Habentur quandoque duplici tantum sermone, instructione scilicet et meditatione. Vix dicerentur Exercitia Spiritualia, illa, in quibus unicus sermo habetur. Attamen, sensu magis proprio, Spiritualia Exercitia sunt complexus plurium precum, piorum operum et sermonum, communiter agendorum. Et quia de re in casu nostro agitur ubique terrarum, ubicumque

libeat, habenda, praesumitur quod S. Sedes, sub locutione qua utitur, noluerit peculiarem imponere modum actiones praescriptas peragendi, sed maluerit liberam relinquere cuiusque loci agendi rationem, quae sit de more, consentientibus legitimis Superioribus, secus distincte magis dixisset, uti alias facit, v. gr.: « dummodo fideles quinque (vel decem, vel plures) saltem conciones audierint »; unde, si in communi loci aestimatione, octo dierum cursus in quo vel unus sermo, aliis piis operibus et precibus coniunctus, sub nomine venire potest *Exercitiorum Spiritualium*, sufficit profecto ad Indulgentias lucrandas, in casu.

2. Standum omnino indulto, quo Indulgentia, de qua in dubio, antea concessa pro die 30 iunii, nunc omnino tributa est Dominicae ultimae mensis. Sed mensis potest celebrari alio tempore, ita ut etiam Indulgentia quacumque Dominica acquiri possit, quae postrema sit mensis qui eligitur (Declaratio et Indultum ex audientia SS.mi).

Pro Pace Augusta (*Hispania*). — I. Lis orta est in hac ecclesia cathedrali, utrum Officium Ss.mi Cordis Iesu in Hispania, necnon et in hac Dioecesi sumendum sit de corpore Breviarii, an potius persolvendum illud quod in appendice Breviarii pro aliquibus locis invenitur. Magister Caeremoniarum secundam partem tuebatur, non pauci vero de Capitulo primam defendebant, eorumque opinio praevaluit. Quaeritur, ergo:

1. Utrum per novissimas rubricas abrogata sint Officia peculiaria alicui regno, provinciae vel dioecesi antea concessa, quando festa de quibus agitur aliud Officium habent in corpore Breviarii?

2. Utrum ad hoc, ut aliquod Officium tamquam proprium alicuius dioecesis habeatur, sufficiat ut praedictum Officium a S. R. C. tamquam proprium regno aut provinciae, ad quam dioecesis pertinet, concessum sit, an omnino requiratur ut cuilibet dioecesi singillatum concedatur?

3. Utrum Officium Ss.mi Cordis Iesu recte persolutum sit praesenti in anno in hac ecclesia cathedrali.

Resp. 1° Nihil novae rubricae habent circa abolitionem Officiorum propriorum in festis, quae adhuc celebrari debent iuxta Kalendarium approbatum. Neque aliquod datum est decretum, quo eiusmodi Officia aboleantur. Videntur quinimo, ex quibusdam S. R. C. decretis, omnino sustinenda Officia particularia. Et sane, S. C. die 6 decembris 1912, ad IV edixit, Officium *hucusque* recitatum, nempe de Proprio dioecesis vel de Appendice Breviarii, retinendum esse, quamvis festum in dioecesi abolitum sit, et in aliqua tantum ecclesia permanserit. Die 28 februarii, eadem S. C., sub n. IV, declaravit, quoad festa localia, quae a Regularibus celebrantur, quod « ipsi uti debent Officio et Missa clero saeculari concessis, nisi eadem festa ab ipsis Regularibus iam habeantur cum Officio et Missa *magis propriis* ». Die 24 iunii 1914, vulgatum est ab eadem S. C. decretum circa Officia propria, seu particularia, permitens, quod, si haec Officia sint duplicia maiora vel minora aut semiduplicia, his valeant substitui Officia Ecclesiae universalis in Breviario romano inserta, absque peculiari indulto, retentis, si opportunum videatur cui de iure, aliquibus tantum partibus propriis: si ergo S. C. necessarium putavit indultum istiusmodi concedere pro festis ritus duplicis non classici et semiduplicis, arguendum est, non posse quemquam, proprio marte, et a fortiori id in Officiis classicis, peragere; unde nequit fieri substitutio Officii Ecclesiae universalis, ubi datum est aliud particulare; non valet quippe hic assertum, quod privilegio abrenuntiare cuilibet fas sit.

Hinc, non modo dicenda non sunt abrogata Officia peculiaria alicui regno, provinciae, dioecesi antea concessa, sint vel non relativa festa de Kalendario universali; sed omnino retineri debent, usque dum non fiat per S. Sedem eorum abrogatio.

2° Sufficit ut Officium proprium concessum fuerit alicui regno vel provinciae, ut in dioecesi retineatur prae Officio universali, prout erui datur ex decreto S. R. C. 6 decembris 1912 ad IV; si enim pro aliqua particulari alicuius dioe-

cesis ecclesia, ratione verbi gratia tituli vel Reliquiae insignis, festum aliquod retinendum est, prout erat dioecesi concessum, quamvis postea in hac suppressum fuerit; ita agendum pro aliqua dioecesi respectu regni vel provinciae (V. *Ephem. Liturg.* 1912, pag. 707, et Menghini, *Decreta S. R. C.* post annum 1911 vulgata, pag. 33 in nota). Principium est: quod toti datur, et singulis partibus datur; ergo Officium datum regno, datum est reipsa singulis eiusdem regni partibus seu dioecesibus.

3° Opinio nostra est, ut patet ex praecedentibus responsis, quod Officium SS. Cordis non debuerit immutari, sed recitari uti antea ex indulto apostolico actum est (1).

II. Quidam perperam, iuxta meum iudicium, rubricam fasciculi « Variationes in Divino Officio etc. », intelligentes, putarunt in Officio diei octavae Corporis Christi lectiones primi Nocturni sumendas de feria sexta sequenti, impedita ab Officio Ss.mi Cordis Iesu. Qui talia sentiebant, rectne iudicabant?

Resp. Sententia eorum, qui putabant, in die octava Ss.mi Corporis Christi, esse sumendas lectiones I Nocturni de feria VI sequenti, recta est, iuxta rubricam particularem, ipso die octavae, feria V, appositam: « Si nullae adsint lectiones de Scriptura resumendae vel anticipandae, dicuntur lectiones ut in festo; atqui reipsa lectiones anticipandae extabant, quia feria VI sequenti celebrandum erat festum Ss.mi Cordis Iesu, cum lectionibus I Nocturni propriis; ergo hae lectiones et non aliae de die festo recitandae erant.

III. In hac ecclesia cathedrali usus invaluit Vesperas in diebus non solemnibus sic persolvendi: Cantico *Magnificat* intonato, hebdomadarius accedit ad altare, deponit in abaco habitum choralem, induit pluviale et incensat altare more consueto, thurificationeque persoluta, accedit iterum

(1) Quia hodie deficiunt in Breviario typico Officia pro aliq. loc., plurimae Ecclesiae Off. S. Cordis sumpserunt ut in corpore Breviarii, et bene. DIRECTIO.

ad abacum, deponit pluviale, induit habitum choralem, et recedit ad chorum. Quaeritur: Utrum praedicta consuetudo toleranda sit, an potius velut abusus eliminanda, atque proinde pluviale induendum ab initio Vesperarum?

Resp. Consuetudo, de qua in dubio, nequit tolerari; si non sufficeret rectus liturgicus sensus, opponeretur decretum S. R. C. n. 35: « In Vesperis solemnibus celebrans retinere debet pluviale a principio usque ad finem (Index decretorum, pag. 500) », aliudque sub n. 3490: « In Vesperis servandum est Caeremoniale Episcoporum: et *diversa consuetudo retineri nequit* (ib., pag. 501) », et alterum sub 4039, II: « Celebrans (in Vesperis) non potest manere in habitu chorali usque ad capitulum, et tunc assumere pluviale (ib.).

Pro Rochester. — Cubicularius intimus Summi Pontificis gaudet privilegio in choro sedendi post Canonicos cathedralis, scilicet ultimo eorum loco (v. Martinucci-Menghini, in appendice ad lib. VIII); hinc concludendum est Canonicorum cathedralium privilegiis eundem gaudere, inter quae illud standi ad Ps. *Iudica* et ad benedictionem in fine Missae. Ita etiam fert romana praxis. Si Cubicularius officio fungitur Magistri Caeremoniarum, cum habitu violaceo, convenit ut ad Ps. *Iudica* flexis genibus incumbat, et genuflectat cum comitatur ministros paratos qui genuflectunt; in primo enim casu nemo prope altare stare debet ad confessionem, nisi sit sacris paramentis indutus; in secundo autem nequiret privilegio uti quo non gaudet minister indutus sacris vestibus. Nolens autem ministro se conformare, abstineat potius, ab eius comitatu, et mittat acolythum.

Pro Perusia. — I. In Vigilia Pentecostes, ante Missam solemnem prophetiae et litaniae *canendae* sunt, ut Missale praescribit: *a*) an haec omnia *legenda* sunt ante Missam conventualem, ubi Missa cani non potest ob deficientiam cantorum, et obligatio chori adest, ut in parvis Communitatibus et in ecclesiis Monialium? *b*) In casu affirmativo, Sacerdos quo colore uti, et litanias qua veste (*sine planeta?*) et *c*) quo in loco recitare debet?

Resp. *a*) Agendum est in casu, uti in ecclesiis minoribus, seu clero destitutis, in maiori hebdomada, in quibus Rituale seu *Memoriale rituum* Benedicti Pp. XIII adhibetur, iure, si agatur de paroeciis, ex indulto, si de aliis. In casu enim nostro occurrit necessitas, ex una quippe parte Missa conventualis est omnino celebranda prout in quacumque ecclesia choro adstricta, ex alia vero, deficiunt cantores. Nequiret ceterum Missa celebrari eo modo quo leguntur privatae, quia non servaretur ritus diei iuxta Caeremoniale et Missale. Neque putamus opus esse indulto, quia hoc datur *pro hebdomada maiore* ecclesiis, quae non sunt parochiales, neque obligatione tenentur peragendi functiones eorum dierum, sed tamen utile videtur populo vel Communitati particulari quod locum habeant functiones illae, et praesertim expositio Ss.mi Sacramenti feria V in Coena Domini ac repositio feria VI in Parasceve. Nunc vero moniales in casu *tenentur* ad Missam conventualem cum accessoriis, et nullo indigent indulto, ut lectam habeant, si cum cantu omnino non possunt habere.

b) In casu ergo, Sacerdos celebrans uti debet planeta coloris violacei ad prophetias et subsequentes orationes, stola autem et manipulo tantum eiusdem coloris ad litanias.

c) Locus est ante altare, ubi scilicet procumbere debet Sacerdos, iuxta rubricam Missalis, et quidem, iuxta praxim, genibus in plano, brachiis super gradibus, ubi collocatur pulvinus. Id tamen si litanias intonent seu proponant alii; quia si nemo est qui eas annunciare queat, neque moniales, oportet ut Sacerdos ipse, genuflexus, et non prostratus, in medio infimo gradu altaris, ante scabellum super quo ponitur Missale, eas praelegat (*Memoriale rituum* Benedicti XIII, Sabb. Sancto, cap. II, § VI. n. 4).

II. An in functione *sine sacris Ministris,* feriae VI maioris hebdomadae, Passio cani potest vel tantum legenda est? Pariter in functione Sabbati Sancti, si Ministri sacri deficiunt, *Exultet* cani debet a Sacerdote celebrante vel cani potest ab alio Sacerdote vel Diacono?

Resp. Cantus in functionibus et Missis, quae habentur iuxta Memoriale Benedicti XIII non praescribitur, sed minime prohibetur, uti patet decreto S. R. C. n. 4031, II, quod cantum admittit Dominica Palmarum: « Celebranti Missam cantatam sine Ministris licetne Passionem *legere* usque ad *Munda cor meum;* partemque aliam, quae sequitur *canere* in tono evangelii? An potius totam Passionem tenetur *canere* in eodem tono? — Affirmative ad primam partem, si aliter fieri nequeat; negative ad secundam ». Decretum sub n. 3505,VI videtur aliquibus cantum excludere, in hisce casibus, sed perperam, quia per decretum non excluditur cantus, sed condemnatur praxis celebrandi eiusmodi functiones, iuxta *Memoriale,* in *quibuscumque ecclesiis.* Pro nova, quae paratur editione typica *Memorialis,* editores proponunt opportunas regulas ad cantum moderandum in singulis eiusdem functionibus, et confidunt fore ut hae a S. C. auctoritative admittantur. Ergo ad utramque propositam quaestionem respondemus iisdem verbis decreti citati, n. 4031, II.

III. In ecclesia N., die 9 iulii, fit de B. M. V. a Pace, Titulari; die 16 iulii agendumne est de octava, an potius de Commemoratione B. M. V. de Monte Carmelo?

Resp. Succurrit novissima rubrica Breviarii typici post *Tabellas,* in *Notanda* n. 8: « Si tamen aliquod festum duplex maius... occurrat infra aliquam octavam communem eiusdem Personae, vel ipsa die octava... Officium fit de festo, sub ritu et cum privilegiis ipsi octavae convenientibus ». Ergo fiet in casu de B. M. V. a Monte Carmelo, nihil autem de octava.

IV. In distributione S. Communionis Monialibus intra Missam, si fenestella nimis distet ab altari, imo si ita sit extra presbyterium ut a Sacerdote in altari neque videri possit, preces ante et post Communionem quo loco recitandae sunt? — *Periodicus* hunc casum non considerat (Cfr. *Ephem. Liturg.,* anno 1909, pagg. 579-80).

Resp. Iuxta decretum S. R. C. n. 3800, iis tantum in

casibus, iisque rerum adiunctis, de quibus aliud decretum, n. 3764, XIV, agit, scilicet, quando extra celebrationem Missae, a Sacerdote cum superpelliceo et stola, vel etiam sacris paramentis induto, Eucharistia ministratur immediate ante vel post Missam, sed solis monialibus, et quando chorus vel retro post altare situs est, vel ab altari distat — sive praecedentes sive sequentes preces in Rituali romano praescriptae, ritusque reliqui ad fenestellam monialium locum habebunt; *in aliis* vero *quibuscumque casibus,* servandum est Rituale, et omnes praescripti ritus et orationes *semper ab altari* sunt persolvendi.

V. Apud Moniales choro addictas, ubi tantum Missa conventualis habetur, si feria VI, prima mensis, exercitia in honorem Ss.mi Cordis Iesu habentur, acquiri possunt Indulgentiae sine Missa votiva, vel haec dicenda est?

Resp. Apud moniales choro addictas Missa conventualis omnino celebranda est, in casu, et omittenda Missa votiva Ss.mi Cordis Iesu. Ceterum nullae habentur Indulgentiae pro Missa hac votiva; unde timor deperdendi Indulgentias evanescit.

Pro Parma. — I. Lectiones I nocturni ut in Breviario novissimo in feria VI post Octavam SS. Corporis Christi quando dicendae? In dicta die occurrit festum SS. Cordis Christi Iesu cum lectionibus omnibus propriis, et non potest impediri nisi a festo nobiliori, quod in casu haberet pariter lectiones omnes proprias: si vero sunt anticipandae, tunc prorsus superfluae erunt lectiones inscriptae die octava Ss.mi Corporis Christi, quia in casu numquam dicendae.

Resp. Iuxta particularem rubricam in die octava SS.mi Corporis Christi, nisi resumendae sint lectiones Scripturae praecedentis diei, die illa octava recitandae sunt lectiones de feria VI sequenti. Lectiones de die octava propriae, ut ait rev. Inquirens, superfluae essent, hinc est quod revera nullae sunt, quia numquam dicendae. Si vero alicubi detur casus non recitandi Officium de SS. Corde Iesu feria VI sequenti, quod recolatur alio die, sed de aliquo duplici ma-

iori vel minori, aut etiam de inferiori, tunc lectiones diei octavae SS. Corporis Christi, in I Nocturno, essent de die festo, nisi aliae de praecedenti aliquo die essent resumendae, ut innuit rubrica peculiaris.

II. Praeteritis annis in nostra dioecesi, in festo SS.mi Cordis Iesu, praescriptum erat Officium prorsus diversum ab illo, quod inscriptum est in novo Breviario, et Missa legebatur *Egredimini*, quae respondet Officio quod recitabatur: in Kalendario an. 1915, cum in Proprio dioecesis, concesso decreto S. R. C. 28 maii 1914, nihil in re habeatur, notatur Officium ut in Breviario, et Missa *Miserebitur*, rectene egit Kalendarista?

Resp. Affirmative, quia Kalendarium debet sequi Proprium dioecesanum approbatum; et cum in Proprio nullum sit Officium de SS. Corde, id significat non esse dicendum aliud, nisi quod habetur in corpore Breviarii romani.

Pro Conventu C. — I. Diebus 3 et 4 iulii, in ecclesiis, quarum titulus est SS. Cor Iesu vel Visitatio B. M. V. Officium fiet de infra octavam SS. Apostolorum Petri et Pauli; sicut enim horum festum praeferendum est praedictis, sic tota eorum octava; praelatio autem habetur ex quo festum Apostolorum Petri et Pauli est ex solemnioribus universalis Ecclesiae primarium I classis, et adnexa gaudet feriatione. Octava sequitur naturam festi.

II. Festum S. Marci Ev., anno proximo, etiam ubi est titulare transferendum est ad diem 2 maii, quia dies 1 impeditur a festo duplici II classis, Sanctorum nempe Apostolorum Philippi et Iacobi. Rubrica enim de translatione, tit. IV, n. 3, intelligenda est cumulative, quoad festa I et II classis impedientia translationem; hinc, festum duplex I classis transferendum est ulterius, si inveniatur aliquod duplex II classis in sede proximiori.

III. Festum SS. Cordis Iesu, titulare alicuius ecclesiae, occurrens, proximo anno, die 30 iunii, nequit habere primas Vesperas integras, prout habet S. Paulus Ap. in ecclesia propria. Festum enim duplex I classis primarium Ecclesiae

universalis semper praecedentia gaudet super aliis quibuscumque. Comparatio de concurrentia festi S. Pauli nequit fieri, quia casus est particularis, quo S. Paulus una cum S. Petro iam celebratus est die 29 iunii, et ideo, cum repetendum sit eius Officium, quod appellatur Commemoratio, ritu solemni, iustum est ut S. Paulus seiungatur a S. Petro, et habeat primas Vesperas integras, facta separatim S. Petri memoria.

Pro Derthusa in Hispania. — In Proprio Officiorum huius dioecesis edendo, nihil novi, quod a S. R. C. non sit approbatum, inducetur; sed tantum novo modo disponentur Officia iam approbata, et lectiones assumentur ex Octavario romano, pro octavis noviter celebrandis: estne ergo necesse ut examini S. R. C. subiiciatur, iuxta Decretum diei 3 iunii 1914, vel potius sufficiat approbatio Ordinarii, ad normam Decreti diei 24 eiusdem mensis?

Resp. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam: decretum enim diei 24 iunii 1914, sub titulo *Dubium* evulgatum, in sua prima parte, pro qua responsum datum est negativum, agit praecise de Propriis *iam approbatis*, ut in casu nostro; declarat nimirum, haec non esse *iterum* a S. R. C. approbanda, quamvis iuxta Kalendarium festa ibi contenta sint *reducta*. In sua vero secunda parte, pro qua responsum datum est affirmativum, agit de *novis* Officiis *expetendis*; nunc vero; nova *dispositio* Officiorum, de qua loquitur casus, non est novi Officii petitio; assumptio lectionum ex Octavario romano, non est item novorum Officiorum inductio, possunt enim huiusmodi lectiones libere adoptari, iuxta novissimas rubricas. Satis ergo est ut cum approbatione R.mi Ordinarii dictum Proprium edatur. Et quamvis decretum S. R. C. diei 3 iunii praecipiat esse transmittenda ad ipsam S. C. bina exemplaria Propriorum typis definitive impressorum, quae revisioni, et approbationi eiusdem S. Consilii subiecta fuere, et non loquatur de editionibus iuxta nova Kalendaria tantummodo redactis, attamen conveniens est et opportunum, ut novae hae editiones trans-

mittantur, quia S. Congregatio, possidens Propria iam inde antiquata, aequum est ut ea possideat prout nunc sunt. Id a fortiori, si Propria non uno eodemque tempore in suis partibus fuerint approbata.

Pro loco « Alnwick », in Anglia. — I. An uti conopeo necesse sit, quando Crux altaris super ipso tabernaculo ponetur?

Resp. Crucis collocatio impedire non debet observantiam legum liturgicarum; nescimus autem intelligere quomodo Crux in summitate tabernaculi ponenda impediat conopei usum. Romae et alibi passim videntur decentissime Crucifixi, debitae magnitudinis, esse in vertice tabernaculorum, loco simplicis parvae Crucis, quae alias apponerentur. Ceterum minime esset conveniens, pedem Crucifixi ad instar candelabri super tabernaculum collocare, quod profecto impediret congruam conopei appositionem.

II. An ante ostium tabernaculi cortina apponi possit vel debeat, quando, ratione structurae, usus conopei est impossibilis?

Resp. Conopeum deberet confici ad instar tentorii, etiam tholum contegentis, sed si id fieri nequeat, ex irregulari structura, quae corrigi minime possit, aptetur quo melius fieri valeat.

III. An in ultimo triduo maioris hebdomadis, omnia altaria lateralia candelabris cum candelis ex cera communi ornari debeant?

Resp. Nullam novimus legis dispositionem, quoad altaria minora in praefato triduo. Cl. Martinucci (ed. III, currante I. B. Menghini, lib. II, art. XIV), feria V in Coena Domini, § I, *De rebus praeparandis,* n. 7, ait tantum: « Cetera altaria instructa adhuc erunt Cruce velata, candelabris cum candelis etc. »; et § 2, n. 74: « Relinquentur suo loco in altari candelabra cum candelis et Crux velata tantummodo ». Verbum illud *adhuc* indicare videntur ceram albam, qua ante Matutinum tenebrarum erant instructa altaria minora; cetera verba *relinquentur,* indicare viderentur nihil agen-

dum circa candelabra, etiam post denudationem altarium. Ceterum, si quis vellet etiam altaria minora cum maiori conformari, laudandus videretur.

Pro dioecesi Cremen. — I. In quodam Capulatorum coenobio disputatur circa tempus exponendi SS. Sacramentum infra octavas Corporis Christi et Immaculatae ad Indulgentias lucrandas. Quidam necessarium retinent ut SS. Sacramentum expositum maneat tempore recitationis Matutini et Laudum: aliqui dicunt sufficere ut expositum maneat tempore recitationis Laudum: aliqui demum sustinent sufficere ut expositum maneat tempore recitationis unius cuiuscumque Horae etiam parvae. Ubi veritas?

Resp. Indulgentiae per octavam festi SS. Corporis Christi concessae, iuxta authenticam syllogen Indulgentiarum (Romae, 1898), hae sunt: 1° *Quadringentorum dierum,* die festo, pro iis, qui confessi primis Vesperis vel secundis, Matutino et Missae adstiterint, et quidem in unaquaque ex hisce Officii partibus; 2° *Centum et sexagiuta* dierum, in qualibet ex Horis minoribus: Prima, Tertia, Sexta, Nona et Completorio; 3° *Ducentorum dierum,* singulis octavae diebus, in quibuslibet Vesperis, Matutino et Missa, si fideles adstiterint ut supra; 4° *Octoginta dierum,* pro qualibet ex Horis minoribus et Completorio singulis octavae diebus; 5° *Ducentorum dierum,* pro iis, qui SS. Sacramentum comitantur in Processionibus, quae fiunt in praedicto festo et per octavam illius; addita conditione ut ad mentem Summi Pontificis preces fundant, et dummodo, si quis est Sacerdos, Missam celebraverit, si laicus (vel in inferiori clericorum gradu) SS. Eucharistia refectus fuerit.

Nunc autem textus authenticae sylloges nihil habet de expositione SS.mi Sacramenti, imo, cum ibi sermo sit de primis Vesperis festi et de Missa, in ipso festo, in quibus Sacramentum certo non est expositum, quia S. Hostia consecratur in dicta Missa, evidenter Indulgentiarum concessio praescindit ab expositione. Dicimus in Missa quoque non exponi Sacramentum, quod est verum per totum, namque,

ut praescribit Rituale romanum (tit. IX, cap. V. n. 2), tabernaculum, seu ostensorium, velo operiri debet, *donec auferatur ab altari,* scilicet, finita Missa. Usus igitur cuiusque ecclesiae retineatur, sine timore detrimenti Indulgentiarum.

II. Ex Patribus Capucinis, transeuntibus ante altaria lateralia Missam celebraturis, aliqui semper inclinant Cruci altarium lateralium per quae transeunt, aliqui e contra numquam inclinant, aliqui tandem inclinant tantum si ibi Missa celebretur. Ex omnibus his qui sunt rite agentes?

Resp. Nullibi praescripta reperitur in casu inclinatio ad altaria minora, neque si in ipsis Missa celebretur; imo ridicula esset, si plura extarent, in itinere a Sacerdote celebraturo peragendo, altaria minora. Et quia uniformitas in ecclesiis tenenda est, neque devotionis causa a quolibet est facienda. Poterit usus retineri inclinandi ubi est quaelibet reliquia exposita, aut insignis imago vel reliquia etiam non exposita. Ita fit v. gr. Romae ad altare minus ubi corpus requiescit S. Philippi Neri.

Notandum. — Quod diximus in postremo fasciculo *Ephemeridum,* pag. 309, II, circa festum anniversarii Dedicationis ecclesiae, transferendum ad diem 2 maii, valet tantum pro compilatore Kalendarii dioecesani, respectu Dedicationis ecclesiae cathedralis, vel omnium ecclesiarum consecratarum dioecesis; secus enim, si ageretur de ecclesia particulari, in huius Kalendario, Anniversarium Dedicationis propriae ecclesiae trasferendum esset ad diem 4 maii, cum dies 2 iam occupata in Kalendario dioecesano supponatur a festo translato S. Marci, dupl. II classis: hoc autem iuxta decretum S. R. C., n. 4264, quod iubet Kalendaria particularia esse redigenda super Kalendario dioecesano, etiam annuatim.

In eodem fasciculo, pag. 375, n. V. ubi diximus responsorium *Ego sum vitis* esse supplendum in III Nocturno de Martyribus per aliud, scilicet I Nocturni eiusdem Communis, legatur in fine *Beatus vir,* loco *Lux perpetua,* uti ex errore citationis actum est. Similiter autem agendum pro

responsoris Communis Apostolorum, eodem tempore paschali; si dictum sit idem responsorium *Ego sum vitis*, vel alterum *Virtute magna*, suppleantur respective per praefatum aliud: *Beatus vir*. Hoc proponimus ob facilitatem et uniformitatem in eligendo responsorium, quo suppleri debet alterum, et quoadusque in nova Breviarii typici editione res forte aliter, cum non omnes in eodem conveniant, a S. C. non componatur.

M.

THEOLOGIA LITURGICA

(Continuatio. V. n. 4 curr. an., pagg. 380-384).

CAPUT OCTAVUM.

Defectio regni Dei in universo.

68. Regnum Dei in universo in suis primordiis erat perfectum, idest immune a defectione ac deordinatione; quoniam, ut vidimus, Dei perfecta sunt opera, et cum vidisset Deus cuncta quae fecerat in universo erant valde bona; atque omnia secundum propriam naturam Deo subiecta erant; illumque venerabantur et clarificabant. Axis autem perfectionis regni Dei in universo est perfectio creaturarum rationalium, quae sunt angeli et homo, unde regnum Dei in universo duravit in perfectione qua dotatus fuerat a Creatore quoadusque angeli et homo in Dei subiectione et obedientia manserunt; sed angeli et homo per peccatum a submissione Deo debita se subtraxerunt, et propterea regnum Dei in ipsis defecit. Primo ergo agendum est de defectione regni Dei in angelis, scilicet de peccato angelorum; postea de defectione regni Dei in genere humano, idest de peccato protoparentum humani generis.

ARTICULUS PRIMUS. — *Defectio regni Dei in angelis, et ortus regni Satanae.*

69. Extra controversiam est quod plures angeli in coeli peccaverunt (1): unde factum est praelium magnum in coelo; Michael et angeli eius praeliabantur cum dracone; et draco pugnabat et angeli eius, et non valuerunt; propterea draco proiectus est in terram et angeli eius cum illo missi sunt, nec locus inventus est eorum amplius in coelo (2). Sunt isti angeli mali qui diversis nominibus in scripturis sacris et functionibus liturgicis appellantur. Frequentius appellantur daemonia, daemones, spiritus maligni, spiritus infernales et similia; et illorum caput appellatur diobolus, satanas, draco, serpens antiquus et nomina similia.

70. Doctor angelicus quaerit: Utrum daemones sint naturaliter mali; respondet autem quod sunt mali non naturaliter, sed propria voluntate; et probat sequenti ratione: id cuius natura ordinatur ad bonum secundum communem rationem boni, non potest secundum suam naturam tendere in aliquod malum. Sed natura intellectualis habet ordinem ad bonum universale quod potest apprehendere, et quod est obiectum voluntatis. Unde cum daemones sint substantia et naturae intellectuales nullo modo habere possunt inclinationem naturalem in aliquod quodcumque malum; et ideo non possunt esse naturaliter mali; sunt autem mali propria voluntate (3). Quae mala voluntas, cum ipsi non sint in statu viae, sed in termino, non est vertibilis in bonum, sed obfirmata in malo, idest in peccato, cum quo compleverunt statum viae, et pervenerunt ad statum termini. Scriptum est enim: « *si ceciderit lignum ad austrum aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit* » (4); locus in quo ceciderit est terminus, seu status termini.

---

(1) Quodnam sit hoc coelum in quo angeli peccaverunt non satis clare patet. Nam saepissime nomen hoc occurrit in scripturis sacris, sed sensu diverso. In Genesi legitur: In principio creavit Deus coelum et terram; hic nomen *coelum* significat omne id quod Deus creavit simul cum terra, et a terra distinctum; postea in narratione operis secundae diei legitur: dixit quoque Deus: fiat firmamentum in medio aquarúm, vocavitque firmamentum coelum: et hic coelum significat spatium illud, intra quod vertuntur corpora coelestia. Agendo autem de mansione angelorum hoc nomen sensum particularem habet, scilicet sensum loci congruentis mansioni spirituum, et ideo differentis a loco corporeo; sed etiam est differens a loco beatitudinis, ubi morantur sancti et electi, in gloria coelesti.

(2) Apoc. XII, 7-9.

(3) I. Quaest. LXIII, art. IV.

(4) Eccl. XI, 3.

71. Sed quaeritur: quodnam fuerit peccatum propter quod mali angeli averterunt se a Deo? S. Thomas, et cum eo theologi omnes, docent quod primum peccatum angeli fuit superbia, et consequenter invidia. Ceterum « *initium omnis peccati superbia est* (2); et « *Deus creavit hominem inexterminabilem, invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum* » (3). Imo angelicus doctor tenet quod in angelis nullum aliud peccatum potuit esse praeter superbiam et invidiam, si agitur de peccato secundum affectum, quod est peccatum elicitum a peccante; datur enim etiam peccatum secundum reatum, non secundum affectum; et est peccatum ad quod aliquis inducit alterum absque affectu ad obiectum peccati. En quomodo argumentatur Sanctus Doctor: « *secundum affectum illa solum peccata in angelis esse possunt, ad quae contingit affici spiritualem naturam* ». Spiritualem autem naturam affici non contingit ad bona quae sunt propria corporis, sed ad ea quae in rebus spiritualibus non corporalibus et visibilibus inveniri possunt. In spiritualibus autem bonis affectus non potest esse peccatum, nisi quando aliquis ad ea afficitur inordinate dum scilicet in tali affectu superioris regula non servatur; et hoc est peccatum superbiae, non subdi superiori in eo quod debet. Unde peccatum primum angeli non potest esse aliud quam superbia. Sed consequenter potuit in angelo esse etiam invidia, secundum quod doluit de bono hominis, et etiam de excellentia divina, quam aemulari voluisset.

72. Quod si quaeratur quid appetierit angelus malus per suam superbiam, respondet S. Thomas « quod angelus absque dubio peccavit appetendo esse ut Deus (4); non certe ad aequiparantiam, sed ad similitudinem, unde in Isaia, in persona regis Babylonis arguitur: « *qui dicebas in corde tuo: in coelum conscendam... ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo* » (5): et in Ezechiele in persona principis Tyri: « *Fili hominis, dic principi Tyri: haec dicit Dominus Deus, eo quod elevatum est cor tuum, et dixisti: Deus ego sum, et in cathedra Dei sedi in corde maris* » (6). Quod autem am-

---

(1) Eccl. X, 15.
(2) Sap. 11, 15.
(3) 1. Quaest. XXIII, art. II.
(4) Ib. art. III.
(5) Isaiae XIV, 13. 14.
(6) Ezech. XXVIII, 2. — Huiusmodi exprobrationes factae sunt directe principibus Babylonis et Tyri; Patres autem eas applicant diabolo eo quod ipse illis suam superbiam communicaverat, per quam super omnem altitudinem se extollebant, ut diabolus ipse in coelo.

bierit cultum Dei patet etiam ex tentatione facta Christo, quando, ostensis illi regnis mundi dicit: haec omnia tibi dabo si cadens adoraveris me.

73. Quomodo autem ad superbiam consequi poterat in angelo peccatum invidiae? Cum enim angelus malus nosset hominem Deo carum, gratia sanctificante et donis coelestibus ornatum, et ad occupandas suas sedes in coelo vocatum, doluit de tanto illius bono; et etiam de divina excellentia, quae in hominis exaltatione magnificabatur, et de divina gloria quae inde contra diaboli et suorum angelorum voluntatem et conatus exsurgebat. Sunt ergo superbia et invidia duo peccata quae voluntatem malorum spirituum devinciunt, et implacabile bellum contra Deum et homines constanter faciunt. Quapropter Paulus Apostolus scribit ad Ephesios: « *induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli... et adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae in coelestibus* » (1). Et Petrus apostolus omnibus scribit: « *sobrii estote, et vigilate, quia adversarius vester diabolus, tamquam leo rugiens circuit quaerens quem devoret* » (2).

74. Quamquam vero superbia, invidia et dolum sint peccata diaboli et angelorum eius, idest omnium malorum spirituum propria secundum affectum ab ipsis commissa, sunt et alia peccata ipsis imputabilia secundum reatum (3); nam ad omnes peccati species homines inducere conantur per tentationes. Hinc explicatur quomodo etiam peccata carnalia imputantur daemonibus, etsi ea committere nequeant per affectum cum non sint apti ad delectationes sensuales ob defectum sensus corporei. Imputantur autem eis huiusmodi peccata, quia ad ea facilius et frequentius inducunt homines. Quod si in libris sacris, praesertim in evangelio, et in functionibus liturgicis daemones vocantur spiritus immundi hoc non intelligitur de immunditia per peccata carnis, sed de malitia et nequitia quae maculat spiritum et immundum reddit.

(1) Ephes. VI, 11, 12.

(2) 1. Pet. V, 8.

(3) S. Thomas docet quod peccatum aliquod in aliquo esse potest dupliciter: uno modo secundum reatum, alio modo secundum affectum. Secundum reatum quidem omnia peccata in daemonibus esse contingit; quia dum homines ad omnia peccata inducunt, omnium peccatorum reatum incurrunt. Secundum affectum vero illa solum peccata in malis angelis esse possunt ad quae contingit affici spiritualem naturam (loc. cit.) — Haec distinctio aliis verbis in S. Augustino, De Civit. Dei Lib. XIV. Cap. 3, ubi scribit: « Diabolus non est fornicator, aut ebriosus, aut aliquid huiusmodi; est tamen superbus et invidus ».

75. Odium in Deum quo ardent angeli mali, seu daemones, incitat eos ad implacabile bellum contra regnum Dei in universo, et infeliciter non raro triumphum reportant. Imo Christus ipse diabolum appellat principem huius mundi (1), et regnum eius nominat (2). Quomodo autem regnum acquisivit? Certe per victorias quas retulit supra regnum Dei. Et primo magnam partem regni Dei divulsit in coelo per multitudinem aliorum angelorum, quos ipse induxit ad peccatum, ut ait S. Thomas: « *Peccatum primi angeli fuit aliis causa peccandi, non equidem cogens, sed quadam quasi exhortatione inducens* » (3). Vel etiam dici potest quod alios induxerit ad peccandum suo exemplo. Propterea in extremo iudicio reprobis indicta erit sententia: « discedite a me maledicti in ignem aeternum qui paratus est diabolo et angelis eius » (4). Interea tamen malos angelos qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, Deus in iudicium magni diei, vinculis aeternis in tartarum cruciandos sub caligine reservavit (5).

(Continuabitur)

---

(1) Nunc princeps huius mundi eiicietur foras. Ioan. XII, 31.
(2) Matth. XII, 26. Et si Satanas Satanam eiicit quomodo stabit regnum eius?
(3) I. Quaest. LXIII, art. VIII.
(4) Matth. XXV, 41.
(5) II. Pet. II, 6: Iudae, I, 6.

PROPRIETAS LITERARIA

IMPRIMATUR
Fr. ALBERTUS LEPIDI O. P., S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR
† IOSEPH CEPPETELLI, Patr. Costantinop., *Vicesgerens*.

AUGUSTUS ZUCCONI, Director Domus editricis Desclée et Soc., Romae, *Sponsor*.

Ex Officina Polygraphica Latiali, Fratrum Tempesta, Via Boccaccio, 7 - Roma

CONSTITUTIO APOSTOLICA

de sacro ter peragendo in die sollemnis commemorationis omnium fidelium defunctorum

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Incruentum Altaris sacrificium, utpote quod a sacrificio Crucis nihil natura ipsa differat, non modo caelitibus afferre gloriam, et iis qui in miseriis huius vitae versantur ad remedium et salutem prodesse, sed etiam ad animas fidelium qui in Christo quieverint expiandas quamplurimum valere, perpetua et constans Ecclesiae sanctae doctrina fuit. Huius vestigia et argumenta doctrinae, quae quidem, saeculorum decursu, tum christianorum universitatem praeclarissimis affecit solaciis, tum optimum quemque in admirationem infinitae Christi caritatis rapuit, in pervetustis latinae et orientalis Ecclesiae Liturgiis, in scriptis Sanctorum Patrum, denique in pluribus antiquarum Synodorum decretis expressa licet et manifesta deprehendere. Id ipsum autem Oecumenica Tridentina Synodus sol-

lemniore quadam definitione ad credendum proposuit, cum docuit, « animas in Purgatorio detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili Altaris sacrificio iuvari », eosque anathemate perculit, qui dicerent, sacrum non esse litandum « pro vivis et defunctis, pro peccatis, poenis, satisfactionibus et aliis necessitatibus ». Neque vero rationem agendi huic docendi rationi dissimilem unquam secuta est pia Mater Ecclesia; nullo enim tempore destitit Christifideles vehementer hortari, ne paterentur, defunctorum animas iis carere utilitatibus, quae ab eodem Missae sacrificio uberrime profluerent. Qua tamen in re hoc laudi Christiano populo verti debet, nunquam eius pro defunctis studium industriamque defuisse: ac testis Ecclesiae historia est, cum fidei caritatisque virtutes altius insiderent animis, actuosiorem tunc operam et reges et populos, ubicumque patebat catholicum nomen, in eluendas Purgatorii animas contulisse.

Era ipsa profecto effecit tam incensa maiorum pietas, ut plura ante saecula, in Regno Aragoniae, consuetudine paulatim inducta, die Sollemnis Commemorationis omnium defunctorum sacerdotes saeculares sacrum bis peragerent, ter vero regulares; quod privilegium Decessor Noster immortalis memoriae Benedictus XIV non modo, iustis de causis, confirmavit, verum etiam, rogatu Ferdinandi VI Hispaniarum Regis Catholici, itemque Ioannis V Lusitaniae Regis, Litteris Apostolicis, die XXVI mensis Aug. a. MDCCXLVIII datis, ita produxit, ut cuilibet sacerdoti e regionibus utrique Principi subiectis facultatem faceret ter eadem in sollemni Commemoratione litandi.

Procedente autem tempore, permulti, tum sacrorum Antistites, tum ex omni ordine cives, iterum et saepius supplices preces Apostolicae Sedi adhibuerunt, ut eiusmodi privilegio ubique gentium liceret uti: eademque de re a proximis Decessoribus Nostris et a Nobismetipsis, in hisce Pontificatus Nostri primordiis, postulatum est haud semel. Nec vero dixeris, causas, quae ad propositum olim afferrentur, iam nunc defecisse: quin immo et exstant adhuc et ingravescunt in dies. Etenim Christifidelium, qui Missas in defunctorum solacium celebrandas vel quovis modo statuerint vel testamento legaverint, pia haec instituta et legata dolendum est partim deleta esse, partim ab iis neglegi qui minime omnium debeant. Huc accedit, ut ex iis ipsis, quorum explorata religio est, non pauci redituum imminutione cogantur, ad contrahendum Missarum numerum, supplices Apostolicam Sedem adire.

Nos igitur, denuo conscientiam eorum graviter onerantes, qui suo hac in re officio non satisfaciant, caritate in defunctorum animas, qua vel a pueris incensi sumus, vehementer impellimur, ut omissa cum ingenti earum detrimento suffragia, quantum in Nobis est, aliquo pacto suppleamus. Ea quidem miseratio hodie maiorem in modum Nos permovet, cum, luctuosissimi belli facibus Europae fere omni admotis, cernimus ante Nostros paene oculos tantam hominum copiam, aetate florentium, immaturam in proelio mortem occumbere; quorum animabus expiandis etsi defutura non est propinquorum pietas, eam tamen necessitati parem quis dixerit? Quandoquidem vero com

munis omnium Pater divino consilio facti sumus, filios vita functos, Nobis carissimos et desideratissimos, volumus, paterna cum largitate, congesti e Christi Iesu meritis thesauri abunde participes efficere.

Itaque, invocato caelestis Sapientiae lumine auditisque aliquot Patribus S. R. E. Cardinalibus e Sacris Congregationibus de disciplina Sacramentorum et Sacrorum Rituum, haec quae sequuntur in perpetuum statuimus.

I. Liceat omnibus in Ecclesia universa Sacerdotibus, quo die agitur sollemnis Commemoratio omnium fidelium defunctorum, ter sacrum facere; ea tamen lege, ut unam e tribus Missis cuicumque maluerint applicare et stipem percipere queant; teneantur vero, nulla stipe percepta, applicare alteram Missam in suffragium omnium fidelium defunctorum, tertiam ad mentem Summi Pontificis, quam satis superque declaravimus.

II. Quod Decessor Noster Clemens XIII Litteris die XIX mensis maii a. MDCCLXI datis concessit, id est ut omnia altaria essent eo ipso sollemnis Commemorationis die *privilegiata,* id, quatenus opus sit, auctoritate Nostra confirmamus.

III. Tres Missae, de quibus supra diximus, sic legantur, quemadmodum fel. rec. Decessor Noster Benedictus XIV pro Regnis Hispaniae et Lusitaniae praescripsit.

Qui unam tantummodo Missam celebrare velit, eam legat quae in *Missali* inscribitur legenda *in Commemoratione omnium fidelium defunctorum;* eandem adhibeat qui Missam cum cantu celebraturus sit, facta ei potestate anticipandae alterius et tertiae.

IV. Sicubi acciderit, ut Augustissimum Sacramentum sit expositum pro Oratione XL Horarum, Missae de Requie, cum vestibus sacerdotalibus coloris violacei necessario dicendae (Decr. Gen. S. R. C. 3177-3864 ad 4), ne celebrentur ad *Altare Expositionis*.

Quod reliquum est, pro certo habemus fore, ut omnes catholici orbis Sacerdotes, quamquam sibi licebit die sollemnis Commemorationis omnium fidelium defunctorum semel tantum litare, velint libenter studioseque insigni privilegio uti quod largiti sumus. Impense vero omnes Ecclesiae filios hortamur, ut, memores officii, quo erga fratres, Purgatorii igne cruciatos, non uno ex capite obligantur, frequentes eo die sacris, summa cum religione, intersint. Ita futurum certe est, ut, immensa refrigerationis unda ex tot salutaribus piaculis in Purgatorium defluente, frequentissimae quotannis defunctorum animae inter beatos triumphantis Ecclesiae caelites feliciter cooptentur.

Quae autem hisce Apostolicis Litteris constituimus, eadem valida et firma perpetuo fore edicimus, non obstante quavis lege, antehac lata a Decessoribus Nostris, de Missis non iterandis.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die x mensis augusti anno MCMXV, Pontificatus Nostri primo.

P. Card. GASPARRI — *a Secretis Status.*

Ph. Card. GIUSTINI — *S. C. de Sacramentis Praefectus.*

Loco ✠ Plumbi

VISA

M. RIGGI, C. A., *Not.*

Reg. in Canc. Ap., N. $\frac{78}{15}$

SACRA CONGREGATIO RITUUM

URBIS ET ORBIS

Decretum de tribus Missis in die sollemnis Commemorationis omnium defunctorum celebrandis.

Sanctissimus Dominus noster Benedictus Papa XV per Constitutionem Apostolicam sub die 10 huius mensis datam, et privilegium trium Missarum in die sollemnis Commemorationis defunctorum celebrandarum a Decessore suo fel. rec. Benedicto XIV Hispaniae et Lusitaniae ditionibus elargitum, et ipsas tres Missas quas idem Pontifex cuilibet sacerdoti in iisdem regionibus praescripsit legendas, ad universam Ecclesiam benigne extendere dignatus est.

Ut autem omnibus innotescant praedictae Missae, sacra Rituum Congregatio, de ipsius Sanctissimi Domini nostri mandato, ita in praesenti Decreto eas describit:

Prima Missa est, quae inscribitur in Missali Romano die Commemorationis omnium fidelium defunctorum.

Altera, quae in eodem Missali habetur in anniversario defunctorum cum sequentia *Dies irae* et Orationibus ut infra:

ORATIO

Deus, indulgentiarum Domine: da animabus famulorum famularumque tuarum refrigerii sedem, quietis beatitudinem, et luminis claritatem. Per Dominum.

SECRETA

Propitiare, Domine, supplicationibus nostris pro animabus famulorum famularumque tuarum, pro quibus

tibi offerimus sacrificium laudis: ut eas sanctorum tuorum consortio sociare digneris. Per Dominum.

POSTCOMMUNIO

Praesta, quaesumus, Domine: ut animae famulorum famularumque tuarum, his purgatae sacrificiis, indulgentiam pariter et requiem capiant sempiternam. Per Dominum.

Tertia Missa quae legitur in Missis quotidianis cum sequentia *Dies irae* et Orationibus ut infra:

ORATIO

Deus, veniae largitor et humanae salutis amator, quaesumus clementiam tuam: ut animas famulorum famularumque tuarum, quae ex hoc saeculo transierunt, beata Maria semper Virgine intercedente, cum omnibus Sanctis tuis, ad perpetuae beatitudinis consortium pervenire concedas. Per Dominum.

SECRETA

Deus, cuius misericordiae non est numerus, suscipe propitius preces humilitatis nostrae: et animabus omnium fidelium defunctorum, quibus tui nominis dedisti confessionem, per haec sacramenta salutis nostrae, cunctorum remissionem tribue peccatorum. Per Dominum.

POSTCOMMUNIO

Praesta, quaesumus, omnipotens et misericors Deus, ut animae famulorum famularumque tuarum, pro quibus hoc sacrificium laudis tuae obtulimus maiestati, per huius virtutem sacramenti, a peccatis omnibus expiatae, lucis perpetuae, te miserante, recipiant beatitudinem. Per Dominum.

Servatis de cetero Rubricis nec non peculiaribus Ritibus Ordinum propriis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 11 augusti 1915.

A. Card. Vico, *S. R. C. Pro-Praefectus.*

L. ✠ S.

Alexander Verde, *Secretarius.*

Commentarium.

Ingenti gaudio procul dubio excipiet universus Clerus Catholicus latini ritus, nec non populus Christianus hanc Ss. D. N. Benedicti Pp. XV constitutionem, qua mirum in modum providetur maiori suffragio animabus in Purgatorio detentis. Uti in ipsa constitutione summatim dicitur, iam Benedictus XIV tres missas celebrandas concesserat in die Commemorationis Omnium Defunctorum regnis Hispaniae et Portugalliae. In sua bulla tamen *Quod expensis,* d. d. 26 aug. 1748, fusius tradit ea quae acta sunt apud Apostolicam Sedem circa huiusmodi concessionem, et ait: « Nos quidem necessarium omnino putavimus totam rei summam maturo examini subiicere, quamvis minime hospites in ea Nos reputare possemus; siquidem olim ipsius momenta pro officio, quod tunc gerebamus Secretarii Congr. Concilii, diligenter nobis expendenda fuerant, cumque hac de re plura scripserimus in Opere de Festis Domini (III, iv, 9 et seq.) .... Sane, quum nos in minoribus constituti praefatae Congregationi S. Concilii, ut supra diximus, a secretis essemus, ... peculiaris dissertatio a Nobis elucubrata fuit, quae inserta in consueto folio Relationis Causarum singulis Cardinalibus tradi consuevit ». Et in opere de Sacrif. Missae (III, iv, 9) docet, in Aragoniae regno sacerdotes saeculares binas missas in die Commemorationis Defunctorum celebrare « ex vetusta quadam consuetudine », Regulares vero tres « ex vivae vocis oraculo Iulii iij (1550-1555) ».

Ad rem Cl. Ferreres (Comp. Theol. Mor. Gury-Ferreres, Ed. 3. Vol. 2, pag. 247) habet:

In die Commemorationis Omnium fidelium Defunctorum in Aragonia, Cathalaunia, Valentia, Maiorica, regularibus licet tria sti-

pendia recipere, sacerdotibus vero saecularibus, duo tantum. In reliquis Hispaniae regionibus, in Lusitania etc. non licet accipere nisi unum stipendium, quod *non potest excedere taxam synodalem vel loci consuetudinem,* quamvis stipendium maius sponte fuerit oblatum (S. C. C. 2 martii 1861 : *Analecta Eccles.* serie VI, 2277); duae reliquae missae applicandae sunt in suffragium Oo. Def. Cfr. Bened. XIV, const. *Quod expensis* 26 augusti 1748; Leo XIII c. *Trans Oceanum* 18 Aprilis 1897, n. VII (1).

Cf. etiam Prümmer O. P. *Manual Theol. Mor., Tom. III. p.* 200 et Donoso *Instituc. de Decretal. can.* 204, nec non Bucceroni, *Instit. Theol. Mor.*, ed. 3, p. 377 (2).

Saepe postulatum fuerat ut ad alia regna huiusmodi facultas protenderetur, sub pontificibus Clemente ix et Clemente xj, qui ad postulationem archiepiscopi Bracharensis, ut potestatem faceret in eius dioecesi sacerdotibus ternas missas celebrandi, ut fidelium satisfieret pietati, qui multas eo die Commemorationis Oo. Def. eleemosynas pro missarum celebratione conferebant, concessionem negavit.

Procul dubio negative tunc responsum fuit, ne inimici ecclesiae inde arguerent similem concessionem datam fuisse, ad augendas divitias Clericorum, non vero in suffragium pro mortuis.

Cum vero Ferdinandus vi Hispaniarum rex, et Ioannes v Portugalliae similes preces protulissent, re mature perpensa, gratia concessa fuit, explicita tamen conditione « ut missae ex vi novi privilegii dicendae, pro omnibus fidelibus defunctis, sine eleemosyna quocumque praetextu sive etiam sponte oblata applicandae forent ».

Hac de re idem Benedictus xiv loquens in sua citata bulla,

---

(1) Iam ex consuetudine antiqua probata a Iulio III vel Paulo III vivae vocis oraculo, ut notat Bened. XIV (Const. cit.) hoc privilegium in dictis regnis coronae Aragoniae vigebat, ita ut regularibus liceret tria sacra facere totidemque stipendia percipere, duo vero sacerdotibus saecularibus. Sic idem Ferreres.

In civitate Oriolae, et in paroeciis dioecesis Derthusanae, sitis in Regno Valentiae celebrantur duae Missae in die Omnium Sanctorum et percipiuntur duo stipendia.

(2) Citatus Prümmer enucleatius scribit: (l. c.) « Ex iure particulari, licet in Hispania, Lusitania et tota America latina celebrare tres Missas etiam die 2 Novembris. Ita ex antiqua consuetudine, quam Benedictus XIV petente Ferdinando VI confirmavit et extendit ad sacerdotes saeculares et regulares, ita tamen, ut illi qui de novo, i. e. tunc primum huius privilegii participes fierent, possent pro una Missa stipendium consuetum accipere, duas alias autem sub poena suspensionis applicare deberent sine stipendio pro omnibus fidelibus defunctis. Illi autem sacerdotes, qui iam ante Benedictum XIV fruebantur privilegio dicendi tres missas hoc die (quales sunt plures regulares) possunt tria stipendia sumere sicut in die Nativitatis D. N. Iesu Christi.

ait: « Si igitur multiplicitas Missarum quae sacerdotibus olim pluribus per annum diebus permittebantur, ideo sublata fuit, ut avaritiae quaestibus, aut obloquentium suspicionibus obviam iretur, iure meritoque Nos indultum hoc nostrum, quo sacerdotibus in praefatis regnis atque dominiis commorantibus, tres missas in die Commemorationis Omnium Fidelium defunctorum celebrare permisimus, huiusmodi expressa lege, atque districta sanctione communire debuimus, ut ne quis eorum pro missis de novo concessis, ullum stipendii genus, quacumque ex causa, et quolibet praetextu, aut colore recipere posset ».

Post eumdem Pontificem multas preces tum Episcopi, tum Communitates Apostolicae Sedi porrexerunt, ut indultum Benedicti xiv ad universam ecclesiam extendere dignaretur. Nostris temporibus sub Pio ix, Leone xiij et Pio x, denuo porrectae sunt huiusmodi postulationes; attamen non omnes consultores exquisiti pro voto, faciles ad concessionem erant, maxime ob periculum quod aliqui sacerdotes, propriae dignitatis et sanctitatis immemores, vel unam tantum missam ea die celebravissent, vel, quod fuisset gravius, stipendium pro tribus missis accepissent (1).

Huiusmodi difficultatem nos ipsi audivimus sub Leone xiij et sub Pio x, quando pia quaedam societas pro suffragio animarum, Purgatorii gratiam extensionis privilegii enixe postulaverat.

Timor autem huiusmodi nimius et immoderatus est omnino, nam, dato etiam quod inter tot sacerdotes per Orbem diffusos aliquis inveniri possit, qui vel unam missam tantum celebret ea die, vel tres applicet cum eleemosyna, maxima pars sacerdotum cordata est et legum Ecclesiae devota; igitur ob periculum unius vel alterius, non videtur bona esse ratio ad non augendum suffragium pro Defunctis. Ceterum, si timor iste non valuit sub Benedicto xiv, quare valere hodie deberet sub dignissimo eius successore Benedicto xv? Laudandus enim est bonus Deus, qui super Ecclesiam suam pervigilat, eo quod, ob curam Episcoporum, hodie in Seminariis Clerus magis doctus et pius instruitur et eruditur, quam saeculis praecedentibus, ideoque en nova ratio pro parvifaciendo timore de quo supra. Ceterum in ipsa pontificia Constitutione causae adducuntur novae privilegii extensionis.

---

(1) Leo xiij concessit toti Americae latinae, privilegium Benedictinum. (litt. *Trans Oceanum* 18 apr. 1897).

Extinctio et subversio fundationum piarum, quae tot tantaeque erant passim in omnibus Ecclesiis, Capitulis, Confraternitatibus Monasteriis, Conventibus et Hospitalibus, est causa praecipua, ideoque mens est Pontificis ut per concessionem trium missarum, in parte saltem compensentur tot missae fundatae et nunc a civilibus legibus peremptae. Causa item est, ut notatur in Constitutione, etiam numerus tam ingens militum interfectorum, in actuali nationum immani conflagratione, in qua flos iuventutis totius Europae, cadit in bello, quod est sine exemplo in tota humana historia. Attamen huiusmodi causa non est nisi occasionalis, scilicet, opportune visum fuit Summo Pontifici, hanc concessionem non procrastinare, ut multiplicatis sacrificiis, facilius morientes in bello, saltem die 2 Novembris huius anni, participare possint ad auctum suffragium.

Alia causa, non minoris ponderis, est etiam, ut nobis videtur, ex una parte auctus numerus Catholicorum, per universum mundum, et ex altera diminutus numerus sacerdotum. Uti notum est, hodie numerus sacerdotum tam de clero saeculari quam de regulari, valde imminutus est (1) ideoque et numerus missarum quae quotidie celebrantur. Opportunum est ergo, ut, aliquo modo adaugeatur, si non sacerdotum, missarum numerus, ut suffragium magis extendatur ad multiplicatos Catholicos, qui ad ovile Christi et ad Ecclesiam romanam hisce nostris temporibus obvenerunt, ideoque et numerus succrescit defunctorum in Christo, qui piacularibus flammis sunt addicti.

Circa vero novam hanc concessionem, nonnulla sunt adnotanda.

I. Missae celebrandae notatae sunt in decreto S. R. C. 11 aug. 1915, et sunt missa I, III et IV, quae inveniuntur in missali romano pro Defunctis, tantummodo aliquantisper mutatis orationibus in III et IV, ut pro omnibus Defunctis magis adaptatae essent, ut cuique apparebit; non enim sunt novae orationes illae quae in decreto proponuntur, sed eaedem sunt quae in Missali inveniuntur, paucis verbis mutatis.

II. Concessio trium missarum non portat praeceptum, dicit enim constitutio: *Licebit omnibus sacerdotibus*: attamen quis non tres, sed duas missas tantum celebrare poterit?

---

(1) Verbi gratia, ex episcopali visitatione anni 1775 facta in nostra dioecesi Placentina eruitur, quod tunc habebantur 226000 fideles, sacerdotes saeculares 2756, regulares 612. Hodie vero sunt 307000 fideles, sacerd. saec. 628, reg. 60.

Ratio dubitandi oritur ex eo quod in Constitutione (N. III) supponitur casus quo una tantum missa celebretur, non duae, ergo. Nihilominus credimus quod bene aliquis sacerdos duas tantum Missas celebrare queat, unam cum stipendio et alteram sine. Qui enim privilegio sibi concesso in parte tantum uti velit, nil contra legem facit, sed utitur iure suo. S. R. C. ad rem suo decreto n. 3767 dato pro dioecesi Calaguritana, die 13 febr. 1892 explicite permittit quod duae tantum missae celebrari possint, et tunc secunda pro libito Sacerdotis, dummodo prima semper dicatur ut in die Commemorationis Oo. Defunctorum.

Attamen quia in casu agitur de maiori suffragio applicando fidelibus Defunctis, ac de maiori gloria Omnipotenti Deo tribuenda per Sacrosanctum Missae sacrificium ter litandum, nemo sine iusta et gravi causa unam tantum vel duas missas celebrabit, sed tres iuxta pontificiam hanc salutarem et tam expectatam concessionem, etiam pro scandalo removendo apud fideles, qui ea die summopere cupiunt ut multae Missae dici queant in solatium defunctorum suorum.

III. Privilegium celebrandi tres Missas tangit ne tantummodo personas individuas, vel etiam coetus sacerdotum uti Capitula Canonicorum, Monasteria seu Conventus Regularium? Procul dubio tangit huiusmodi pontificium privilegium tantummodo *personas individuas*, non vero sacerdotum coetus: constitutio enim aperte loquitur de individuis personis, dicens: *Liceat omnibus in Ecclesia universa sacerdotibus*... ac nullum verbum facit de Capitulis et de missa chorali: ergo Capitula se gerere debent in die Commemorationis Oo. Def. prout antea.

Si autem aliquod Capitulum Canonicorum, vel Monasterium aliquod, vel parochus cum suo populo, tres Missas choraliter canere statueret, nil contra legem ageret, ut nobis videtur, et in casu, iuxta leges chorales (quando plurimae Missae in una die cani debeant, censemus quod, interposita aliqua hora canonica, prima Missa cani deberet post Laudes, secunda post Primam, et tertia post Nonam.

IV. Quid erit agendum a Parocho si in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum occurrat funus alicuius ex suis filianis? Cum una ex tribus Missis concessis applicari possit ad libitum celebrantis et etiam cum stipendio, parochus missam pro defuncto, ut in die obitus celebrabit (S. R. C. decr. 14 apr. 1646, n. 893 et

20 sept. 1687, n. 1788) alias vero duas missas omnino absque stipendio celebrabit, nempe primam quae pertinet ad officium diei, aliam vero pro lubito, vel secundam vel tertiam ex notatis in decreto Congregationis.

Quid autem si eadem die duo funera occurrerent? Poteritne Parochus primam Missam et secundam pro defuncto in die obitus celebrare, tertiam vero pro omnibus Defunctis?

Negative omnino respondendum esse censemus. Privilegium enim trium Missarum concessum est tantummodo in favorem omnium Defunctorum; duae ergo missae concessae ex privilegio Pontificis cuique Sacerdoti, celebrandae sunt prout Constitutio et S. R. C. decretum determinant, nempe sine stipendio, et cum applicatione pro omnibus defunctis secundam, et iuxta intentionem Summi Pontificis pro tempore tertiam. In casu ergo Parochus comportare se debet prout antea licebat, quando privilegium istud non habebatur, scilicet vocet alium sacerdotem qui missam canat pro Defuncto pro quo agendum est funus.

V. Circa modum purificandi calicem omnino standum est ad ritum et S. R. C. decreta ut pro tribus missis in Nativitate Domini. Sicut enim necessarium non est ut tres Missae in hac solemnitate dicantur continuatim una post aliam, vel in eodem altari, imo nec in eadem Ecclesia, celebrans ita se gerat uti probati auctores hac de re iuxta S. R. C. decreta docent pro Missis in Nativitate Domini.

Superfluum tamen est adnotare, quod omnia applicari possunt Missis tribus pro Defunctis in Commemoratione Oo. Def. quae pro Missis in Nativitate declarata sunt, iis exceptis quae tangunt missas media nocte et in Aurora celebrandas, ut patet.

VI. Quid agendum a Canonico vel beneficiato qui missam conventualem canere debet in die Commemorationis Oo. Def. circa stipendium et circa alias duas missas ab eo celebrandas? Responsum in promptu est. In casu agitur de Missa conventuali, quae celebrari debet cura Capituli. Hinc, vel Capitulum stipendium tradit Hebdomadario, vel Hebdomadarius missam conventualem canere debet sicut onus sui canonicatus vel beneficii. In utroque casu missa conventualis locum tenet missae quae ad libitum Sacerdotis applicari potest cum stipendio, prout tradit pontificia Constitutio N. I; ideoque duas alias missas celebrabit hebdomadarius absque stipendio, sed applicando eas, unam pro omnibus Defunctis et alteram ad intentionem Summi Pontificis pro tempore.

Quod autem attinet ordinem celebrationis missarum in casu, hebdomadarius, iuxta N. II. missam cum cantu dicet primam, nempe pro die Commemorationis Oo. Def., alias vero ante vel post missam ipsam conventualem, pro suo lubito.

VII. Utrum qui unam ex tribus missis celebrat in oratorio dissito, ad invitationem populi, ut facilius die Commemorationis Oo. Def. in villa missam auscultare valeant fideles rustici, possit accipere eleemyosnam.

Resp. Potest quidem, ut patet, si alias duas missas celebrat sine stipendio, alioquin negative. Iuxta tamen decisionem Cong. Concilii in *Treviren.* 23 mart. 1861, potest in casu sacerdos intuitu *laboris et incommodi,* accipere aliquod emolumentum, exclusa qualibet eleemosyna pro applicatione Missae, quae proinde applicari debet, vel pro omnibus Defunctis, vel ad intentionem Summi Pontificis.

Nec valet opponere, quod iuxta concessionem Benedicti xiv, ut supra vidimus, missae celebrari debent omnino gratis, sine ullo prorsus stipendio, quomodolibet oblato, etiamsi sponte vel titulo eleemosynae, vel ratione paupertatis propriae, aut ecclesiae sive conventus, aut familiae, vel sub quocumque praetextu; nam etiam pro missa in casu binationis, nullum stipendium quocumque titulo pro applicatione accipi potest, et tamen, ratione maioris laboris et incommodi S. Sedes concedit ut aliquid sacerdos percipere queat.

Hoc tamen dicimus sub censura, et salvo meliori iudicio.

VIII. Pro duabus missis concessis, applicandis pro Oo. Def. et ad intentionem Summis Pontificis, nullum stipendium accipi potest, etiamsi stipendium ipsum in usus pios expendatur, ut respondit S. C. C. in *Colonien.* 21 mart. 1863. Imo nec applicari possunt pro benefactoribus qui certam pecuniam ad fabricam ecclesiae dederunt cum onere peculiaris applicationis huiusmodi missarum, ut pro missa in casu binationis, declaravit eadem C. C. die 1 apr. 1876 (*Act. S. Sed.*, IX, p. 22).

Licet Sacerdos, qui ex statutis sodalitatis, cui nomen dedit, et tenetur missam celebrare pro sodali defuncto, possit ad satisfaciendum huic oneri, secundam missam in die binationis applicare in casu, uti declaravit S. C. C. in *Vivarien.* 5 Mart. 1887, attamen in die Commemorationis Oo. Def. licentia huiusmodi admitti nequit, eo quod duae Missae concessae, non tantum celebrari debente absque stipendio, sed praeceptive applicari quoque debent, una

pro Oo. Def. et altera ad intentionem Summi Pontificis; ergo aliam applicationem sacrificii diversam facere nefas est omnino.

IX. Quaerere etiam placet, utrum poena *suspensionis* quam *ipso facto* incurrebant sacerdotes qui percepissent stipendium pro duabus missis concessis a Benedicto xiv, adhuc vigeat, et si in casu etiam incurratur nunc a sacerdotibus universae ecclesiae.

Nonnulli sacerdotes hispani, Romae degentes, quos consuluimus, ignorant huiusmodi censurae existentiam.

Cl. P. Casanueva C. M. F. (Manual. Lit. N. 96 in nota) ait quod praedicta suspensio ablata fuit a Constitutione Pii ix *Apostolicae Sedis*, et citat Moràn *(Theol. Mor. nn. 1938 et 3494)*, nihilominus in S. R. C. decreto n. 3767 dato d. 13 febr. 1892 (igitur post dictae bullae publicationem) notatur quod duae missae a sacerdotibus hispanicis etc. applicari debeant pro Defunctis sine stipendio sub poena suspensionis.

In plurimis Americae Latinae calendariis, etiam pro anno proximo 1916, haec leguntur sub die 2 Novembris (Vide Calend. 1916 pro dioec. Fortalexien. Romae, Typ. Pont. Institut. Pii ix, p. 124):

Hodie a quolibet sacerdote tres Missae celebrari possunt cum unica oratione et sequentia *Dies irae*. Observanda praeterea sunt quae sequuntur;

Prima Missa potest applicari alicui peculiari Defuncto, et solummodo pro hac potest accipi stipendium vel eleemosyna, sed non ultra legitimam taxam consuetam Dioecesis.

Secunda Missa non debet applicari nisi tantummodo pro omnibus Fidelibus Defunctis, et quidem omnino gratis sine ullo prorsus sripendio, quomodolibet oblato, etiamsi sponte vel titulo eleemosynae vel ratione paupertatis propriae, aut Ecclesiae sive Conventus aut familiae, vel sub quocumque praetextu. Et hoc sub poena suspensionis *ipso facto* a divinis et Summo Pontifici reservatae, vel Ordinario Dioecesis de iure ei delegato, facta tamen reapse et prius restitutione in manus Ordinarii, qui omne tale stipendium erogare debebit in alios pios usus, non tamen in favorem delinquentis aut ipsius delinquentis coniunctorum, etiamsi notoria paupertate laboraverint.

Talis delegatio Ordinario a Pontifice facta non extenditur ad dispensationem ab irregularitate in quam incideret, qui post talem suspensionem incursam, in Sacro Altari ministrare praesumeret: talis enim irregularitatis dispensatio Summo Pontifici est privative ac perpetuo reservata.

Quae dicta sunt de secunda missa, intelligi debent et de tertia, quae etiam debet applicari in suffragium omnium Fidelium Defunctorum, et quidem prorsus gratis sub iisdem poenis.

Confer etiam *Ord. Div. Off.* anni 1914 pro dioecesi Beiensi in Lusitania.

Quidquid sit de regnis Hispanicis et regionibus ubi vigebat iam privilegium Benedicti xiv, nobis videtur quod in universo orbe, sacerdotes gravissime peccabunt, si missas secundam et tertiam celebrarent cum stipendio accepto, nullam tamen censuram incurrunt, eo quod Ss. D. N. nullum verbum facit de censura; ergo.

X. Iuxta S. R. C. decr. 10 mai 1895 n. 3855. Tres. *Ave Maria* etc. dicendae in fine Missae si tres missae consecutive legantur, semel, scilicet post tertiam, recitari debent.

XI. Valde disputatum fuit, utrum revera sacerdotes, quibus Benedictus XIV, extra coronam Aragoniae, privilegii extensionem concesserat, pro missa cum stipendio applicanda accipere possent eleemosynam maiorem supra taxam synodalem vel consuetam. Nonnulli doctores Grosin (1796) Sanches-Ribera (1867) Moran et Lemkul (II, 212) Gasparri (de Sacr. Euch. I. 395) et Gury-Ferreres nec non *Monitore Eccl.* (1 Ag. 1915 p. 361) negant, et pro negativa sententia citant decisionem Concilii 23 mart. 1861. Attamen P. Emanuel de Arriandiaga C. M. F. (*Ilustracion del Clero* Madrid An. II, 1908, p. 323-329 validissimis argumentis affirmativam sententiam probat, adducens auctoritatem plurium auctorum inter quos Le Noir, Busquet C. M. F., Card. Vives y Tuto, Wernz et Santi-Leitner, etc.

Quidquid sit de huiusmodi quaestione, cum Ss. D. N. Benedictus xv, in sua Constitutione ad rem nihil disponat, dicendum est quod omnes Sacerdotes in toto Orbe, etiam in Hispania, unam ex tribus missis cum stipendio sive limitatione ulla, celebrare possunt, dicit enim simpliciter: *stipem percipere* queant.

Dr. PETRUS PIACENZA.

Acta
Academiae Liturgicae Romanae.

Die 5 maii 1915 in ecclesia Ss. Trinitatis et S. Apollinaris Congreg. Missionis habitus est conventus accademicus, in quo Rev. D. SALVATOR CAPOFERRI *e Semin. Lateranensi quaestionem enodavit:*

De inclinationibus faciendis a celebrante et ministris.

Post Censorum animadversiones R. P. VICTORIUS *ab* APPELTERN *O. M. Cap. epitomen resolutionem fecit, ac postea unus e Presb. Cong. Miss. pium sermonem habuit.*

VIII.

Domninus, cum uno de amicis suis disputat, quam inclinationem facere debeat sacerdos in fine missae dum recedit ab altari; et quomodo se gerere debeat sacerdos celebraturus qui paratus transit per medium ecclesiae, satis longae et spatiosae, an scilicet, reverentiam facere debeat necne ad crucem maioris altaris, quod nimis distat, vel si in eo adservatur Ss. Sacramentum genuflexionem. Item, an clericus in casu genuflexionem vel reverentiam facere debeat, ob principium a multis acceptum, quod minister, in actu ministerii ad crucem genuflectit, extra ministerium vero inclinationem facit. Cum autem disputationi finem imponere nequeat, ab Academia nostra quaerit:

1. *Quid docent Rubricae et eorum commentatores, uti Gavantus cum Merato, nec non S. R. C. decreta, circa reverentias ad crucem altaris faciendas.*

2. *Quomodo interpretati sint antiqui commenta-*

tores rubricam de ultima inclinatione facienda a sacerdote in fine missae, antequam ab altari discedat: quid dicendum de recentiorum auctorum sententia, et quid disponat Rubrica missalis recens recognita?

3. *Quid sit tenendum circa omittendam inclinationem ad crucem, si altare maius nimis distat, ac circa inclinationem, loco genuflexionis, facienda a ministro in casu?*

Solutio.

Egregius solutor optimam praestitit enodationem quaestionum, cum vero in hisce nostris Ephemeridibus hac de re plura scripta fuerint hoc anno, ne repetantur ea quae alibi legere possunt lectores nostri, hic eos locos citamus.

Ad I. Vide *Ephem. Liturg.* mense febr. huius anni, pagg. 108–110; mart., pagg. 154–157; mai., pagg. 286–293, nempe: Reverentia ad Crucem facienda a Celebrante tam in primo accessu ad Altare, quam in ultimo recessu, incerta manet, iuxta Rubricas et commentatores; ut constet utrum eadem esse debeat expectanda est editio Rubricarum novissimarum Missalis, in quibus et dicetur, utrum esse debeat inclinatio profunda solius capitis vel totius corporis.

Ad II. Vide *Ephem. Liturg.* mense maio pagg. 293-296; iun. pagg. 360–363 et 369–372. Non una sane fuit sententia Commentatorum circa dictam reverentiam, sicut non unus modus intelligendi locutionem alicuius ex istis Scriptoribus; nihilominus, hodie conveniunt fere omnes quod unico modo agenda videtur inclinatio tam in principio, quam in fine; et qui contradicunt, innixi Rubricae praesenti, accedunt, se tamen ad proximam Rubricarum editionem referentes.

Ad III. Vide *Ephem. Liturg.* mense iulio pagg. 424-426. Omnes transeuntes ante Altare maius, licet longe distet, tenentur reverentiam debitam Cruci Altaris exhibere, iuxta maiorem partem Censorum Academiae, contra aliquos qui dispensant ab huiusmodi inclinatione, quando Altare nimis distet.

Archaeologia Liturgica.

De osculo pedum Romani Pontificis.

(Continuatio, V. n. 7 curr. anni, pagg. 409-414)

C) *De osculo pedis Romani Pontificis inter Missarum solemnia et in aliis liturgicis functionibus.* — Osculum pedis non est tantum sacra quaedam caeremonia extra-liturgica, sed ad sacram Liturgiam pleno iure pertinet, adhibetur enim in solemnioribus liturgicis functionibus quae a Summo Pontifice peraguntur. De ipsa igitur ea saltem excellentia, nobilitas et venerabilitas est asserenda, quae generatim cuique liturgicae caeremoniae congruit.

Quamvis aliquo modo etiam Imperatoris coronatio, functio liturgica dici possit, cum ordinarie durante sanctissimo Missae sacrificio peracta fuerit, aliae tamen extant sacrae functiones quae, stricto sensu, sunt liturgicae, in quibus osculum pedis Summo Pontifici exhibetur.

Quarum functionum prima et praecipua est Missa solemnis, ab ipso Summo Pontifice celebrata.

Antiquiores S. R. Ecclesiae libri liturgici, *Ordines* scilicet *Romani,* Primus, Secundus et Tertius osculum pedis Summo Pontifici solemniter celebranti, a Diacono, antequam Evangelium legat, exhibendum praescribunt. En trium *Ordinum* verba; Primus habet: « Deinde » (idest: post cantum responsoriorum, quae sequuntur Epistolam) diaconus osculans pedes Pontificis tacite, dicit ei Pontifex, *Dominus sit in corde tuo et in labiis tuis.* In altero reperitur: « Deinde diaconus osculans pedes Pontificis, petitaque benedictione, venit ante altare ». Tertius dicit: « Deinde diaconus, osculatis pedibus Pontificis et accepta ab eo hac benedictione:

Dominus sit in corde tuo et in labiis tuis, venit ante altare » (1). Verba fere eadem in tribus Ordinibus occurrunt, et manifeste Ecclesiasticae auctoritatis sollicitudinem comprobant in accuratioribus expressionibus adhibendis ad sacras caeremonias tradendas et conservandas.

Cum autem praefati tres *Romani Ordines* ad tempora saltem, iuxta communem Doctorum sententiam, quibus S. Gregorius M. vixit, referendi sint (2), sequitur hanc caeremoniam sub tanto Pontifice fuisse quoque frequentatam, ac deinde sub aliis sanctis Pontificibus, et clarissimis viris, qui in Ecclesia ab eo tempore usque nunc floruerunt, adhibitam et approbatam fuisse. Agitur proculdubio de venerabili caeremonia, cuius origo, cum ceteris sacris ritibus, in primis Ecclesiae saeculis est ponenda, et cuius usus fuit ininterrupta consuetudine consecratus.

Nostris quoque temporibus haec caeremonia in solemnibus Missae sacrificiis, quae a Summo Pontifice celebrantur, religiosissime servatur. Intra Missam duabus vicibus habet locum, post lectionem Epistolae et post lectionem Evangelii. Post lectionem Epistolae, duo Subdiaconi, alter pro lingua latina et alter pro lingua graeca, unus a dextris et alter a sinistris ante Pontificem genuflectunt eique pedes osculantur. Item ad Evangelium Diaconus pro lingua graeca ante Pontificis thronum provolvitur eique pedes osculatur (3).

Quatenus haec caeremonia ad sacram liturgiam pleno iure pertinet et in sacro Missae sacrificio adhibetur, de ea quoque ille Tridentinae Synodi canon intelligi debet, qui definit: « Si quis dixerit caeremonias, vestes et externa signa quibus in Missarum celebratione Ecclesia Catholica

(1) MABILLON, *Musaeum Italicum*, Parisiis 1724, T. II, pagg. 9, 45 et 56. — Cf. etiam *Civiltà cattolica*, an. 1905, vol. II, pag. 471, et quosdam saltem ex Auctoribus ibidem, pag. 463, indicatos.

(2) Non intendimus hac assertione non paucas posteriores interpolationes vel mutilationes in dubium vocare.

(3) Cf. opellam cui titulus *Les Messes papales solennelles*. Librairie Catholique Internationale, Desclée, pagg. 31 et 33.

utitur irritabula impietatis esse magis, quam officia pietatis; anathema sit » (1). Et revera non potest haec caeremonia nonnisi veluti *officium pietatis* in Deum et in eius in terris Vicarium haberi, cum ad ipsius Dei potestatem homini collatam debito honore prosequendam ordinetur.

Innocentius III in sua *De sacro Altaris mysterio* tractatione peculiarem huiusmodi Missae Pontificalis caeremoniae sensum exhibet, dicens: « Subdiaconus vel diaconus non manus, sed pedes Romani Pontificis osculatur, ut summo Pontifici, summam exhibeat reverentiam, et eum illius ostendat Vicarium esse, cuius pedes osculabatur mulier illa, quae fuit in civitate peccatrix. Adorandum est enim scabellum pedum eius, quoniam sanctum est, cuius pedes mulieres tenentes resurgentem a mortuis adoraverunt » (2). Finis igitur huic caeremoniae proprius, est ut per eam R. Pontificem, Christi Vicarium profiteamur, et qua talem eum veneremur.

In quibusdam aliis sacris functionibus, praeter solemne Missae sacrificium, osculum pedis R. Pontifici exhibetur. Inter has functiones eminet ipsius Summi Pontificis solemnis coronatio.

Ob temporum calamitates, in peragenda hac solemnitate, non amplius omnes caeremoniae servari possunt, quae olim servabantur; hinc factum est, ut quaedam in desuetudinem abierint.

Quando novi Pontificis coronatio solemniter in Basilica Principis Apostolorum fiebat, primum osculum pedis ante ingressum in Basilica, Pontifici exhibebatur. Circa quod sequentia in Caeremoniali Romano ordinantur: « Quum Papa electus pervenerit ad portam ultimam palatii, quae est in capite porticus Ecclesiae S. Petri, in palatio apud portam extenditur tapetum, ponitur faldistorium, et sedens

(1) Conc. Trid., Sess. XXII, cap. VII.

(2) INNOCENTIUS III, *De sacro Altaris mysterio*. L. II, cap. 37. Migne P. L. CCXVII, 821.

ibi electus, recipit ad osculum pedis canonicos et capitulum Basilicae S. Petri; deinde surgens intrat in Ecclesiam per portam, quae est in medio » (1).

Inter Missarum autem solemnia, cum Pontifici mitra et pallium in signum plenitudinis potestatis imposita fuerint, iuxta rubricam in *Sacramentario Gregoriano* traditam: « ascendit Papa ad sedem et recipit ad pedes omnes Episcopos et Presbyteros et Diaconos Cardinales et alios Praelatos et dat pacem omnibus Episcopis, Sacerdotibus et Levitis Cardinalibus » (2). Quam rubricam paulo mutatam ita exhibet *Caeremoniale Romanum:* « Accepto pallio Pontifex.... a Diacono incensatur et non recipit Diaconum tunc ad osculum, sed ascendit ad cathedram eminentem, sedens recipit ad reverentiam Cardinales et praelatos omnes paratos, Cardinales ad osculum pedis, manus et oris; alios paratos ad osculum pedis et manus » (3). Ea quoque pedis oscula deinde Pontifici exhibentur, quae solemnis Missae Pontificalis sunt propria.

Olim, coronationis solemnitate in Basilica S. Petri peracta, Pontifex cum comitatu suo ad Lateranum honorifice equitabat et ibi, aliis quibusdam expletis caeremoniis, populo benedicebat. « Inde cum mitra ascendens ad sedem eminentem, sedens recipit ad osculum pedis Canonicos Lateranenses » (4).

In Episcopi quoque consecratione quae a Summo Pontifice peragitur, a remotis temporibus osculum pedis Pontifici praestari consuevit. Iuxta quaedam antiqua documenta, Consecrandus, Pontificis pedes bis osculabatur: immediate post examen, et in fine Missae post acclamationem « Multos

(1) *Sacrarum Caeremoniarum S. R. E.*, Libr. I, sectio II, cap. 3, cart. 20.

(2) Muratori, *Liturgia Romana vetus*, Venetiis 1748, T. II, pagina 449. — Cf. Mabillon, *Musaeum Italicum*, T. II, pag. 224.

(3) *Sacrarum Caeremoniarum,* L. I, sect. II, cap. III, cart. 24.

(4) Ibid. cart. 28-29. — Haec eadem iam in Ordine Romano XIII statuta reperiuntur. — Cf. Mabillon, *Musaeum Ital.*, loc. cit., pag. 230.

annos ». De priori osculo scribit Catalanus: « Monet praeterea Pontificale Romanum Bibliothecae Colbertinae, si Consecrator est Papa, debere consecrandum, qui expleto examine ad ipsum deductus est, osculari ei pedem et os » (1). De altero in *Sacramentario Gregoriano* sequentia reperiuntur: « Deinde (post nempe ter repetitam acclamationem *Multos annos*), osculatur pedes eius, si Papa fuerit Consecrator, vel os alterius Consecrantis » (2). Haec quoque mire conspirant ad venerandam caeremoniae antiquitatem ostendendam.

In creatione quoque Cardinalium hoc subiectionis testimonium Pontifici ab electis exhibetur: Sacra haec caeremonia iuxta *Caeremoniale Romanum* ita inchoatur: « Congregatis omnibus, Pontifex cum pluviali et mitra pretiosis, praecedente Cruce et Cardinalibus, exit ad publicum Consistorium et ascendit cathedram suam et recipit Cardinales antiquos ad reverentiam more solito » (3). Haec reverentia quatenus a Cardinalibus exhibetur, complectitur osculum pedis, manus et oris, uti iam pluries indicatum vidimus.

Peracta allocutione, novi Cardinales adducuntur ad Pontificem, et « pedem, deinde manum illius osculantur, et Pontifex eos allevans, ad osculum oris recipit » (4). Pro Consistorio, in quo eis annulus traditur et titulus destinatur, praescribitur: « Cum autem acceperint annulum et titulum, osculentur pedem et Pontificis manum, et Sanctitas Sua eos elevat ad osculum oris, et revertentur ad sedes suas » (5). Huiusmodi obsequii vestigium a Cardinalibus praestiti, reperitur in *Sacramentario Gregoriano*, in quo novus Presbyter post acceptam ordinationem a Summo Pontifice, eiusdem pedes osculari iubetur: « Hac benedictione (ibi statuitur) et ordinatione completa, qui Presbyter est ordinatus a Domino

---

(1) CATALANUS, *Pont. Rom.*, Part. I, tit. XIII, paragr. XII. — Cf. etiam ibid. Part. II, tit. XXIV, circa finem.

(2) MURATORI, *Liturgia Romana vetus*, l. c., pag. 443.

(3) *Sacrarum Caeremoniarum*, I.. I, sect, VIII, cap. VI, cart. 66.

(4) Ibid. cap. VII, cart. 67.

(5) Ibid. cap. VII, cart. 69.

Papa, osculatis primum pedibus Pontificis, dat osculum pacis, tam eidem Pontifici, quam Episcopis et Presbyteris et Diaconibus et Cardinalibus » (1). Hoc obsequium Cardinales renovant quoties a Pontifice sive private, sive publice recipiuntur (2).

Non est cur amplius in huiusmodi caeremoniae significatione explananda instemus, id enim repetitis vicibus et ad satietatem usque praestitimus, sed quia unaquaeque caeremonia liturgica est veluti catholicae doctrinae expressio ac ad officia implenda, quae ex fide manant, excitatio, scire summopere interest quomodo animarum Pastores ex hoc ipso obsequio, occasionem et materiam nacti sint, ut fideles catholicam doctrinam de Summi Pontificis divina potestate et primatu docerent, eosque excitarent ad omnem obedientiam ac reverentiam, quae Catholicum decet, eidem praestandam.

Huiusmodi rei praeclarum exemplum habemus in Ill.mo ac Rev.mo D. D. Ioanne Vincentio Tasso Augustano Episcopo, qui in proxime elapsa Quadragesima fideles suos per consuetam pastoralem Epistolam ad considerandum revocavit « Le Pape dans les Cérémonies de son election et de son Couronnement ». Nobis indulgeatur, si ex hoc praeclarissimo pastorali documento quaedam notatu digniora decerpimus :

En qua suavitate factum primae adorationis exponit et considerat inclytus Praesul : « A peine le Pape a-t-il revêtu son habit blanc, la première Cérémonie qui s'accomplit, c'est l'*adoration* du novel Elu, Le Pape s'assied sur le

(1) MURATORI, *Liturgia Romana vetus*, T. II, pag. 429.

(2) *Sacrarum Caeremoniarum*, L. III, sectio I, cap. 5, cart. 192. – Huiusmodi rei vestiguim reperitur quoque in *Libro Ordinum* Liturgiae Mazarabicae, cum caeremoniae indicantur, quibus quaedam benedictiones, improprio nomine *Ordinationes* appellatae, impertiuntur. In his, Episcopo benedicenti, expleta functione, pedis exosculatio exhibenda praescribitur. Cf. CABROL-LE CLEREQ *Monumenta Ecclesiae Liturgica*, V. V. *Le Liber Ordinum*, Parisiis, 1914, pag. 43.

trône pontifical placé sur le marchepied, au milieu de l'autel; et tous les Cardinaux vont, un à un, par ordre de dignité et d'ancienneté, se prosterner à genoux devant lui, ils lui baisent le pied el la main droite, puis ils en recoivent l'accolade. Cette *adoration* se répète trois fois le jour de l'élection; elle se renouvelle ensuite à toutes les fonctiones solennelles auxquelles le Pape préside. Il est dit de la Saint Vierge qu'elle fut la première à adorer le Fils de Dieu qu'elle avait engendré: *Ipsa quem genuit adoravit*: ainsi les Cardinaux sont les prémiers à *adorer* le Pape qu'ils ont créé. — Que personne ne se formalise de cet *acte d'adoration du Pape;* nous en verrons bientôt la signification et la portée » (1).

Cum de adorationis natura ex proposito disserit, praemittit quid importet adoratio erga Deum, et dicit: « L'*adoration,* rapportée à Dieu, est l'acte par lequel on reconnaît sa souveraineté divine, absolue et infinie, devant laquelle toute créature se posterne et confesse son néant: *tanquam nihilum ante te.* C'est l'acte suprême du culte divin » (17).

Quid vero adoratio importet erga Summum Pontificem, ita exponit: « L'*adoration,* rapportée au Pape, est l'acte par lequel on reconnaît sa suprématie, sa primauté sur toute l'Eglise, devant laquelle se prosternent non seulement les fidèles et les prêtres, mais aussi les Evêques et les Cardinaux, qui occupent les plus hauts degrés de la Hiérarchie ecclésiastique. Par cet acte, ils confessent leur propre infériorité et soumission: *Quis similis tibi?* L'*adoration du Pape,* dans le langage liturgique et ecclésiastique, s'appelle aussi *Obédience,* et l'on dit indifféremment l'*Adoration des Cardinaux* ou l'*Obédience des Cardinaux.* Ce nom d'*Obédience* explique très-bien le sens et la portée de l'*adoration du Pape.* C'est un acte de profond respect, une protestation de soúmission que les Cardinaux font au Souverain Pontife, au Vicaire de Jésus-Christ » (2).

(1) *Serve Dioecésaine,* Aoste T. I. année 1915, n. 2, pag. 39.
(2) Ibid. pag. 46.
(3) Ibid. pag. 46.

Hisce consideratis, iure infert: « Or, si telle est la manière d'agir des Cardinaux, qui sont les Princes de l'Eglise, les premières Dignités de la Hiérarchie ecclésiastique, telle doit être aussi, à plus forte raison, la conduite des Evêques, des prêtres et des simples fidèles. C' est pour cela que tous ceux qui se présentent au Pape, commencent par cet *acte d'adoration,* et se prosternent pour lui baiser le pied, confessant ainsi, d'une part, leur propre infériorité et soumission, et, de l'autre, la suprématie et la primauté du Souverain Pontife. C'est là le premier devoir que nous avons à remplir envers le Pape. Ainsi entendue, l'*adoration* de Dieu et celle du Pape, ne doivent pas être des actes passagers, mais une disposition continuelle et habituelle, un état permanent de soumission et d'obéissance, que la Créature doit au Createur, et que tout membre du corps de l'Eglise doit à son Chef Suprême. Si cet act se répète plusieurs fois et dans maintes circonstances, c'est précisément pour nous en rappeller l'obligation et en entretenir et perfectionner en nous la disposition habituelle et permanente » (1).

Quibus considerationibus, quas speciminis gratia retulimus, nobis non superest nisi plene subscribere, et huic brevi tractationi finem ponere.

Finis.

Fr. IOSEPHUS ANT. O. M. Cap.

(1) Ibid. pag. 46.

Expositio Rubricarum.

Reformatio Breviarii Romani necessaria erat.

(Continuatio, V. num. 7 curr. anni, pagg. 397-408)

E) *Missae propriae Feriarum ac Vigiliarum pariter neglectae.*

Quod diximus de Missis pulcherrimis Dominicalibus per annum, dicendum est etiam de Missis propriis Feriarum Quadragesimae, Quatuor Temporum, II Rogationum ac Vigiliarum.

De pulchritudine, venustate ac opportuna dispositione Missarum in Feriis Quadragesimae, nemo est qui dubitare possit.

Formularium Missarum perantiquum est, Orationes enim fere omnes inveniuntur ad litteram in Sacramentario Gregoriano, sed lectiones epistolarum et evangeliorum, saltem in parte, antiquiores sunt. Ex. gr. evangelium de ieiunio et tentationibus Redemptoris nostri, quod invenitur in Dominica I Quadragesimae, iam in eadem Dominica legebatur tempore s. Leonis Magni, cuius sermo legitur in II Nocturno eiusdem Dominicae.

Unaquaque Feria habetur Statio, et ut plurimum, sive evangelium sive epistola, sive introitus, relationem habent cum Titulari ecclesiae in qua fiebat Statio. Verbi gratia, Feria V hebdomadae iij, est Statio in ecclesia Ss. Cosmae et Damiani, et in orationibus Missae eiusdem Feriae memoria agitur de iisdem sanctis. Similiter Sabbato eiusdem hebdomadae iij, Statio est in ecclesia s. Susannae, quae fuit insignis virgo romana cuius domus in regione vj in Quirinali erat, ibique erecta dein ecclesia in eius honorem (Ba-

ronius, Not. Martyr. die 11 aug.) in Missa illius sabbati, legitur historia alterius pudicissimae Susannae ex libro Danielis prophetae.

De ordine orationum, epistolarum et evangeliorum feriarum Quadragesimae dici debet, quod de Missis Dominicarum post Pentecosten scripsit Gavantus (Rubr. Miss. IV, xij, 15): « Circa vero Missae orationes et evangelia (et nos addimus etiam epistolas)... cur potius hanc vel illam, hoc vel illud, huic vel illi Dominicae assignaverint, difficile est causam invenire, nam in Adventu et festis Domini, aliqua semper est proportio inter orationes, evangelia et festa; in Quadragesima vero et Dominicis iv, v et vj post Epiphaniam; et in ij, iij, iv et v post Pascha; et in reliquis Dominicis post Pentecosten sufficere debet auctoritas tantorum Patrum, quibus ita visum est opportunius fore et utilius ».

Sicut de Missis Dominicalibus, quando impediuntur, agenda est semper commemoratio quocumque festo etiam I classis occurrente, ita etiam dicendum est de Missis Feriarum Quadragesimae, etc. Nihilominus, quia Feriae praedictae cedebant omnibus festis etiam ritus semiduplicis, et quia Rubricae Missalis s. Pii V excludebant Missas votivas et defunctorum quotidianas, solummodo in Feria iv Cinerum et in maiori hebdomada, huiusmodi Missae antiquae, et ab omnibus venustissimae existimatae, ac sensibus pietatis praeditae, omnino neglectae atque quodammodo repudiatae a clericis fuerunt.

Quod hic diximus de Missis quadragesimalibus, dicendum est etiam de Missis Quatuor Temporum, Feriae II Rogationum ac Vigiliarum. De Missis Vigiliarum autem hoc placet notare, quod benemeriti Fratres Capuccini Missale proprium ediderunt paucis ab hinc annis, in quo Missae Vigiliarum penitus omissae fuerunt, servatis tantummodo evangelio et orationibus, pro commemoratione, eo quod plurima officia propria perpetuo impediebant Missas ipsas: ita ut hodie, cum kalendarium Ordinis emendatum fuerit, non habuerint boni Fratres ubi sumerent Missas Vigiliarum, quas proinde in folio separato edere curarunt hisce diebus.

Necessaria ergo, hac etiam in re, erat reformatio Rubricarum, quae, ex una parte permittit ut legantur Missae propriae Feriarum et Vigiliarum, etiam in occursu cum duplicibus maioribus et minoribus ac semiduplicibus, et ex altera iisdem in Feriis et Vigiliis prohibet quominus legi possint Missae votivae et defunctorum.

Si consideramus quod antiquitus, per totam Quadragesimam nullum festum celebrare fas erat, et nonnisi a Concilio Trullano (an. 692, can. 52) exceptio huius legi concessa fuit pro festo Annunciationis b. Mariae V., quod est festum Incarnationis Dominicae, plane opportunissima apparebit nova praescriptio, quae prohibet Missas votivas et defunctorum tempore tam venerabili, ac proinde ad pristinum honorem revocatae fuerint Missae propriae Feriarum ac Vigiliarum.

F) *Hymni feriales penitus perempti.*

Hymnus apud graecos dicebatur carmen in honorem Dei. Iuxta recentiores rerum liturgicarum cultores (1), iam a primaevis Ecclesiae temporibus usus invaluit hymnorum, etiam in liturgia; quia de iis loquuntur epistola Diognetis (circa an. 117), Theophilus Antiochenus († 181), Clemens Alexandrinus († 217), Commodianus († 305) et Methodius († 311). Imo ipse Philo Iudaeus, de primis christianis scribens, inquit: « Non solum Christiani contemplantur, sed etiam cantica et hymnos in Dei laudem componunt vario metrorum carminumque genere concinnatos, in augustiorem ac religiosiorem speciem ». Quod cohaeret doctrinae s. Pauli Apostoli, qui ad *hymnos* decantandos adhortabatur fideles, scri-

(1) Nostrae aetatis non pauci nec parvi nominis fuerunt auctores, qui speciali studio hymnos liturgicos illustrarunt; quos recenset Bäumer (*Hist. du Brév.*, vol. I, p. 43); scilicet Daniel *Thesaurus hymnologicus*, 5 vol. Halis et Lipsiae, 1831-1854. Fr. Mone, *Lateinische Hymnen des Mittelalten*, 3 vol., Freiburg, 1853-1856. Pimont, *Les Hymnes du Bréviaire romain*, Paris, 1874. Chevalier, *Repertorium hymnologicum*, Paris et Bruxelles, 1890; et alii; quibus adiiciendi sunt: Venturi, *Gli Inni della Chiesa*, Firenze, 1880, et Semeria.

bens ad Ephesios (V, 19) et ad Colossenses (III, 16). Cf. Bäumer, *Hist. du Brév.*, vol. I, p. 84.

In Ecclesia autem occidentali, primi omnium fuerunt Ss. Hilarius et Ambrosius, qui hymnos cantandos in divinis officiis instituerunt, ut habetur in Concilio Toletano IV (637, *can.* 13). De hymnis a divo Ambrosio compositis, qui adhuc in Breviario adhibentur, testimonium habemus in eius vita a s. Paulino conscripta (c. 13), nec non in Confessionibus s. Augustini (l. 9, c. 7, n. 1).

S. Benedictus in regula (c. 9) disposuit, ut in unaquaque hora canonica hymnus decantaretur, quem *Ambrosianum* vocant antonomastice. Similiter Rabanus Maurus (*De instit. cleric.* II, 49; *P. L.*, c. VII, 362) habet: « Hymni ex eius (D. Ambrosii) nomine Ambrosiani, vocantur, quia eius tempore primum in Ecclesia Mediolanensi celebrari coeperunt; cuius celebritatis devotio dehinc per totius Occidentis Ecclesias observatur ».

In Breviariis Romanae Curiae saec. XII et XIV, pro unaquaque hora nec non in psalterio et in officio de tempore, hymni habentur, qui et in Breviario Pii V inveniuntur (cf. Bäumer, I, pp. 367 et 368).

Haec de origine et antiquo usu hymnorum. Nonnulli existimarunt, veteres Ecclesiae hymnos latinitatis puritate carere, verumtamen, scriptores christiani, qui primis saeculis Ecclesiae floruerunt, neque bonarum artium contemptores, neque litterarum parvipendentes fuere. Iuvencus presbyter, Prudentius, Sedulius, S. Ambrosius, S. Damasus, S. Paulinus Nolanus, Sidonius Apollinaris, Venantius Fortunatus, S. Gregorius Magnus, atque Boetius, multos hymnos scripserunt, in quibus non solum aurea maiestas latini sermonis non deest, sed et ars metrica elegantioris formae et venustatis refulget.

Porro, quamvis S. Ambrosius suique coaevi huiusmodi venustatem non respuerent, nihilominus ipsam potius famulam voluerunt, et sensus novae religionis in hymnis eminere curarunt. S. Ambrosius idcirco dicebat: « Negli-

gere verba debemus, pensare mysteria », et S. Gregorius: « Indignum existimo ut verba coelestis oraculi restringam sub regula Donati ».

Ceterum hymni ecclesiastici non erant privatim legendi, bene quidem in ecclesia canendi; ideoque pro ipsis construendis metrum iambicum praesertim elegerunt scriptores, ita ut unaquaeque strophes quatuor constaret versiculis, utpote ad cantandum alternatim in choro facilioribus. Cum autem, ut servaretur quantitas in syllabis longa vel brevis, quam latini ex graecis mutuarunt, saepe saepius verba essent varianda; et cum a christianis poetis, verbum ipsum magis fideliter ideam significans negligendum non esset, maxime in versiculis brevioribus, prosodiae regulas ipsi potius deseruere, et formam liberiorem adhibere coeperunt, ita ut christiana poesis non *metrica*, sed *rhythmica* praesertim evaserit.

Quapropter iam suo tempore ven. Beda (*de re metrica*) de sacra hymnodia scribens, aiebat: « Rhythmus sine metro esse potest, metrum vero sine rhythmo non potest. Quod liquidius ita definitur: metrum est ratio cum modulatione; rhythmus modulatio sine ratione ». Ac dein loquens de hymnis S. Ambrosii habet: « Hymnos, quos choris alternantibus canere oportet, necesse est singulis versibus ad parum esse distinctos, ut sunt omnes Ambrosiani ». Ambrosius enim ea ratione hymnos suos confecit, ut versiculus quisque sensum expletum contineret, et sic facilius choraliter populus eos decantaret. Sequentibus autem saeculis, alii sacri scriptores in hymnis conficiendis novum aliquod elementum induxerunt, et eo devenerunt, ut amota prorsus quantitate metrica, solam syllabicam mensuram retinuerint, quae cum melodica decantatione acceptabilior reddebatur, quam antiqua latinorum prosodia.

Saeculo autem XVI, quando scilicet in magnum favorem venerant auctores classicae latinitatis, nimis sane hymnodia Breviarii uti barbaries habita est, ideoque Urbanus VIIJ, eximius carminum cultor, sui temporis influxus

sensit summopere, ideoque hymnos ad regulam metricam reddendos esse decrevit, ut legitur in sua bulla *Divinam Psalmodiam,* « qui non metro, sed soluta oratione aut etiam rhythmo constant... ad carminis et latinitatis leges, ubi fieri potuit revocati sunt ».

Non unum fuit iudicium datum ab ecclesiasticis seriptoribus Urbanianae hymnorum emendationi, nam Gavantus, Guyetus et Theophilus Raynaudus, summis laudibus eam extulerunt, Valesius vero acerrima censura eam insectavit.

Bäumer (ibid.) non inepte notat, correctionem Urbanianam ortum praecipue habuisse ex eo, quod saeculo XVII prorsus ignorabantur regulae poësis rhythmicae, ideoque hymni ex. gr. S. Thomae Aquinatis dicebantur *Etrusco rhythmo* scripti; attamen facilitas, simplicitas ac popularis nobilitas in hymnis disparuit; *accessit latinitas et recessit pietas.* Hinc est quod multi ex hodiernis liturgiae cultoribus totis viribus antiquam formam hymnorum defendunt, atque eorum restaurationem desiderant (cf. Bouix, *De iure liturgico,* part. VI, c. II, § V, nota).

Hoc autem eo magis desiderandum est, quia in ipsa Vaticana Basilica, in Breviario *Capellae papalis,* apud universum Ordinem S. Benedicti, sicut et apud Cartusianos, Cistercienses, Dominicanos et Carmelitas adhuc sunt in usu.

Sed non de omnibus hymnis hic nobis loquendum est, sed tantummodo de hymnis qui in Psalterio inveniuntur, et *quotidiani* vocantur, licet de facto non solum *quotidie* non amplius recitabantur, sed sive ob occurrentiam Adventus Quadragesimae et temporis Paschalis, in quibus hymni proprii proponuntur in Breviario, sive etiam ob lamentatam pluries novorum festorum, et praesertim officiorum votivorum, *numquam* recitari poterant.

Et sane, si excipis hymnos ad horas minores et ad Completorium, qui numquam mutantur; si excipis hymnos officii dominicalis qui in tribus Dominicis Septuagesimae, Sexagesimae et Quinquagesimae dici poterant, reliquos hymnos Psalterii, numquam clericis recitare fas erat; et tamen ra-

tione sive antiquitatis, sive auctoris eorum, sive piorum sensuum quos spirant, sive venustatis poeticae, sive opportunitatis et aptitudinis ad horas officii in quibus dici debuerant, concorditer summis laudibus exaltantur ab omnibus.

Hymni qui habentur in psalterio romano, viginti et octo sunt, nam pro Matutino et Laudibus Dominicae duo proponuntur, omnes metro, quod dicitur iambicum-dimetrum, duobus exceptis qui II loco in Dominica inveniuntur, compositi sunt; constant enim, ut iam notavimus, quatuor versiculis ad cantandum alternatim in choro facilioribus.

Pauca de singulis dicere placet.

Hymnus *Primo die quo Trinitas,* qui ante Urbanum viij *Primo dierum omnium* erat, dicitur ad Matutinum in Dominicis post Epiphaniam usque ad Quadragesimam, et a Dominica I Septembris, usque ad Adventum. A b. Thomasio in suo hymnario vocatur hymnus *ab aequinotio autumnali.* Iuxta Maurinos, et nostris diebus iuxta Pimont et Venturi (in nota citatos), hunc hymnum s. Gregorius Magnus composuit. In eo celebratur dignitas diei Dominicae, qui in ordine temporis, naturae et gratiae, ut ait Venturi hoc loco, ceteros hebdomadae dies supereminet. In eo enim Deus opus creationis incoepit, ac Redemptor noster a mortuis resurrexit. Fideles ideo excitantur ad nocturnas horas Deo dicandas, quasi primitias diei, qui Domini est per antonomasiam, atque ad invocandam divinam gratiam, ut pura mente et casto corpore illi servire possint.

Secundus hymnus *Nocte surgentes, vigilemus omnes,* pariter a s. Gregorio, confectus fuit: a b. Thomasio hymnus *Dominicae post aequinoctium vernale* dicitur, est brevissimus, constat enim tribus strophis, doxologia comprehensa: dicebatur ergo Dominicis aestivis, in quibus nox est brevis, ideoque adhuc in breviario Benedictino totum nocturnale officium brevius est quam aliis anni temporibus.

Metrum habet sapphicum, et est brevis invitatio ad surgendum, ad meditandum, ad canendum laudes Deo. quae

simul coniunctae cum laudibus beatorum in caelis, dignos nos reddant ad aeternae praemia vitae.

Hymnus *Aeterne rerum conditor*, omnium pulcherrimus existimatur, inter eos quos s. Ambrosius composuit. Sanctus doctor, poetica forma elegantissima, refert multas ideas in suo libro *Hexameron* expositas circa sex dies creationis. In eo aptissime sumpta hora *diluculi*, in qua et gallus cantat, et laudes matutinales solvebantur in choro, symbolum *gallicinii* exponitur venustate poetica incomparabili, et affectus eius beneficii celebrantur : idest nuntius lucis, fuga nocturnorum insidiatorum, reditus virium nautae, spei in corde moerentium ac salutis infirmorum, et postea, a litterali sensu ad spiritualem transiens, hymnographus meminit apostoli Petri *(petra ecclesiae)* ad poenitentiam per galli cantum vocati, et Dominus exoratur, ut nos ipsos clementer respiciat, *mentisque somnum discutiat.*

P. Piacenza.

Consuetudines in functionibus liturgicis

Quaest. In Urbe invaluit usus quod celebrans relinquit velum calicis ministro post lectionem offertorii, quaeritur quae sit praxis a ministro circa hanc rem sequenda?

Resp. Ante omnia opus est animadvertere talem usum teneri legitime posse, si minister missae privatae clericus sit, secus videtur non decere, praesertim si minister sit puer, et in hisce operis praestandis non omnino laudabilis. Si igitur minister sit clericus, aut laicus sufficienti gratia praeditus, fas est ei velum calicis relinquere ad plicandum.

Clericus inserviens responso iuxta solitum ad versum *Dominus vobiscum*, et capite ad vocem *Oremus* inclinato, surgit, ascendit directe suppedaneum ad dexteram celebrantis, sibi porrigentis velum calicis, quod festinus apud mensam altaris prope cornu epistolae plicat, iuxta regulas convenientiae exhibitas, et deponit prope corporale, et desuper pallam calicis. Deinceps, descendit ad abacum, accepturus ampullas, quarum aufert ibique deponit opercula. Acceptis ampullis cum pelvicula et linteolo, redit ad altare in cornu epistolae, ascendit supremum gradum prope suppedaneum, et eas deponit cum pulvicula in mensa iuxta gradum altaris, ut locum aptum et vacuum relinquat celebranti administraturo in calicem vinum et aquam. Si autem clericus post allatas ampullas ad altare velum plicare voluerit, non paucis difficultatibus obviam iret, non escluso periculo superpellicei manicis ampullas super mensam vertendi.

Quaer. Quo tempore ferendae sunt ampullae ad altare post communionem celebrantis, si administranda foret fidelibus ss. Eucharistia?

Resp. Vidimus non satis recte agere ministrum missam privatam inservientem, qui ampullas post ss. Eucharistiae administrationem fert ad altare, cum inutili dispendio temporis ex parte celebrantis, qui, distributa communione, deberet, expectare cum calice ministrum euntem ad abacum, accipientem ampullas et revertentem ad altare. Quid simplicius et commodius sequentem hanc methodum sequi?

Cum celebrans discooperit calicem, clericus surgat, et sine genuflexione vadat ad credentiam, deferens tintinnabulum, quod ibi deponat. Deinde accipiat ampullas, quarum inferiores partes linteolo abstergat, easque deferat ad altare, praemissa genuflexione in plano in cornu epistolae. Depositis supra mensam in loco idoneo ampullis, descendat, iterum genuflectat, et accepto linteolo, genuflectens prius in plano, genuflexus in infimo altaris gradu e cornu epistolae, dicat *Confiteor*. Post communionis administrationem, minister, recto tramite accedat ad altare ministraturus ablutionem celebranti.

Quaer. Quid dicendum de mutuis reverentiis inter ministros sacros in solemnibus, nec non de reverentiis ad ministros et celebrantem ex parte clericorum inservientium in missis solemnibus et privatis?

Resp. Mos invaluit in solemnibus, ut cum celebrans ad locum ubi disposita sunt paramenta accedit, ministri sacri eum appropinquantem inclinent, cui salutationi celebrans parva inclinatione respondet. Similiter omnibus paratis, et reverentia imagini facta, ministri etiam celebranti inclinant, qui aliqualiter eos resalutat aperto adhuc capite. — Hymno angelico recitato vel Symbolo, stantibus ad scamnum, a diacono celebranti bireto cum osculis porrecto, simul ministri celebranti caput inclinant (nisi consuetudo contraria) seque ad invicem inclinatione salutant. — Diaconus cantaturus evangelium, post osculum manus celebrantis, surgit, et ipso celebrante inclinato, non autem cruce, descendit etc. — Post missam, ministris in sacrarium reversis, omnes capite detecto imagini crucifixi stantes caput profunde inclinant, dein

ministri se inclinant celebranti, qui parva inclinatione respondet. Huiusmodi inclinationes dignae sunt laude, non autem inclinationes post intonationem Hymni angelici, vel Symboli dum ministri ad latera celebrantis pergunt, de quibus inclinationibus auctores veteres recentioresque vel omnino tacent, vel eas reprobant.

Clerici servientes in solemnibus inclinant ministros sacros, dum ante eos transeunt, dum aliquid eis offerunt, vel aliquod ab eis recipiunt. Praesertim celebranti reverentiam capitis maximam debent quotiescumque ad eum accedunt, aliquid ad eum ministrant, et apud eum aliquid agunt. Improbanda est ergo praxis in aliquibus ecclesiis sensim sine sensu introducta, in quibus non infrequenter et negligunt et nihili faciunt has reverentias, quae pars est tanta in sacris ad fovendum fervorem et pietatem apud adstantes fideles.

Quaer. Rubrica nil de reverentia a diacono ante et post incensationem cantus evangelii dicit, quid faciendum in praxi?

Resp. Rubrica aliquando explicite loquitur, aliquando vero silet, hoc autem silentium non semper stricto sensu accipiendum est, quasi hunc vel illum ritum prohibens, praesertim si communis ratio aliquid videtur dictare, ut in allato casu. Regula generalis est quod in omni incensatione praemittitur et sequitur respectiva reverentia: ad Sacramentum publice expositum, ad reliquiam sanctae crucis vel alicuius instrumenti dominicae passionis, ad crucem altaris, ad aliquam imaginem ss. Redemptoris, ad effigiem vel reliquiam Deiparae, ad imagines vel reliquias sanctorum, ad episcopum, ad celebrantem, ad ministros paratos, ad chorales, ad clericos, ad populum. Omittitur tantum inclinatio ad incensationem oblatorum, altaris, atque lecticae mortuariae, necnon ad imagines et ad reliquias sanctorum post crucis incensationem. Omittitur inclinatio ad incensationem oblatorum, altaris, atque lecticae mortuariae, quia dicta reverentia videretur omnino rationis expers: omittitur autem

ad reliquias et effigies sanctorum, post crucis incensationem, ob ipsius crucis praesentiam. Audiatur cl. Gavantus: « Reliquiis seu imaginibus, idest statuis sanctorum (non pictis imaginibus in pariete), fit reverentia cum thure hoc loco; attamen iisdem non inclinat caput celebrans, ad differentiam crucis, cui inclinare debet, ea ratione, qua abstinemus a genuflexione, quae fit, verbi gratia, episcopo proprio, si coram eo sit cardinalis, aut Papa. Et hic ritus servatur Romae, ne scilicet fiant immediate tres capitis inclinationes, ut attente consideranti patet » (Pars II, tit. IV, XXVII *e*). Ad quam sententiam Gavanti, sic Meratus scribit: « Incensata cruce a celebrante, et facta eidem cruci profunda reverentia (ministris vero sacris et primo caeremoniario genuflectentibus semper), antequam discedat a medio altaris, si in medio eiusdem altaris sit exposita aliqua insignis reliquia, ut caput, aut brachium alicuius sancti, immediate post crucem duplici ductu incensari debet absque ulla inclinatione, vel reverentia ob crucis praesentiam (Nicolaus de Bralion in Caeremon. Canon. *part. 1, c. 1. de Vesperis, n. 30*) cui solum profunde inclinare debet, utpote Christum Dominum repraesentanti; quemadmodum abstinemus a genuflexione, quae fit v. gr. Episcopo proprio, ad praesentiam alicuius Cardinalis Legati. Gavantus, Quarti et alii. Incensata supradicta reliquia insigni in medio altaris, si quae erit, absque ulla capitis inclinatione, ut supra, celebrans stans ibidem, antequam discedat a medio, primum incensabit eas, quae sunt a dexteris, idest a parte evangelii, incipiendo ab iis quae sunt cruci seu tabernaculo proximiores, bis tantummodo ducens thuribulum, quamvis plures vel pauciores fuerint reliquiae, aut statuae: Caerem. Episc. *supra:* nec illis inclinabit ullo modo ante vel post thurificationem; et facta deinde iterum profunda inclinatione cruci, simili ritu bis incensabit alias reliquias, quae sunt a sinistris, seu a latere epistolae; et tandem procedet absque nulla inclinatione ad incensandum altare... ». Sed quid dicendum de inclinatione ante et post evangelium? Iuxta rectum sensum, nec non veteres recen-

tioresque auctores, inclinandum est sacro textui evangelii ante et post trinam incensationem. Quid sane augustius post Ss. Eucharistiam sancto evangelio? « Hoc est verbum Verbi, sermo Sermonis, sapientia Sapientiae; verbum Verbi quod erat in principio apud Deum, quod caro factum est, et habitavit in nobis; sermo Sermonis Omnipotentis, qui de coelo a regalibus sedibus venit, vivus et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti; sapientia Sapientiae, quae attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter. Hic iam non loquitur Moyses, non Isaias, non Hieremias, sed loquitur Pater *in Filio, quem constituit haeredem universorum, per quem fecit et saecula.* Haec de evangelii dignitate Innocentius III, lib. 2, de Mysteriis missae, cap. 49 » (Card. Bona lib. 6, II, c. VII, 8). « Unde, ait Cavalerius, evangelium stricte sumptum consistit in verbis, seu doctrinis, quae ab ore Christi processerunt immediate, ab Apostolis, qui Christi gesta descripserunt, nobis tradita, et ideo bonum nuncium appellatur, quia bona, quibus maiora excogitari non possunt, nobis aununciat » (Tom. V, cap. XI, de evangelio, n. 2). Patres in conciliis, venerationis summae perpleni erga librum evangeliorum, habebant eum tamquam ipsius Iesu Christi personificationem; locus eius honorificus erat thronus in medio concilii elevatus. Insuper post evangelii lectionem ipsa rubrica sapienter praescribit ministris respondere: *Laus tibi, Criste.* Quomodo ergo ex silentio missalis circa reverentiam ante et post incensationem concludere auderetur omittendam esse? Spiritus liturgicus ab hac irreverentia prorsus abhorret. Sed audiamus auctores. Cl. Meratus scribit: « Diaconus, accepto thuribulo, incensat librum evangeliorum triplici ductu, semel scilicet in medio, postmodum in dextera libri, quae est pars illius nobilior, quaeque respondet sinistrae diaconi; tandem in sinistra libri, quae correspondet diaconi dexterae; facta tamen ante et post incensationem debita inclinatione ipsi libro, propter reverentiam Sacri textus in eo contenti » (Pars. II, tit. VI, n. XXXII). Cl. De Herdt: « Dum chorus cantat *Gloria tibi, Domine,* dia-

conus a thuriferario accipit thuribulum sine osculis, et sinistra thuribulum tenente super pectus posita, prius caput libro inclinat; capite erecto ter librum incensat...; et deinde thuribulum tenens versus terram dimissum, caput libro inclinat, antequam turibulum reddat (Sacrae liturg. praxis tom. I, pars 2, n. 218). P. Alois. a Carpo: « Dum chorus *Gloria tibi, Domine,* respondet, accipit a dextero latere thuribulum... tum sinistra pectori admota, dextera thuribulum aliquantum sustollit, praemissaque ad librum inclinatione, ter librum ipsum incensat... deinde, inclinatione repetita, thuribulum thuriferario porrigit etc. » (Caerem. pars II, n. 169). Idem auctor, in nota ad expositum doctrinale ait: « Diaconus inclinat caput ad librum propter reverentiam sacri textus. Si enim fit reverentia ante et post incensationem celebrantis aliorumque, multo magis fieri decet sacro evangelii textui ». Cl. Le Vavasseur — Haegy habet: « Le diacre encense le livre de trois coups, le premier au milieu, le deuxième à sa gauche, le troisième à droit, faisant avant et après, conjointement avec le cérémoniaire et le thuriféraire, une inclination profonde au livre » (Cérémon. t. I, part. VII, sect. I, chap. I, art. III, n. 55). Similiter cl. Schober: « Dum chorus respondet *Gloria tibi, Domine,* accipit a latere dextro thuribulum a caeremoniario, et inclinatione capitis versus librum facta, eundem ter incensat... et inclinatione capitis repetita, caeremoniario reddit thuribulum » (Caeremoniae Missar. solemn. cap. IX, art. 1, n. 3). Cl. Victorius ab Appeltern scribit: « Accipit a caeremoniario (vel thuriferario) thuribulum, ac inclinatione facta S. Evangelii textui, ter librum incensat...; tunc renovata inclinatione redditoque thuribulo, prosequitur cantum » (Manuale liturg. tom. I, pars I, cap. VI, art. II). Auctores Coppin et Stimart aiunt: « Diaconus, accepto thuribulo, ter incensat librum... facta ante et post incensationem capitis inclinatione » (Sacrae liturg comp. *Ritus Missae solemnis*). Pariter docet Caeremoniale Romano-Seraphicum a S. R. C. approbatum: « Dum chorales respondent *Gloria tibi, Domine*... thuribulum accipit. Sinistra

pectori admota, dextera thuribulum aliquantulum attollit, praemissaque ad librum profunda inclinatione capitis etc., Deinde inclinatione profunda capitis repetita, thuribulum turiferario porrigit » (Lib. II, pars II, cap. IV, art. II, n. 353). Cl. Solans — Casanueva ad rem scribit: « Inciensa tres veus (los golpes han de ser dobles) el libro de los Evangelos, á saber..., inclinando la cabeza ante y después, versus *librum*, seún todos los auctores... » (Manual liturgico tom. I, part. III, c. I, n. 363). Idem dicunt cll. Beuldry, Bisso, Ianssens, Du Moulin, Ercker, et nos in Appendice ad Caer. Paroch. cap. III, art. III, n. 25; nec non in Cerimoniale Completo Part. IV, cap. II, art. VI, n. 16, cum aliis.

Quaer. Quid et de discrimine inter *Ritum* et *Ordinem* pro *Te igitur* et pro *Benedicat vos omnipotens Deus?*

Resp. Discrimen quod notandum duximus inter *Ritum* et *Ordinem* in modo loquendi pro *Gloria* et *Credo*, recurrit etiam pro *Te igitur* et pro *Benedicat vos omnipotens Deus*. Regula autem tradita valet pro singulis casibus.

Observandum praeterea, manuum extensionem, elevationem et coniunctionem praecedere debere *Te igitur*, iuxta opinionem Quarti (p. 3, tit. 8, sect. 1, dub. 1) et Merati (p. 2, tit. 8. n. 1) et Castaldi (prax. lib. 2, sect. 8, cap. 6), contra Gavantum (p. 2, tit. 8, rubr. 1) et Cavalieri (tom. V, c. v. n. 37). Et revera S. R. C., sub die 7 septemb. 1816, n. 3572 ad 19, ad dubium: « An sacerdos dicere debeat *Te igitur* in principio canonis dum elevat manus et oculos, vel incipere debeat dum est iam profunde inclinatus? ». Respondit: « Servanda rubrica de ritu servando in celebratione Missae, tit. VIII, n. 1; et altera canoni praefixa ».

Quaer. Ritus celebrandi Missam (§ VI, n. 3) quoad intonationem Symboli ait: « Celebrans stans in medio altaris versus crucem, elevans et extendens manus incipit (si dicendum sit) *Credo;* cum dicit: *in unum Deum* iungit manus, et caput cruci inclinat; quo erecto, stans ibidem iunctis ante pectus manibus prosequitur usque ad finem »; *Ordo*

Missae autem: « (Celebrans) ad medium altaris extendens, elevans, iungens manus dicit, si dicendum est, *Credo in unum Deum,* et prosequitur iunctis manibus ». Ex duabus rubricis missalis quae est in praxi tenenda? Diversa fortasse estne methodus sequenda inter Symbolum et Hymnum angelicum?

Resp. Ritus et *Ordo missae* circa manuum motionem quoad *Gloria* et *Credo* non idem praecipere videntur. Dum enim *Ritus* pro *Gloria* dicit: *manus extendens, elevans... et iungit, Ordo* ait: *extendens et iungens manus,* sic pro *Credo* in *Ritu* legitur: *elevans et extendens manus dicit* Credo, *et cum dicit* in unum Deum, *iungit manus,* in *Ordine* autem: *extendens, elevans et iungens manus dicit* Credo. Sed hac diversitate non obstante, rubricistae uno ore docent, tam pro *Gloria,* quam pro *Credo* standum esse *Ritui,* ex eo quod *Ritus* aperte dicit eamdem caeremoniam servandam esse in omni manuum elevatione (Tit. IV, n. 1), et Caeremoniale Episcoporum eadem habet, idest *cantat* Gloria *disiunctis elevatisque manibus... et cum dicit* Deo *iungit manus* (Libr. II, c. VIII, n. 38). Et cum plures casus inveniantur in decursu missae similes, quibus rubricae inter se adversari videantur, hic ponere iuvet hoc dubium iam olim ab Episcopo bergomensi iuxta cl. Fumagalli, S. R. Cong.ni propositum: « Cum in missale ultra primam in principio detur et altera rubrica in Ordine missae, et inter has videatur aliqua discrepantia praecipue in inclinationibus et manuum iunctionibus; quaeritur quaenam sequenda? ». Et S. R. C., die 21 martii 1744, respondit: « Pari forma sequendas esse tum rubricas generales, tum particulares missalis romani ad caeremonias in inclinationibus et manuum iunctione rite peragendas ». Ex dictis concludere videtur: In *Ritu* dictum est quid agendum: in *Ordine* autem quomodo agere debetur. Diximus supra quod, *hac diversitate non obstante, rubricistae uno ore docent tam pro* Gloria *quam pro* Credo *standum esse Ritui:* quapropter magnopere minimam sacerdotum partem, quae contrariam praxim tenet, hortamur ut eidem deinceps prorsus valedicant.

Quaer. In aliquibus ecclesiis, in missis cum assistentia chori dum canitur ℣. *Et incarnatus,* non omnes choralium iuxta praescriptum sedent, sed tantum qui superiores sedes occupant, reliqui vero genuflectunt, quid dicendum de ista praxi?

Resp. Quinam genuflectere et quinam solum caput inclinare debeant, declaravit S. R. C. (D. 1594[2]): scilicet « Ad versum *Et incarnatus est etc.*, omnes, nec excepto episcopo, teneri genuflectere, quandocumque stantes incidant in illa verba *Et incarnatus est,* tum si ab ipsis ore proferantur, tum si a cantoribus canantur, vel etiam si sedeant, in ipsa Nativitatis die, nec non Annuntiationis B. M. V. festo. Ceteris vero diebus indiscriminatim sedentes omnes, nemine excepto, teneri caput detectum inclinare. Nec eo casu locum habere dispositionem Caeremonialis, quod, caput inclinantibus canonicis, inferiores genuflectant ». Hoc intelligendum est sive canonici sint parati sive non (DD. 1476[1], 2960[2]), sive sint canonici sive beneficiati aliive clerici, sive exposito ss. Sacramento sive non (D. 1476[1, 2]); sive sint clerici, sive magistratus et saeculares, qui similiter « stantes genuflectere debent, sedentes vero caput inclinare » (DD. 1570, 1594[2]), modo spectent ad chorum, nam « ii tantum de choro qui stant, tenentur ad genuflexionem, non alii extra chorum » (D. 1421[3]), v. gr. qui tunc temporis e sacristia procedunt ad missam planam celebrandam. Ita cl. De Herdt in sua « Praxis Pontificalis, seu Caerem. Episcoporum practica exposito ». Sed contra, standum est praescripto Caeremon. Episcoporum, scilicet, omnes chorales genuflectere debent dum cantatur a choro *Et incarnatus est,* praeter episcopum, qui cum mitra, et canonicos, qui detecto capite profunde se inclinant. Item S. R. C. die 27 maii 1876 *in Sebenicen.* ad 3, n. 3399, ad quaestionem: « An quando decantatur *Credo* in missa solemni, quo tempore clerus sedet, debeant ad versum *Et incarnatus est* genuflectere cum clero inferiori etiam canonici, qui in supremo sedent, vel, ipsis solis sedentibus, debeant detegere caput, et profunde incli-

nare? » inculcat dispositionem Caeremonialis, respondens: « Servetur praescriptum in Caeremoniali Episcoporum, lib. II, c. VIII ». Ergo regula generalis, pro omnibus ecclesiis consideranda, est praescriptio Caeremonialis.

Quaer. Quid de capitis inclinatione quoad clericum ministrum in missa privata et ministros sacros in missa solemni dum ad celebrantem *Suscipiat, etc.* respondent?

Resp. Iuxta praxim communem, minister in missa sive lecta sive solemni minime se inclinat respondens ad celebrantem *Suscipiat,* et recte: quia rubrica missalis et Caeremonialis Episcoporum de hac inclinatione silet omnino, et non sunt praescriptiones inducendae, quae laudabiles non videntur a recto sensu, nec non ab auctoribus in liturgica materia praestantibus. Et sane, quid sensus liturgicus circa hanc rem docet? Responsio *Suscipiat* post verba *Orate, fratres* a celebrante prolata, non videtur oratio deprecativa ad Deum, et ideo inclinationem aliquam inducens, sed tantum responsio optativa atque auguralis. Si ad similia verba caput inclinandum foret, pariter et in responsione *Et cum spiritu tuo* dum celebrans dicit *Pax tecum* vel *Dominus vobiscum* inclinandum esset, quod communis praxis omnino reiicit. Nec obiiciatur dicendo quod ministri post confessionem celebrantis, ad eum inclinantur cum dicunt *Misereatur tui omnipotens Deus, etc.*, etiamsi verba optativa atque auguralia. Respondeo: laudabiliter in casu inclinantur, cum responsum directe ad celebrantem dirigatur. Praxis urbanitatis dictat quod cum ad superiorem aliquem verbum dirigitur, eidem caput aliquantulum fas est flectere; non autem ita dicendum est cum ad verba *Orate, fratres* respondendum est *Suscipiat etc.*, quia celebrans in casu versus est ad altare. Nulla lex urbanitatis enim consulit inclinandum esse ad superiorem cum responsum non ad faciem, sed eius terga profertur.

Auctores liturgici, pene universi, de hac inclinatione nullum verbum faciunt, sed contra plurimi expresse docent inclinationem omnino omittendam, inter quos Cavalerius, A Portu, Lohner, A Carpo, Diclich, Piller, Cesàri, Men-

ghini, nos ipsi et alii, inter quos pretium operis est citare praestatiores liturgistas Gavantum et Meratum, qui ait: « Quando minister dicit *Suscipiat, etc.* remanet genuflexus, sed erectus corpore et capite. Ita pariter in defectu ministri, vel alterius respondentis, sacerdos sibimet respondet, dicens, *Suscipiat Dominus, etc. de manibus meis,* et erectus, et stans, dum haec dicit » (Pars II, tit. VII, n. XXXIII). Et infra (n. LXXIX): « Celebrans..... dum dicit *Orate, fratres,* subdiaconus absque capitis inclinatione respondeat: *Suscipiat, etc.* ».

Auctor inter praestantiores qui inclinationi favet in respondendo *Suscipiat, etc.,* unicus, ni fallor, est cl. Martinucci, a quo procul dubio in Urbe praxim contrariam aliqui apprehenderunt. Dixi *aliqui,* nam sententiam oppositam merito plurimi tenent. Notum nobis est quod in Commissione liturgica romana, de hac re aliquando discutendo, omnes, nemine excepto, sentierunt, a ministris non esse inclinandum, sed erecto capite respondendum *Suscipiat.* Ergo etiam Romae praxis communis tenetur.

Quaer. In praxi ministri sacri non conveniunt circa genuflexiones post osculum pacis faciendas. Quomodo se dirigendum in casu?

Resp. Canones rubricae post consecrationem sunt sequentes: 1° Dum ab uno latere ad aliud transeunt semper et tantum genuflectere debent in utroque latere (D. 4027). 2° Cum ab uno latere pergunt in medium, et dum e medio ascendunt ad altare, aut viceversa, semper et tantum eis genuflectendum est in loco e quo recedunt; excepto subdiacono, qui reversus ab incensatione Sacramenti ad elevationem in missa solemni de requie genuflectere debet in medio tantum (Decr. cit.) Hisce praemissis, auctores fere omnes tenent adamussim praxim iuxta allatos canones quoad genuflexiones faciendas post osculum pacis; neque ullam rationem videmus aliter agendi.

Ad affirmandam praxim iuxta allatos canones, pretium est operis auctores consulere. Cl. De Herdt habet: « Tum

diaconus ad celebrantem conversus accipit ab eo pacem.... deinde se vertit per suam sinistram et descendit ante ultimum gradum altaris ad subdiaconum retro post celebrantem; ibi non genuflectit, sed stans versus subdiaconum, dat pacem subdiacono, dicens *Pax tecum;* data pace se vertit ad altare, et super infimum gradum altaris flectit unico genu simul cum subdiacono, sic ut iuxta se invicem flectentes, medium altaris coram se habeant. Post genuflexionem diaconus ascendit ad librum, ibique sine nova genuflexione stat, etc. Subdiaconus facta (cum diacono) genuflexione, si non habeatur chorus, neque pax ulterius danda sit, ascendit ad dexteram celebrantis, ubi stat iunctis manibus, et non genuflectit, nisi quando celebrans genuflectit ad *Domine, non sum dignus.* Si adsit caeremoniarius, tunc subdiaconus, cum pacem a diacono acceperit, dat illi pacem... Subdiaconus autem, si habeatur chorus, facta genuflexione, cum pacem a diacono acceperit, manibus iunctis et comitante acolytho in choro pacem distribuit. Pace in choro distributa, subdiaconus revertitur ad altare, genuflectit unico genu ante medium altaris super infimum gradum, et si eum acolythus comitatus fuerit, se vertit ad illum in cornu epistolae... deinde ascendit ad dexteram celebrantis, ut supra dictum est » (Sacr. liturg. prax., t. I, par. 2, n. 328). Cl. Schober, praemissa caeremonia iuxta sensum cl. De Herdt, subiungit: « Subdiaconus pacem in choro distributa, redit ad altare, genuflectit in medio super infimum gradum, et se convertens ad latus suum sinistrum caeremoniario vel acolytho, qui eum comitatus erat, dat pacem. Postea iterum in medio genuflectit, et ascendit suppedaneum ad dexteram celebrantis sine nova genuflexione, nisi forte cum celebrante genuflectere debeat. Si non adest chorus, subdiaconus, accepta pace a diacono, genuflectit cum eodem, convertit se sinistrorsus et dat pacem caeremoniario vel acolytho, tum iterum cum eodem genuflectit et ascendit ad dexteram celebrantis » (Caerem. Miss. solemn. cap. XV, art. 1). Similiter cl. Erker: « Pace data, diaconus caput inclinat sub-

diacono, genuflectit in primo gradu et ascendit ad sinistram celebrantis, cui sine nova genuflexione assistit ad librum. Subdiaconus vero, antequam accipiat pacem, dextrorsum se vertens, accipit pacem... et si non habeatur chorus, convertit se ad caeremoniarium, eique dat pacem, tum iterum cum eodem genuflectit et ascendit ad dexteram celebrantis, ubi non genuflectit, nisi cum celebrante. Si adsit chorus, subdiaconus, accepto a diacono osculo pacis, una cum diacono genuflectit in primo gradu, et caeremoniario comite pergit in chorum ad distribuendam pacem. Ad altare reversus genuflectit primo in gradu, dat pacem caeremoniario comiti, iterum genuflectit, et ascendit ad dexteram celebrantis, nulla ibi addita genuflexione aut inclinatione » (Enchirid. liturg., sect. III, tract. I, cap. III, § V, n. 87). Audiatur Cl. Alois. A Carpo: « Subdiaconus a diacono pacem accipit... Pace accepta, simul cum diacono genuflectit, ac thuriferario eum comitante se ad chorum confert... Pace in choro distributa, redit ad altare, ubi ante medium facta genuflexione, pacem porrigit caeremoniario, tum repetita genuflexione ad dexteram ascendit celebrantis » (Caerem. pars II, cap. IV, art. IV). Cl. Victorius ab Appeltern scribit: « Subdiaconus pace accepta, genuflectit in infimo gradu simul cum diacono et acolytho concomitante, vadit ad chorum, quem non salutat, et dat pacem... et reversus ad altare, facta genuflexione in medio, dat pacem caeremoniario vel acolytho, qui ipsum comitatus erat, tunc repetita genuflexione, ascendit ad dexteram celebrantis. Si non adsit chorus, subdiaconus, accepta pace, genuflectit cum diacono, et mox praebet pacem caeremoniario vel acolytho; tum repetita genuflexione, ascendit ad dexteram celebrantis » (Sacrae liturg. prompt. tom. I, c. XI, n. 293). Nos autem, innixi laudatis auctoribus, nec non Bauldry (l. c., n. 38), Hippolito (l. c., n. 28), Lohner (p. III, tit. II, n. 14), Laboranti (lib. III, n. 378), Fumagalli (tom. II, c. 9, § VIII), Piller (sect. II, art. V), Solans (tom. I, p. III, c. I, art. IX, n. 372), etc. etc., scripsimus: « Diaconus accepta pace, genuflectit, et descendit ad gradum

infimum, ubi dat pacem subdiacono. Data et accepta pace, diaconus ad altare conversus genuflectit cum subdiacono, ille ascendit suppedaneum ad sinistram celebrantis, cui sine nova genuflexione assistit ad librum; iste, acolytho comitante, pergit ad chorum, quem non salutat, et dat pacem....; et reversus ad altare, facta genuflexione in medio, dat pacem acolytho, qui ipsum comitatus erat; tum cum eodem genuflexionem reiterat, et ascendit ad dexteram celebrantis, cum quo iterum genuflectit, si una simul genuflectendum est, secus non. Si autem non adsit chorus, subdiaconus, accepta pace, non genuflectit cum diacono, sed data pace acolytho, genuflectit cum ipso, et ascendit ad dexteram celebrantis » (Appendix ad Caer. Paroch. cap. II, art. V, n. 7). Ex dictis concludere oportet, principiis adherendum esse, scilicet genuflectere tantum in loco e quo receditur. Diaconus igitur, accepta pace a celebrante, genuflectat, et sistens retro celebrantem subdiacono det pacem; cum quo antequam e medio recedat iterum altari genuflectat, non autem super predellam: subdiaconus vero, antequam e medio recedat, genuflectat, et choralibus pace administrata, redeat ante altare, ubi genuflectat, et sistens eodem loco, caeremoniario vel acolytho pacem administret, cum quo iterum, iuxta expositum generale principium, genuflectat et suppedaneum ascendat.

Quaer. In missis pontificalibus, et ex speciali privilegio vel immemorabili consuetudine in missis solemnibus a canonicis celebratis cum presbytero assistente, notatum fuit quod post cantum *Et incarnatus,* dum diaconus surgit et bursam defert ad altare, presbyter assistens cum subdiacono assurgit. Quid de hac praxi aliquibus in ecclesiis ipsius Urbis observata?

Resp. Ministri in missis pontificalibus, etiamsi in gradu sacerdotali et canonicali constituti, in actu functionis quales veri diaconi vel subdiaconi censentur; presbyter autem assistens tamquam eisdem superior. Iste prima capituli dignitas esse debet (DD. 599, 2659[1]), modo non obstet im-

memorabilis consuetudo (D. 233), et modo prima dignitas in sacerdotio sit constituta, ut in textu Caeremonialis exigitur, et a S. R. C. requiritur (DD. 14[6], 20[1], 284, 599). Quod si in sacerdotio non sit constitutus, alter presbyter ei proximus supplebit, ut in Caeremoniali (lib. I, c. XXVI) praescribitur et explicatur. Similiter dicendum est, in missis pontificalibus a Praelatis Episcopo inferioribus, necnon ex speciali privilegio vel immemorabili consuetudine a canonicis celebratis, presbyterum assistentem semper in ordine sacerdotii constitutum esse debere, quia rubricae Caeremonialis requirunt absolute ut presbyter assistens sit dignior ex presbyteris et in officio sacerdotali expertus, qui digne et decenter munus exercere possit (Cfr. Crassus, lib. I, cap. 4; Corsettus, tr. I, p. I, cap. 6, n. 2; Schober, art. III, cap. I). Presbyter assistens procedit ad dexteram diaconi, quamvis iste canonicus, ille autem beneficiatus vel simplex sacerdos ad altare (Caerem. Episc., l. c., § 3; Bauldry, p. I, cap. 3, n. 3; Buongiovanni, lib. II, cap. 18; Laboranti, lib. II, 457; De Herdt, tom. II, n. 7; A Carpo, p. II, n. 149). Cum ad altare pervenerint, diaconus et subdiaconus se sistunt ad sinistram (Caer. Episc., l. c.), presbyter assistens ad dexteram celebrantis. Si ad cantum Hymni angelici, vel Symboli sessio fit, assistens ad dexteram diaconi (Caerem. Episc., l. c., § 2, dicit: *regulariter a dexteris*) sedet. Postquam celebrans a diacono incensatus fuerit, assistens per latus suum dexterum se convertit ad diaconum, a quo bis duplici ductu incensatur ante subdiaconum. Post *Agnus Dei,* accedit ad dexteram celebrantis a quo accipit more solito pacem. Si communio distribuenda sit, et ipse assistens communicet, communionem accipit ante diaconum et subdiaconum, primo loco genuflexus. Lecto evangelio a celebrante, assistens transit ad dexteram eius, descendit simul cum celebrante et aliis ministris, et facta altari debita reverentia, tradit biretum celebranti, et revertitur ad dexteram diaconi, eo ordine quo venerat in sacristiam, etc. Ex dictis notatur praeeminentia et superioritas presbyteri assistentis super ministros:

atqui non qui praeest. sed qui subest reverentiam praestare tenetur; ergo presbyter assistens, cum diaconus bursam ad altare defert, neque assurgere debet neque, salva consuetudine (D. 2434, V) caput detegere (Laboranti, lib. II, n. 462: a Carpo, p. II, n. 152; Wapelhorst, § 93, n. 9; Schober, art. III, c. I). Superioritas presbyteri assistentis, quamvis beneficiatus vel simplex sacerdos, super ministros etiam canonicos praesertim colligitur ex decreto S. R. C. in *Urgellen.*, diei 15 aprilis 1899, sub numero 4018. In ipso decreto ad dubium V: « Utrum dum diaconus ad credentiam accedit ut bursam cum corporali ad altare deferat, surgente subdiacono, ut moris est, etiam assurgere teneatur presbyter assistens, donec ipse diaconus ad scamnum redierit? Resp. *Negative* ». Ergo praxis aliquibus in ecclesiis ipsius Urbis, nostrae thesi contraria nullo modo est sequenda, quia a lege liturgica et a recto sensu prorsus absona.

Quaer. Pluvialistae in vesperis debentne genuflectere altari, in quo non asservatur ss. Eucharistia, sive ipsi cum celebrante coniuncti, sive ab eo disiuncti, incedant?

Resp. Caeremoniale Episcoporum (lib. II, cap. 3, § 3) pluvialistis praescribit inclinationem, non vero genuflexionem ad altare, si simul incedant eodem ordine et gradu cum canonico parato celebrante, quia tunc, nisi et quatenus canonicus genuflexerit, nec ipsi genuflectere debent. Quia alias videretur dissonans et discordans, quod unus vel duo genuflecterent, alius vero non (S. R. C., 22 dec. 1612, n. 306). Quotiescumque igitur simul cum canonico parato incedunt, et reverentiam facere tenentur altari, et consequenter etiam episcopo, non genuflectere, sed se profunde inclinare debent; quandocumque autem sine canonico celebrante procedunt, uti ad praeintonandam antiphonam, vel ad chorum incensandum, genuflectere tenentur (Cfr. De Conny, livr. 2, ch. 8, et Martinucci, lib. II, cap. 2, n. 11 in nota). Haec praescriptio Caeremonialis et S. R. C., quae tenenda est regula generalis, non obligat beneficiatos basilicae S. Ioannis Lateranensis, iuxta decretum S. R. C., 2 dec. 1684, n. 1741:

« I. An, celebrante pontificaliter in vesperis Episcopo in diebus solemnioribus, teneantur beneficiati ministrantis genuflectere quoties episcopus salutat altare sive crucem, videlicet pluvialibus parati, induti cottis sive cappis, in accessu ad altare, in recessu ab eodem, et respective in thurificatione, et quoties Episcopus salutat crucem, et dum in processione salutantur altaria? II. An, celebrante cum pluviali canonico in vesperis sive laudibus, quoties celebrans salutat altaria sive crucem, ac etiam in thurificatione, beneficiati assistentes cum pluvialibus teneantur genuflectere. Et quid respectu beneficiatorum, qui cum cappis sive cottis post binos canonicos accedunt in processione? ». Et S. R. C., auditis et discussis iuribus hinc et inde deductis, utraque parte informante, respondit ad praefata duo dubia: « Teneri beneficiatos ad genuflectendum celebrante Episcopo vel canonico, tam paratos quam non paratos ». Ipsa regula neque obligat beneficiatos basilicae S. Mariae Maioris, iuxta decretum S. R. C. die 28 iulii 1685, n. 1754. Cum S. R. C. 2 decembris 1684, in causa proposita per E.mum et R.mum Dominum Cardinalem Azzolinum pro capitulo et canonicis basilicae Sanctae Mariae Maioris contra beneficiatos et clericos beneficiatos eiusdem basilicae decreverit: « Teneri beneficiatos ad genuflectendum, celebrante episcopo vel canonico, tam paratos quam non paratos »; eadem S. R. C. « Idem Decretum extendit et servari mandavit etiam in sacrosanta basilica S. Ioannis Laterani de Urbe ». Igitur praxis introducta in aliquibus ecclesiis, etiam Urbis, ut genuflectant (pluvialistae), quando *una cum celebrante coniuncti sunt,* non est sequenda, imo reiicienda, cum adversetur Caeremoniali et decretis.

(*Continuabitur*)

P. M. De Amicis.

Consultationes.

Ex Archidioecesi Taurinensi. — I. Cum Festa SS. Cordis Iesu et S. Aloisii Gonzaga quoad externam solemnitatem celebrantur in Dominica, iuxta Decreta S. R. C. 3918 et 3960, fierine debet in Missa solemni Commemoratio Dominicae? Negative respondendum videtur consideranti Decretum S. R. C. 4059 ad III.

II. Eadem quaestio movetur de quolibet Festo quod per speciale indultum celebretur, quoad externam solemnitatem, extra diem suam, cum privilegio canendi Missam de eo.

III. Idem quaeritur de Missa solemni Festi Titularis, quod transferri debeat iuxta Rubricas Missalis, Tit. VI: *De Translatione Festorum.*

Resp. ad I, II et III. Non una fuit semper norma a S. R. C. retenta in determinandis regulis in celebratione festorum, quoad solemnitatem exteriorem tantum translatorum. Die 29 decembris an. 1884, ad I, 1 et 2, admisit assertum: « Quum ex indulto apostolico solemnitas Patroni principalis cuiusque loci, ut plurimum, Dominica infra Octavam eiusdem Patroni locum habeat, ex ipsius S. R. C. responsionibus constat, quod in ecclesiis, ubi neque viget obligatio chori, neque alia canitur Missa de Officio currente, fieri debet huius commemoratio cum ceteris occurrentibus in Missa votiva solemni eiusmodi solemnitatis translatae ». Et ad quaestiones: Num in ea Missa solemni commemoratio facienda esset de die infra octavam, si forte alia occurreret de octava, vel de simplici occurrente? et num faciendae essent eiusmodi commemorationes, si in hac Dominica occurreret Duplex secundae classis, quod commemorationem

tum diei infra octavam tum simplicis in Missa solemni excludit?, respondit *Negative ad utrumque* (n. 3624).

Die 2 decembris 1891, pro festis transferendis in Gallia, iuxta decretum Cardinalis Caprara, edixit: « II. Pro solemnitate quae transfertur, nonnisi unica Missa intelligitur, more votivo canenda, ut in festo, cum *Gloria*, una tantum oratione, *Credo* et Evangelio S. Ioannis in fine: ubi tamen non adsit Missae conventualis obligatio, addatur sola commemoratio Dominicae, sub distincta conclusione, eiusque Evangelium in fine (n. 3754) ».

Die 17 iunii 1900, prodiit decretum a Rev.do Inquirente citatum (n. 4059), in quo ad III dicitur: « Quando in aliqua ecclesia agitur de Sancto, die non propria nec assignata, et de eo ob speciale privilegium a S. Sede obtentum, canitur et legitur Missa, ut in die festo, fieri ne debet commemoratio Officii currentis? » Et responsum est: « Commemoratio Officii currentis omittatur in Missa votiva solemni, si altera Missa saltem lecta de eodem Officio currenti celebretur, vel quoties idem Officium in alia Missa commemorationem assequatur; fiat semper in Missis votivis lectis ».

Die 24 maii 1912, pro solemniis, sive triduanis sive octiduanis, quae in honorem alicuius Sancti vel Beati celebrari permittuntur, data est *Instructio* a S. R. C., qua Missae omnes, ob peculiarem celebritatem, dicantur de eodem Sancto vel Beato, cum *Gloria* et *Credo*, et cum Evangelio S. Ioannis in fine, nisi legendum fuerit ultimum Evangelium Dominicae aut feriae aut vigiliae, quoties de his facta fuerit commemoratio. Missa solemnis seu cantata altera Missa saltem lecta de Officio currenti celebretur, dicatur cum unica oratione; secus fiant illae tantummodo commemorationes, quae in Duplicibus primae classis permittuntur. Missae vero lectae dicantur cum omnibus commemorationibus occurrentibus, sed orationibus de tempore et collectis exclusis. Quoad praefationes serventur rubricae ac Decreta. In ecclesiis, ubi adest onus celebrandi Missam conventualem, vel parochialem cum applicatione pro po-

pulo, eiusmodi Missa de occurrente Officio numquam omittenda erit.

Tandem, die 28 octobris 1913, editum est decretum circa festa olim in Dominicis affixa, et dispositum, ut « omnes Missae de his solemnitatibus in Dominica celebratis semper dicantur ut in ipso festo, de quo agitur solemnitas, addita oratione de Officio diei et aliis omnibus, quae dicendae essent, si festum ipsa Dominica incidisset ».

Ex his variis dispositionibus, nunc videndum quae ad rem nostram facere possunt. Cum citata decreta data sint pro diversis rerum adiunctis, non est quaelibet dispositio facile de uno ad alium casum transferenda; unde ante omnia eliminandae sunt normae datae pro Patronis; in casu enim nostro, de his non agitur. Sic decretum 3624 eliminatur. Item non faciunt ad rem normae datae pro Gallia in solemnitatibus Epiphaniae Domini, SS. Corporis Christi, SS. Apostolorum Petri et Pauli, ac Patronorum principalium locorum. Ita et decretum n. 3754 eliminatur. Similiter excludendum est decretum de recenter canonizatis vel beatificatis. Neque agitur in casu de festis olim Dominicis in perpetuum affixis, ideoque eliminatur etiam decretum diei 28 octobris 1913, de quo ultimo loco dedimus specimen.

Restat igitur ut norma accipiatur ex decreto tertio loco citato, scilicet n. 4059. Neque difficultatem pariat locutio: *Missa votiva solemnis... Missae votivae lectae,* quia, etiamsi festum S. Aloisii et SS. Cordis Iesu, translata, dicantur solemnitates, reipsa tamen, cum sint extra ordinem Officii diei, sunt reipsa festa sensu non liturgico, ac revera Missae de his solemnitatibus sunt eo die votivae.

M.

BREVIORA RESPONSA

Pro Dioecesi Bergomen. — I. In Ordine Divini Officii pro anno 1916, edito a Desclée et soc., pag. 51, dicitur, quod in ecclesiis, in quibus unica habetur Missa feria IV Rogationum, tertia oratio est de Vigilia, de qua legitur Evangelium in fine. Sed decretum S. R. C., n. 3924 ad X, explicite docet oppositum, quod nempe non dicatur in casu tertia oratio de Vigilia neque eius Evangelium in fine. Estne error in Ordine praedicto, an vero aliqua data est a s. Sede opposita declaratio?

Resp. Dispositio praedicti Ordinis est iuxta novissimas normas liturgicas, Missae enim omnes feriales et Vigiliarum possunt et debent habere commemorationem similis Missae impeditae. Concordat cum Ordine Desclée, ab altero ex Consultoribus S. R. C. exarato, etiam Ordo in typographeo pontificio D' Auria Neapoli impressus, a speciali ss. Rituum Commissione eiusdem civitatis dispositus.

II. Quoad Missam votivam pro sponsis an permittatur die octava Ascensionis Domini et Dominica anticipata, Ephemerides Liturgicae (an. 1914, pag. 685) stant pro sententia negativa, sustinetur ne huiusmodi sententia?

Resp. Uti pluries diximus, solutiones nostrae, nisi authenticis documentis innitantur, tantum valent quantum rationes quibus fulciuntur; hinc, cum de Octava Ascensionis non suppetant apostolica documenta, ratio adducta est de privilegio Octavae praedictae, quae est nimirum privilegiata tertii ordinis, et solutio ista concordat cum praxi ab Ordine Desclée, de quo diximus supra. Quod autem attinet Dominicam anticipatam, certe solutioni Ephemeridum contradicit decretum S. R. C. diei 8 februarii 1913, ad III, sed, ex novissimis dispositionibus, Dominica anticipata *omnibus* privilegiis Dominicarum ornatur, ex quo arguitur, decretum

illud non amplius vim habere. Ita hanc etiam occurrentiam interpretatus est Ordo de quo supra. Iterum tamen concludimus: pro definitiva sententia expectandae sunt novae Rubricae Missalis.

Pro Gallaecia. — I. Rubrica Missalis (tit. V, n. 1) locum ne quoque habet in mense Novembri, ita ut prima die libera post Commemorationem Omnium Fidelium Defunctorum dici debeat Missa principalis pro defunctis, vel pro eis fieri commemoratio?

Resp. Ubi lex non distinguit, non est ratio ad arbitrium distinguendi; hinc, die prima libera mensis novembris, ad implendum praeceptum Rubricae, dicenda est Missa pro defunctis, etiamsi die secunda eiusdem mensis factum sit suffragium universale per Commemorationem omnium fidelium defunctorum. Ante novas Rubricas, reipsa dies secunda novembris non erat libera ab Officio duplici vel semiduplici, quia fiebat de die infra octavam omnium Sanctorum semiduplici; sed semper verum est etiam tunc fuisse permissum, imo praeceptum, Officium et Missam in genere pro fidelibus defunctis. Et sicut etiam tunc die alia libera fieri debebat suffragium cum Missa conventuali de requie, ita et nunc faciendum, verum quippe est diem secundam novembris esse impeditam ab Officio ritus duplicis. Ceterum, hic quoque dicimus, res pro nonnullis in incerto erit usque dum per novas Rubricas, uti datur sperare, clarius explicetur.

II. Quaenam antiphona dicenda est ad *Magnificat* in secundis Vesperis alicuius sancti Papae Doctoris: *Dum esset* vel *O Doctor?*

Resp. Dicenda est antiphona *O Doctor,* tum quia est magis propria, qualitas enim doctoris in duobus tantum Summis Pontificibus adest; tum quia regula est ut partes quae in Officiis accipiendae sunt de Communi, ex illo praecise Communi accipiantur quod pertinet Sancto de quo agitur; nunc vero pro Sancto pontifice et doctore adest Commune particulare. Si nulla ponitur exceptio proprio loco, id significat, omnia esse de Communi respectivo. Com-

mune Confessoris pontificis in casu non consideratur prout iacet, sed prout in Communi doctorum citatur. Imo, quamvis S. R. C. scivisset aliquot extare Summos Pontifices doctores in calendario universali, qui de Communi aliquas partes debuissent mutuare, nihil aliud posuit in Communi doctorum, nisi: « Ad *Magnificat,* in utrisque Vesperis, ant. *O Doctor* ».

III. An secunda die infra Octavam SS. Corporis Christi, si legenda sit nona lectio Vigiliae S. Ioannis Baptistae, iungendae sint octava et nona lectio Officii, ut docet a Carpo (*Biblioth. Liturg.*, p. IV, n. 140), quamvis nihil in novissima editione Breviarii (Desclée et Soc.) notetur?

Resp. Doctrina a Carpo erat secundum decretum S. R. C. d. d. 26 ianuarii 1793, III, quod cum in nova Collectione authentica relatum non sit, non amplius valere putamus. Et reipsa non videtur necessaria, ex contextu, duarum illarum lectionum coniunctio. Quod editio nova, etiam typica, Breviarii nihil dicat, per se nil significat, eo quod neque prius de eiusmodi coniunctione sermo erat in textu vel Rubricis Breviarii.

IV. Item nihil in praedicta editione notatur circa mutationem tertii versus Hymni *Iste Confessor* in festo S. Camilli de Lellis (18 iul.). Cum autem Officium fiat extra diem obitus Sancti, nonne dictus versus mutari debet?

Resp. Mutari profecto debet, iuxta Breviarii editionem typicam vaticanam. Etiam Ordo divini Officii recitandi, ab ipsomet editore Desclée evulgatus, notat esse mutandum tertium versum.

V. An anniversarium ultimi Episcopi defuncti iisdem legibus subiaceat ac anniversarium pro die obitus fundatum, et propterea anticipari vel transferri debeat si in aliqua Octava privilegiata vel quacumque alia die impedita occurrat?

Resp. Affirmative, nulla enim ullibi invenitur exceptio pro huiusmodi anniversariis.

Pro dioecesi A. — I. Infra octavam Dedicationis Ecclesiae Cathedralis quotidie fit de aliquo festo dupl. aut semid.

praeterquam in die 5 infra oct. Nonne ea die loco lectionum II Noct. quae positae sunt in Breviario romano: « De Sermone S. Aug. Ep. *Modo quando...* », legi possunt lectiones, quae habentur die 3 infra oct., eiusdem Sermonis initium referentes, iuxta Rubricam Octavarii romani: « Accidere potest in legendis Lectionibus II et III Nocturni Octavarum, etc. » Magis enim congruere videtur initium eiusdem Sermonis positum in die 3 infra octavam.

Resp. Quamvis textus Octavarii ita sonet: « Accidere potest in legendis lectionibus secundi et tertii nocturni Octavarum communium, quae in hoc volumine continentur, quod ratione festorum infra Octavas occurrentium, omitti debeant initia vel sermonum vel homiliarum, de quibus tamen, post festum occurrens, est rursus legendum: et tunc post tale festum, non legatur titulus *De sermone* vel *De homilia*, cum nondum de eis lectum sit; sed dicatur simpliciter: *Sermo,* seu *Homilia S. N.,* ac si esset initium sermonis, seu homiliae; vel legatur initium ipsum in praecedentibus diebus positum, prout videbitur magis congruere »; attamen rationes adductae, ut ita fiat in Octavis de Octavario desumptis, item valent ut ita quoque fiat in Octavis de Breviario sumendis. Respondemus proinde: Affirmative.

II. Ubi expositio XL horarum fit, non ad tramitem Clementinae Instructionis, sed prout permittitur decreto S Officii 22 ianuarii 1914, Missa votiva de SS. Sacramento et de Pace triduo expositionis estne ita privilegiata ac si servaretur Instructio Clementina. Ratio dubitandi est tum quia de ea re silet praefatum decretum, tum quia Missae pro repositione SS. Sacramenti vix locus esse possit, quum repositio facienda sit meridie aut de sero?

Resp. Suprema S. C. S. Officii nullimode se ingerit in iis quae ad Ritum pertinent. Hinc et in casu, dato indulto circa modum expositionis, videndum est, an remaneant dispositiones quoad ritus celebrandos et qualitatem Missarum admittendam. Cum autem non adsit, ubi fit usus indulti, immutatio substantialis, semper enim verum est expositio-

nem fieri per horas quadraginta, et salvis ceteris praescriptionibus, si excipias quae nequeunt servari vi ipsa indulti, si v. gr. fiat repositio vespere, putamus non decidere privilegia ritualia. Imo forsan extremo die poterit haberi Missa de repositione, quantumvis ipsa repositio fieri debeat de sero, semper enim verum esset, eiusmodi Missam esse in die repositionis.

Pro dioecesi Lauden. — I. Occurrente prima feria sexta Decembris die infra Octavam Dedicationis ecclesiae, cum Officium sit de festo Domini, prohibetur Missa votiva SS. Cordis Iesu.

II. Canonici, uti singuli, nequeunt uti privilegiis sui coetus extra propriam ecclesiam, nisi constet de extensione privilegii. Hinc, munere ministrorum fungentes in aliena ecclesia, genuflexiones et non meras reverentias peragent (Vide commentarium R.mi Piacenza, in decr. *Lucionen.* sub initio proximi fasciculi septembris ad n. 57).

III. Si dignitarius, v. gr. Praelatus, ministerio fungitur una cum simplici presbytero, cum non conveniat quod ille suas remittat praerogativas, usu receptum est, etiam in Urbe, ut de privilegio participet clericus inferioris gradus.

Pro Gallia. — Quotannis, in insula Madagascar, celebrandum est in quadam paroecia festum *Commemorationis* sancti Pauli Ap., ut Titulare propriae Ecclesiae.

In rubricis Breviarii explicite indicatur quomodo sit ordinandum officium in Vesp., die 29 iunii.

Verum, nulli ibi reperio indicationem circa octavam et praesertim circa diem octavam, 7 iulii.

1° Ut puto, octava s. Pauli Apost. iungitur octavae Ss. Apostolorum, et officium celebratur simul pro utroque Apost. ut iacet in Breviario romano?

2° Quaero de ipsa octava:

α) Quid fit Romae, ubi S. Paulus Ap. est Titularis: v. gr. extra Muros, aut ad Aquas Salvias?

β) Proponerem e duobus unum: *vel* claudere ipsam octavam S. Pauli Ap. in ipsa octava Ss. Apostolorum; *vel*

octavam celebrare die 7ª iulii simplificando festum Ss. Cyrilli et Methodii. Sed, si ita, ubi reperiendae lectiones 3. nocturni pro die octava? Nihil est in Octavario romano, quod de Conversione eiusdem Ap. tantum curat. Porro, evangelium utriusque festi diversum est: unde, si mutuari liceat lectiones 2. noct. ex Octavario, pro 3° prohibetur. Ergo, repetendae lectiones homiliae festi.

Resp. Cl. De Herdt, in sua *Praxi Liturgica,* docet, octavam S. Pauli in Ecclesia propria, vel ubi est Patronus, debere celebrari die 6 iulii una cum octava S. Petri, et in nota citat decretum S. R. C., n. 3114, I. Sed decretum istud nihil dicit de octava; ait tantummodo, festum Titularis seu Patroni debere celebrari die 30 iunii, et addit: « Et strictim servandam Rubricam in Breviario appositam ante festum S. Pauli Ap. ». Nunc vero, haec Rubrica loquitur tantum de die festo. Opinio tamen De Herdt est recta, et tuto sequenda. Si secus foret, profecto Octavarium romanum minime neglexisset hunc casum valde communem considerare. Insuper, applicari hic potest regula de festo quod a die sua amovetur, sed celebratur infra eius octavam, quo in casu, dies octava celebranda est die quo cadit, ac si festum non esset translatum. Sed et Breviarium ipsum, cum loquatur ante festum Commemorationis S. Pauli de eius festo in ecclesia propria, profecto loquutum fuisset et de eius octava, si de ea speciali quadam ratione agendum foret: quia vero id non praestitit, ideo dicendum, non esse faciendum de octava nisi cum S. Petro, uti in Breviario.

II. Festum Circumcisionis est festum Titulare alicuius Instituti. — Festum Ss. Nominis Iesu est titulare domus particularis eiusdem Instituti.

Anno 1916, utrumque festum concurrit die 1ª ianuarii:

α) Quomodo ordinandae Vesperae?

β) Quomodo utraque Octava? Utra praeferenda?

Resp. Festum titulare alicuius domus religiosae nullo gaudet privilegio liturgico. Si ageretur de festo titulari ecclesiae alicui domui religiosae adnexae, utique gauderet, et

hoc reipsa supponimus accidere in casu. Ergo, cum agatur de concurrentia festi Ecclesiae universalis, quod cuilibet alii praevalet, quamvis sit duplex tantum secundae classis, agendum semper est de Circumcisione, et non de SS. Nomine Iesu. Ceterum festum SS. Nominis neque commemorari debet, quia includitur eius obiectum in ipso festo Circumcisionis. Hoc cautum est et per Rubricam particularem die dominica inter Circumcisionem et Epiphaniam, in qua dicitur: «Quando hoc festum (SS. Nominis Iesu) die 2 ianuarii celebratur, in secundis Vesperis praecedentis nil fit de SS. Nomine». M.

THEOLOGIA LITURGICA

(Continuatio. V. n. 7 curr. an., pagg. 444-448).

Articulus secundus — *De loco daemonum.*

76. Non erit extra rem referre hic narrationem quae legitur in Cornelio a lapide de quadam lite inter duos daemones possidentes energumenum. « Narravit mihi Romae sacerdos senex fide dignus qui per plures annos officio exorcistae functus fuerat, daemonesque expulerat, se suis oculis vidisse, et suis auribus audivisse duos a daemonibus possessos in templo S. Matthaei inter se contendentes, et decertantes. Daemon enim possidens unum erat altioris ordinis, et superior alteri; hic alterum, quasi se inferiorem, ex homine, quem possidebat, eiicere volebat, sed adversa fronte restitit inferior, variaque in superiorem probra iniecit, et inter alia dixit: tu es daemon infernalis, ac iusto Dei iudicio in inferno relegatus, longe gravius puniris quam ego, qui non sum daemon infernalis, sed in hoc aere versari permittor, quia non rebellavi Deo, ut tu, sed lucifero, quasi subditus superiori meo nude dumtaxat adhaesi et consensi » (1).

(1) Comment. in Matth. Cap. XII, v. 26.

De valore historico huius narrationis unusquisque iudicet ut libet: quod autem dubitationem non admittit est hoc quod non unum et idem est locus daemonum; etenim daemones, cum sint spiritus, dicuntur esse in loco per virtutem activam, unde ibi sunt ubi operantur, scilicet ubi exercent suam virtutem activam; cum autem virtutem non in uno et eodem loco exerceant sequitur eos non habere unum et eumdem locum. Quod si quaeratur de eorum mansione fixa et stabili desunt argumenta quibus aliquid certum determinari possit; attamen ex quibusdum scripturae sacrae locutionibus arguere licet quod huiusmodi mansio sit abyssus, infernus, tenebrae exteriores, locus tormentorum: quae locutiones leguntur aliquoties in evangeliis.

77. Daemones qui obsidebant hominem in regione Gerasenorum rogaverunt Iesum ne imperaret ut in *abyssum* irent, sed potius ut mitteret eos in porcos (1). De divite luxurioso legitur in evangelio: mortuus est dives et sepultus est in *inferno* (2); idem autem dives rogavit Abraham ut mitteret aliquem ad fratres suos, qui moneret eos ne irent in illum *locum tormentorum* (3). Christus mansionem damnatorum denominat *tenebras exteriores* (4). Nomen autem communius usurpatum pro loco mansionis daemonum est infernus.

78. Saepissime nomen « *infernus* » legimus in scripturis sacris, tam veteris, quam novi testamenti: raro autem usurpatur pro loco daemonum et damnatorum; ut plurimum sumitur pro loco subter terram (5); pro sepulchro ut in Iob, ubi legitur « *infernus domus mea est* » (6); de Christo Petrus dixit « *neque derelictus est in inferno* » (7). Ut autem ea quae sunt fidei ab iis quae talia non sunt discernamus, advertimus quod de fide est existentia inferni, scilicet status, sive locus inquo daemones et reprobi poenas peccatorum aeternas subire coguntur; de natura autem, qualitate et conditionibus sive loci, status et poenarum nihil definitum est, et nihil pertinet ad fidem. Verum est quod Christus in sententia quam prolaturus est in die iudicii dicit: Discedite maledicti in ignem aeternum qui paratus est diabolo et angelis eius, sed non determinat naturam et qualitatem

(1) Luc. VIII, 26-33.
(2) Luc. XVI, 22.
(3) Id. 22.
(4) Matth. XXII, 13.
(5) Ex radice « infer, inferus ».
(6) Iob. VII. 13.
(7) Art. II. 31.

huius ignis; dum nomen hoc plures admittit sensus (1), sive litterales, sive morales et spirituales. Omittendo autem hanc quaestionem, ad propositum nostrum congruit doctrina S. Thomae de loco paenali daemonum: « *sic ergo daemonibus duplex locus paenalis debetur: unus quidem ratione suae culpae, et hic est infernus: alius autem ratione exercitationis humanae, et sic debetur eis caliginosus aer. Procuratio autem salutis humanae protenditur usque ad diem iudicii; unde et usque tunc durat ministerium angelorum et exercitatio daemonum. Unde et usque tunc et boni angeli ad nos mittuntur, et daemones in hoc aere caliginoso sunt ad nostrum exercitium* » (2) Ceterum loquendo de loco daemonum intelligi nequit de loco corporeo, seu de spatio extenso, in quo daemones morentur ad modum corporum, scilicet circumscriptive, sed de loco proprio spirituum, scilicet de termino virtutis illorum activae, sicut diximus de loco angelorum, nam natura daemonum est ac natura angelorum; unde si sunt in loco ibi sunt definitive, idest per actionem quam ibi exercent; non autem circumscriptive ad modum corporum.

ARTICULUS TERTIUS. — *Regnum satanae.*

79. Dicendo regnum satanae intelligitur regnum cui praest satanas; regnum autem in genere est multitudo personarum, seu entium intellectualium simul coniunctorum sub dominatione et regimine unius, qui capitis officio fungitur. Hoc videmus in humanis: plura sunt regna in mundo, ut legitur etiam in evangelio Lucae, ubi narratur quod diabolus duxit Iesum in montem excelsum, et ostendit illi omnia regna orbis terrarum in momento temporis (3). Huiusmodi regna, utpote ex hominibus constituta sunt visibilia, et omnibus nota; aliter vero dicendum de regno, cuius membra sunt entia spiritualia, et ideo invisibilia, ut sunt daemonia, quorum societas ideo est invisibilis, cuius caput pariter est invisibilis.

---

(1) Ad rem R. Billuart: « Nomine ignis potest intelligi non poena ignis specifice, neque aliqua alia poena determinate, sed quaecumque poena in genere et indeterminate. Id fit frequenter in scripturis: sic in Ps. 65: Transivimus per ignem et aquam... Igne nos examinasti sicut examinatur argentum ». — Tract. de peccatis. Dissert. VII. Art. VI, § 1. Solv. Obiect. 3.

(2) Quaest. LXIV. art. IV. Theologi antiquiores quatuor loca poenalia subterranea distinguunt, in quibus detinentur animae separatae a regno coelorum exclusae, scilicet: purgatorium, infernus limbus puerorum decedentium absque baptismo, et limbus sanctorum Patrum, Communis eorum opinio tenet infernum situm ergo in visceribus terrae; purgatorium vicinius inferno propter ignem. Sed haec opinio supponit animas separatas, atque spiritus, morari in loco corporeo et circumscriptive, quod admitti nequit.

(3) Luc. IV, 5.

80. Hic autem sponte oritur quaestio: utrum daemonia simul coniuncta sint vinculo sociali ut constituant veram societatem, et regnum, cui dominetur et praesit satanas.

Pro solutione huius quaestionis praenotandum est quod: 1° ut affirmari possit daemonia constituere veram societatem, et ideo regnum oportet ut in ipsorum unione pateant elementa constituentia societatem, scilicet essentialia societati.

2° Primum elementum essentiale constitutivum omnis societatis est bonum commune in quod conspirent omnia membra simul coniuncta ad efformandam societatem; unde hoc etiam inveniri debet in unione daemonum, ut constitui possit in ipsis vera societas, et verum regnum.

3° Ad constituendum regnum requiritur necessario titulus dominationis in eo qui officio capitis fungitur erga subditos, et deditio subiectionis in subditis erga caput.

Hisce positis dicendum videtur multitudinem daemoniorum vinculo sociali coniunctam esse ita ut efformari valeat vera societas et regnum; non in bonum, sed in malum. Nam per superbiam, invidiam et odium in Deum quo ardent omnia demonia simul cum ipsorum capite Lucifero conspirant continuo in eversionem regni Dei, quam procurant mediis omnibus quae eorum malitia et nequitia reperire valet.

81. Huic sententiae consonat doctrina S. Thomae, qui docet diabolum esse caput omnium malorum; nam ut dicitur in Iob (1), ipse est rex super universos filios superbiae, ad regem autem pertinet gubernare, seu dirigere subditos ad finem communem totius multitudinis; cum autem finis totius multitudinis daemonum sit aversio craeturae rationalis a Deo, ideo diabolus est omnium malorum caput.

(Continuabitur).

(3) Iob. XLI.

PROPRIETAS LITERARIA

IMPRIMATUR

Fr. Albertus Lepidi O. P., S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

† Ioseph Ceppetelli, Patr. Constantinop., *Vicesgerens.*

Augustus Zucconi, Director Domus editricis Desclée et Soc., Romae, *Sponsor*.

Ex Officina Polygraphica Latiali, Fratrum Tempesta, Via Boccaccio, 7 - Roma

Dilectus Deo et hominibus, cuius memoria in benedictione est (Eccl. XLV, 1).

Quoniam publicatio nostrarum *Ephemeridum Liturgicarum*, iam a longo tempore magnam cleri utilitatem procurantium, summo studio inchoata et promota fuit a R.mo P. **Antonio Fiat**, Moderatore Gen. Congr. Missionis; hinc, vix audito recenti nuntio eius obitus, facere non possumus, quim grati animi sensus eiusdem nomini publice exprimentes, illius animam, tum omnium confratrum nostrorum tum omnium Lectorum piis orationibus ac suffragiis commendemus. Is, adhuc simplex religiosus, singulari pietate, prudentia, scientia, animi demissione enituit. Superior vero Generalis, per fere sex et triginta annos, inter tot pacis ac persecutionis vicissitudines, Congregationem nostram sapientissime rexit, et non modo confratribus suis, verum etiam extraneis, exempla bonorum operum exhibuit, et innumera virtutum vestigia reliquit. Ecclesiae sacramentis refectus, et apostolica benedictione munitus, Parisiis, in Domo principe Congregationis, placide obiit in osculo Domini, anno 1915, die primo Septembris, octogesimo tertio suae aetatis, et quinquagesimo octavo religiosae vocationis anno.

Ave et vale in Christo, Pater optime et desideratissime, filiorum tuorum memor.

Acta Sanctae Sedis
sacram Liturgiam spectantia.

S. CONGREGATIO RITUUM

I.

Dubia

Sacrae Rituum Congregationi sequentes quaestiones pro opportuna solutione propositae fuerunt; nimirum:

I. An Commemoratio de Anniversario electionis et consecrationis Episcopi in Missis lectis prohibeatur diebus infra octavas privilegiatas, ritus semiduplicis?

II. An dioecesana lege prohiberi possit domorum benedictio diebus Sabbatum sanctum praecedentibus, imo toto tempore quadragesimali, ne talis benedictio a fidelibus ut paschalis aestimetur, et magna exinde confusio oriatur in populo?

Et Sacra eadem Congregatio, audito speciali Commissionis suffragio, propositis quaestionibus ita respondendum censuit:

Ad I. Negative.

Ad II. In casu, affirmative, iuxta decreta.

Atque ita rescripsit et declaravit. Die 2 iulii 1915.

A. Card. VICO, *Pro Praefectus.*

L. ✠ S.

ALEXANDER VERDE, *Secretarius.*

II.

DECRETUM

De imaginibus Beatorum publicae venerationi expositis.

Expostulatum est a Sacra Rituum Congregatione: utrum imagines seu statuae alicuius Beati, formaliter beatificati, publicae fidelium venerationi in ecclesiis seu oratoriis publicis expositae, amoveri possint auctoritate respectivi Ordinarii?

Et Sacra eadem Congregatio proposito dubio ita respondendum censuit: Si adfuit indultum apostolicum, vel tantum expositionis praedictarum imaginum seu statuarum, vel maius indultum celebrandi festum cum Officio et Missa de Beato (quo in casu facultas continetur exponendi memoratas imagines, seu statuas), *negative*; secus *affirmative*.

Atque ita rescripsit et declaravit. Die 24 iulii 1915.

A. Card. VICO, *S. R. C. Pro-Praefectus*.

L. ✠ S.

ALEXANDER VERDE, *Secretarius*.

Commentarium

Praesens Decretum notionem supponit cultus, quo Beati in Ecclesia coluntur, et Beatorum divisionem in Beatos *formaliter* et Beatos *aequipollenter* beatificatos.

Beatificatio, generaliter sumpta, est permissio seu facultas, ut Dei Servo in aliquo, ut plurimum determinato loco, publicus praestetur cultus sub appellatione *Beati*.

Multiplici ratione beatificatio distinguitur a canonizatione:

a) Beatificatio rationem habet inchoationis et praeparationis ad canonizationem; canonizatio rationem habet termini et rei definitae.

b) Beatificatio est permissio cultus ob sanctitatem, quae *certo* constat; canonizatio est indictio cultus ob sanctitatem *authentico* et *definitivo iudicio* proclamatam.

c) Beatificatio importat cultum duliae limitatum quoad actus, quoad loca et quoad personas; canonizatio importat cultum duliae in universa Ecclesia, nulla affectum, quoad actus, loca et personas limitatione.

Si aliquando etiam beatificato, cultus pro universa Ecclesia concessus fuit, id tamen, notat Benedictus XIV, factum fuit per « modum simplicis facultatis, et per actum minime extremum, nec ultimo definitivum » (1). Idcirco, ut idem doctissimus Pontifex docet: « Ultima differentia inter beatificationem et canonizationem minime quidem constituenda erit vel in permissione cultus, vel in eius coarctatione ad personas aut locos particulares, quae in beatificatione habeatur, secus ac in canonizatione; sed in extrema et definitiva de sanctitate sententia, cultum aliis Sanctis debitum in universa Ecclesia per canonizationem, nequaquam vero per beatificatione praecipiente » (2).

Cum in Decreto quaestio decernatur, quae imagines et statuas respicit « alicuius Beati formaliter beatificati », iam supponitur et admittitur distinctio beatificationis in *formalem* et in *aequipollentem.*

Beatificatio *formalis* ea est, qua, discussis atque approbatis virtutibus aut martyrio, et signis seu miraculis, Summus Pontifex indulget, ut aliquis Dei Servus appelletur Beatus, et in aliquo determinato loco, aut apud aliquem determinatum personarum coetum, cultu publico colatur.

Aequipollens ea est, qua, probata fama virtutum aut martyrii, et signorum seu miraculorum, necnon probato alicuius speciei praecedenti cultu, Pontifex sententiam Ordinarii vel Delegati super eodem cultu confirmat (3).

Multiplici ratione altera ab altera distinguitur: In priori fit inquisitio non tantum super fama, sed etiam super rei veritate; in posteriori inquisitio fieri consuevit tantum super fama. In priori sententiam, licet non definitivam, profert Summus Pontifex; in posteriori Summus Pontifex sententiam ab inferiori

(1) *De Servorum Dei Beatificatione*, L. I, cap. 39, n. 13.
(2) Ibidem, n. 14.
(3) Conf. Benedictus XIV, l. c., cap. 42, n. 8.

iudice iam latam dumtaxat confirmat. In priori cultum ipse primus indulget; in posteriori cultum iam praestitum ratum habet.

Ex his differentiis colligitur gravioris momenti esse beatificationem *formalem* prae *aequipollenti*, et illam prae ista solemniorem formam induere. Nihil proinde mirandum, si Beati per formalem beatificationem ad altarium honores evecti, quodam honorificentiori cultu coluntur.

Quaesitum in Decreto propositum *primo* et *principaliter* respicit Beatos *formaliter beatificatos*. De eis autem non movetur quaestio circa eorumdem cultum, officium, etc. universim sumptum; sed quaestio circumscribitur ad eorumdem imaginum expositionem in locis publico cultu dicatis, uti sunt Ecclesiae seu Oratoria publica. Quaeritur itaque, an auctoritate respectivi Ordinarii, Beatorum imagines solemniter beatificatorum ab expositione in Ecclesiis et Oratoriis publicis, amoveri possint.

Responsum duas hypotheses exhibet, in quibus negatur Ordinariis facultas talium imaginum expositionem amovendi. Duae istae hypotheses sunt: *Prima:* Si iam extat indultum Apostolicum, quo praedicta imaginum expositio concessa fuerit; *altera:* Si maius indultum concessum fuerit, quo implicite contineatur indultum imagines exponendi, quale foret indultum celebrandi festum cum Missa et Officio. Hisce duobus in casibus planum est, Ordinarium *non posse* (quod in praesenti materia aequivalet *non licere*) imagines a publica expositione in Ecclesiis seu Oratoriis amovere. Congruum utique responsum! Inferioris enim Auctoritas non debet Auctoritatem Maioris frustraneam reddere, et eius acta, indulta et concessiones infirmare. Ordinarius numquam Summi Pontificis concessiones et indulta irrita facere poterit.

Responsum alteram partem habet: « secus *Affirmative* », qua declaratur, quod, illis duobus casibus exceptis, Ordinarius potest (seu ei licet) Beatorum imagines in Ecclesiis seu Oratoriis expositas amovere.

Haec altera pars Decreti non ita absolute accipienda est, ut sepositis, quae alias hac de re statuta sunt, possit Ordinarius, vel ei liceat, ceterorum Beatorum imagines a publico cultu amovere. Scopus Decreti erat dubium declarare, quod Beatos

solemniter seu *formaliter* beatificatos respicit; de Beatis *aequipollenter* beatificatis, nulla proprie instituitur quaestio. Nihil igitur, hoc responso, de ipsis in specie statuitur aut prohibetur, ideoque eorumdem imaginum expositio iuxta Decreta alias edita moderanda est. Haec ita resumi possunt:

a) Beatorum imagines sine licentia vel consultatione Sedis Apostolicae, publice exponi nequeunt in Ecclesiis, Oratoriis, aliisque publicis locis, neç supra, nec extra altare. *Decret.* 1097 et 1130.

b) Episcopi tenentur eas amovere et prohibere (quae sine Apostolico indulto expositae fuerunt) in obsequium Decretorum S. R. et U. I. et Congr. Ss. Rituum, quorum executio ipsis demandatur. *Decret.* 1097.

c) Si indultum Apostolicum concessum fuerit, nominatim et circumscripte alicuius Beati imaginem exponendi, ea exponi tantum potest in parietibus et non super altari. *Decret.* 1130.

d) Talis imaginis expositio concessa pro uno loco non est ad alium locum sine novo indulto extendenda. *Ex eodem Decreto* 1130.

e) Si de Beato alicubi Missam celebrari indultum fuerit, licet etiam imaginem, nec non reliquias et votivas tabellas exponere super altari. *Decret.* 1156.

f) Sine speciali Sedis Apostolicae concessione, non licet Beatorum reliquias, et ideo nec imagines, in publicis processionibus circumferre. *Decret.* 1130.

In cultu insuper Beatorum moderando semper prae oculis habenda est S. R. Congr. declaratio et iussio, qua statuit: « Removere non intendit cultum Beatis per communem Ecclesiae consensum, vel per immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum virorumque sanctorum scripta, vel temporis centum annorum metam excedentis, scientiam ac tolerantiam Sedis Apostolicae aut Ordinariorum hactenus praestitum ac certis modo et forma ab eo tempore eis exhibitum ». *Decr. praecit.* n. 1130.

Antiquiora haec Decreta Beatos tum *formaliter*, tum *aequipollenter* respiciunt immo istos potius quam illos respiciunt. Secundum igitur eorumdem tenorem Ordinarius Beatorum imaginum expositionem moderare tenetur.

Responsi itaque secunda pars: *secus Affirmative,* ita in-

telligenda est, ut sarta tectaque maneant, quae alias statuta sunt. Tenendum igitur, removeri ab Ordinario non posse:

a) Imagines Beatorum *aequipollenter* beatificatorum, qui expositionis indulto, aut maiori, iam gaudent. – *b)* Imagines Beatorum, qui conditionibus supra enumeratis *(Decret.* 1130) gaudent, licet non constet de expresso Apostolico indulto.

Si quaeritur, an alicuius Beati recensio in Martyrologio Romano, ratio sufficiens habenda sit, ut eiusdem imago possit ubique exponi; omnino negandum est. Extat Decretum n. 1162, quo sequens datur responsum: Rogata ut « saltem dignaretur Sanctitas sua declarare, Decretum emanatum non extendi ad Beatos illos, quorum nomina recensentur in Martyrologio Romano:..... Ss.mus Dominus noster Episcopo Baionensi et aliis huiusmodi petentibus responderi mandavit, quod suaviter curent executioni demandare Decretum..... At cultum publicum ubique Sanctis canonizatis praestandum Beatis fieri communem vetat. Alias nulla daretur distinctio inter Sanctos et Beatos, et frustra (quod absit opinari) Ecclesia ad solemnia canonizationis procedere quodammodo videretur », etc.

Decreta itaque hoc unum in universum monent et statuunt, quod Beatorum *cultus publicus,* sicut non est praeter et ultra legitimas concessiones augendus et extendendus, ita non est etiam pro arbitrio minuendus et limitandus.

Consulto diximus *cultus publicus,* quia *cultus privatus* in *Beatos* sive *formaliter,* sive *aequipollenter* beatificatos, laudabiliter ubique locorum diffundi et exerceri potest. Ideo etiam imagines et statuae in privatis domibus haberi, coram eis genuflectere et orare, aliosque privati cultus actus peragere licet. Id non tantum a S. Congr. non reprobatur, sed et fieri et augeri optatur: ipsa S. Congregatio hoc testata est, cum ageretur de cultu privato in (eo tempore) B. Caietanum. Praecitatum Decretum 1162, de eo habet: « S. C. non intendit cultum privatamque populi religionem in B. Caietanum removere, sed potius, ut augeatur, desiderat ».

Fr. Iosephus Ant. O. F. M. Cap.

ROMANA

De octava festi Ss. Apostolorum Petri et Pauli.

Quum per decretum Sacrae Rituum Congregationis n. 3581 *Urbis et Orbis*, 5 iulii 1883 et alia recentiora decreta: *Romana*, 10 decembris 1913 et 22 maii 1914, de Festo Ss. Apostolorum Petri et Pauli, die 29 iunii, Romae non solum agenda sit Commemoratio singulis octavae diebus quocumque Festo occurrente, sed ipsa Octava habenda uti privilegiata tertii ordinis; quumque eiusmodi privilegium a quibusdam intelligatur coarctatum ad clerum saecularem aliosque calendario dioecesano legitime utentes, sacra eadem Congregatio, attentis expositis, ac praesertim quod Romam « Beatissimi Apostolorum Principes supra omnes mundi civitates tantopere nobilitaverunt, constituto ibi catholicae unitatis centro supremoque et indefectibili veritatis magisterio », uti legitur in decreto suprarelato n. 3581, votis etiam precibusque porrectis obsecundans, rescribendum censuit: « In casu octavam privilegiatam extendendam esse ad omnes ex utroque clero Romae eiusque districtu commorantes, si Sanctissimo placuerit ».

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino nostro Benedicto Papae XV per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Pro-Praefectum relatione, Sanctitas Sua rescriptum ipsius Sacri Consilii ratum habuit et confirmavit; simulque Octavam Festi, 29 iunii, Ss. Petri et Pauli App., almae Urbis Patronorum principalium, pro universo clero in hac ipsa Urbe eiusque districtu degente, tam sae-

culari quam regulari, etiam Calendarium proprium habente, privilegiatam tertii ordinis statuit ac declaravit.

Contrariis non obstantibus quibuscumque, etiam speciali mentione dignis.

A. Card. Vico, *S. R. C. Pro-Praefectus.*

L. ✠ S. Alexander Verde, *Secretarius.*

S. CONGREGATIO CONSISTORIALIS

DUBIUM

De competentia circa facultatem concedendi religiosis paroecias saeculares.

Proposito dubio: « utrum facultas concedendi Religiosis paroecias saeculares spectet ad S. C. Concilii, vel potius ad S. C. de Religiosis ».

E.mi Patres huius S. C. Consistorialis, re mature perpensa, et praehabito Consultoris voto, in generalibus comitiis diei 28 iunii 1915 respondendum censuerunt: « Spectare ad S. C. Concilii, firma tamen obligatione pro Ordinibus et Congregationibus religiosis obtinendi a S. C. de Religiosis necessariam facultatem vel dispensationem, si ipsorum constitutiones et regulae eis prohibeant paroecias retinere et regere ».

In audientia autem infrascripto Cardinali Secretario concessa die 2 iulii 1915, Ss.mus D. N. resolutionem ratam habuit et confirmavit.

Romae, die 5 iulii 1915.

† C. Card. De Lai, Episc. Sabinen., *Secretarius.*

L. ✠ S.

† Fr. Thomas Boggiani, Arch. Edessen., *Adsessor.*

S. C. DE DISCIPL. SACRAMENTORUM

Facultas adservandi ss. Eucharistiam in stativis castrorum valetudinariis ac in bellicis navibus.

Sacra Congregatio de disciplina Sacramentorum, Ill.mi ac R.mi Ordinarii Castrensis in Italia precibus benigne annuens, vigore facultatum a Ss.mo D. N. Benedicto Papa XV tributarum, eidem committit ut durante praesenti bello, pro suo arbitrio et conscientia veniam faciat qua, tum in stativis castrorum valetudinariis, tum in bellicis navibus, ubi pro classiariis administer a sacris adest, Ss. Eucharistiae Sacramentum adservari possit, dummodo altare, in quo ciborium collocabitur, sit decenter instructum et supellectilibus sufficienter praeditum; ibidem sacrosanctum Missae sacrificium semel saltem in hebdomada celebretur, eiusdem ciborii clavis caute custodiatur; lampas ante Ss. Sacramentum collucescat; sacrae Species frequenter iuxta Rubricas renoventur, aliisque servatis cautelis ipsi Ordinario Castrensi benevisis pro diversitate circumstantiarum et locorum, ad tutamen et decorem Ss. Eucharistiae.

Contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus eiusdem Sacrae Congregationis, die 22 iunii 1915.

Ph. Card. GIUSTINI, *Praefectus*.

L. ✠ S.

† Aloisius Capotosti, Ep. Therm., *Secretarius*.

SACRA CONGREGATIO CONCILII

VERCELLEN.

Iuris funerandi.

Dubium. — Archiepiscopus Vercellensis ad hanc S. Congregationem Concilii infrascriptum dubium pro opportuna solutione reverenter detulit, nimirum:

« An, dum ardet praesens bellum, capellanis castrensibus, qui in hospitalibus nunc pro militibus vulneratis aut aegrotantibus erectis inserviunt, *exclusive* competat ius funerandi quoad milites qui in praedictis hospitalibus decedant? ».

« Et Sacra eadem Congregatio, re mature perpensa, die 7 iulii 1915, rescribendum censuit, prout rescripsit: *Affirmative*, dummodo exequiae peragantur in sacello hospitalis, et cadaver sine pompa efferatur ad coemeterium ».

Datum ex aedibus S. C. Concilii, die, mense et anno ut supra.

L. ✠ S.

O. Giorgi, *Secretarius*.

SUPREMA S. CONGR. S. OFFICII

(Sectio de Indulgentiis)

I.

DECRETUM

Solvuntur quaedam dubia circa facultates et privilegia secretariorum Piorum Operum Propagationis Fidei, S. Francisci Salesii et S. Infantiae.

Ss.mus D. N. D. Benedictus div. prov. Pp. XV, in audientia impertita R. P. D. Adsessori S. Officii,

feria V, die 10 iunii 1915, praehabito E.morum ac Rev.morum PP. Cardinalium Generalium Inquisitorum suffragio, feria IV, die 9 iunii 1915 emisso, super dubiis:

I. « An sacerdotes, qui in Curiis dioecesanis se« cretarii munere funguntur, per anni decursum obla« tiones recipientes, quas parochi dioecesum attulerint, « ad respectivum directorem dioecesanum Piorum Ope« rum Propagationis Fidei, S. Francisci Salesii et « S. Infantiae transmittendas, ius habeant ad facultates « et privilegia parochorum? »

II. « An directores praedicti auctoritate polleant « easdem facultates et privilegia iisdem secretariis « communicandi? »

Respondendum mandavit: « Negative ad utrumque ».

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

R. Card. MERRY DEL VAL, *Secretarius.*

L. ✠ S.

† DONATUS, Archiep. Ephesin., *Adsessor S. O.*

II

DECRETUM

Solvuntur quaedam dubia circa indulgentias Apostolatui Orationis adnexas.

Propositis Supremae huic S. Congregationi S. Officii sequentibus dubiis:

I. « An is qui Apostolatui Orationis adscribitur, « ut indulgentiam diei inscriptionis adnexam lucretur, « loco ipsius diei inscriptionis, alium diem ad libitum « sibi eligere possit? »

II. « An quotidiana matutina intentio, in prae-« dicto Apostolatu per quamlibet formulam, secundum « statuta, peragenda, fieri possit per actum mere in-« ternum? »

E.mi ac R.mi PP. Cardinales Inquisitores Generales, feria IV, die 9 iunii 1915, respondendum censuerunt:

Ad I. « Negative ».

Ad II. « Intentionem formula vocali esse exprimendam ».

Et feria V subsequenti, die 10, iisdem mense et anno, Ss.mus D. N. D. Benedictus div. prov. Pp. XV, in audientia R. P. D. Adsessori S. Officii impertita, E.morum PP. sententiam adprobavit, Suaque suprema Auctoritate confirmavit.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

R. Card. MERRY DEL VAL, *Secretarius*.

L. ✠ S.

† DONATUS, Archiep. Ephesin., *Adsessor S. O.*

III

DECRETUM

Quo confirmatur Decretum S. C. Indulgentiarum diei XII martii circa privilegii Altaris applicationem.

Supremae Sacrae Congregationi S. Officii proposito sequenti dubio: « An Decretum S. Congr. In-« dulgentiarum d. d. 12 martii 1855 abrogatum cen-« sendum sit per resolutionem ab eadem S. Congre-« gatione datas diebus 19 iunii 1880 et 19 decem-« bris 1885; ita ut, tum Sacerdos celebrans, tum « fidelis offerens Missae stipendium omnino elicere

« debeat intentionem, saltem virtualem, lucrandi pro « defuncto Indulgentiam plenariam Altaris privile-« giati? », E.mi ac R.mi PP. Cardinales Generales Inquisitores, feria IV, die 16 iunii 1915, respondendum censuerunt: *Negative*.

Et Ss.mus D.nus noster D. Benedictus div. prov. Pp. XV. in audientia insequenti feria V, die 17 eiusdem mensis et anni, R. P. D. Adsessori S. Officii impertita, EE. PP. sententiam adprovavit et confirmavit.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

R. Card. MERRY DEL VAL, *Secretarius*.

L. ✠ S.

† DONATUS, Archiep. Ephesin., *Adsessor S. O.*

IV.

DECRETUM

Conceditur facultas sacerdotibus operam suam militibus impendentibus, benedicendi numismata S. Benedicti.

Die 5 augusti 1915.

Ss.mus D. N. D. Benedictus div. prov. Pp. XV, in audientia R. P. D. Adsessori S. Officii impertita, enixis precibus R.mi P. Abbatis Primatis O. S. B. obsecundans, benigne concedere dignatus est, ut sacerdotes omnes, saeculares vel regulares, qui in praelio aut in castrorum hospitalibus seu navibus, praesenti bello perdurante, militibus operam suam praestant in spiritualibus, valeant unico signo crucis benedicere Numismata S. Benedicti, iisque omnes ap-

plicare indulgentias, hucusque huiusmodi Numismatibus a S. Sede concessas.

Contrariis quibuscumque non obstantibus

R. Card. MERRY DEL VAL, *Secretarius*.

L. ✠ S.

† DONATUS, Archiep. Ephesin., *Ads. S. O.*

V.

DECRETUM

Conceduntur Indulgentiae recitantibus orationes quasdam pro pace.

Die 5 augusti 1915.

Ss.mus D. N. D. Benedictus div. prov. Pp. XV, in audientia R. P. D. Adsessori S. Officii impertita, omnibus et singulis christifidelibus corde saltem contrito recitantibus piissimam orationem, remotissima vetustate venerandam, in Canone Missae asservatam, cum adiectis invocationibus, ut sequitur: « Libera nos, quaesumus, Domine, ab omnibus malis praeteritis, praesentibus et futuris; et intercedente beata et gloriosa semper Virgine Dei Genitrice Maria, cum beatis Apostolis tuis Petro et Paulo atque Andrea et omnibus Sanctis, da propitius pacem in diebus nostris, ut ope misericordiae tuae adiuti, et a peccato simus semper liberi, et ab omni perturbatione securi. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen. — Pax Domini sit semper nobiscum. — Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem », vel quocumque alio idiomate, dummodo versio sit fidelis, quoties id egerint, toties indulgentiam trecentorum

dierum, defunctis quoque profuturam, benigne concessit. Iis praeterea, qui easdem preces per mensem recitare consueverint, semel infra eumdem mensem, dummodo confessi ac s. Synaxi refecti, ad mentem Summi Pontificis pie oraverint, plenariam Indulgentiam, similiter animabus defunctorum applicabilem, clementer elargiri dignatus est. Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla brevis expeditione.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

R. Card. MERRY DEL VAL, *Secretarius*.

L. ✠ S.

ALOISIUS GIAMBENE, *Substitutus pro Indulgentiis*.

Expositio Rubricarum.

Reformatio Breviarii Romani necessaria erat.

(Continuatio, V. num. 8 curr. anni, pagg. 475-482)

Hymni Feriarum qui sequuntur in Psalterio bifarie dividuntur: Nocturni ac matutinales primi, vespertini alteri. Hymni nocturni et ad Laudes non habent ullam relationem inter se, sed tantummodo congruunt horae canonicae in qua dicuntur: vespertini vero, non tantum horae, sed et ipsi diei conveniunt, quia in iisdem memoria agitur operum quae patravit Deus in quolibet die creationis.

Hymnos nocturnos feriae ij, iij, vj et sabbati composuit s. Ambrosius, hymni vero feriae iv et v, tribuuntur ab aliquibus eidem s. Ambrosio, ab aliis s. Gregorio Magno.

Communiter s. Ambrosius censetur auctor hymni ad Laudes feriae ij, hymni vero ad Laudes feriarum iij, iv et v excerpti sunt ex *Cathemerion* Prudentii. Hymnus qui canitur ad Laudes feriae vj dubitatur an sit s. Ambrosii, quia in antiqua lectione, ante correctionem Urbanianam, erat acrosticon: hymnum ad Laudes sabbati, ut omnes docent, composuit s. Gregorius.

Omnes hymni nocturni et matutinales exprimunt suaves sensus pietatis et fidei, ac summopere congruunt horae canonicae in qua dicendi sunt, excitant enim ad surgendum, et ad laudandum Deum.

Hymni tandem vespertini collaudant et exaltant Deum per memoriam sex dierum creationis. Editio romana operum s. Ambrosii hos hymnos denominat *Exemeron sive de operibus creationis,* nam unusquisque hymnus iuxta ordinem hebdomadae dierum, memoriam agit de opere a Domino Crea-

tore patrato iuxta ordinem biblicum in Genesi enarratum. Pimont (l. c.) primum hymnum in vesperis Dominicae s. Gregorio attribuit, sed communis sententia est, quod a s. Ambrosio compositus sit, prout absque dubio sunt sequentes.

Qui ergo legunt omnes hymnos istos feriales, statim noscunt qualis et quanta esset iactura, cum saeculis xviij et xix, ob multitudinem festorum, et maxime nostris temporibus ob concessionem officiorum votivorum, numquam recitari poterant in divino officio.

Centies milliesque repetebantur hymni de Communi, praesertim confessorum et martyrum, numquam vero isti pulcherrimi et devotissimi hymni, sensus tam devotos, varios ac fidei plenos excitantes in cordibus psallentium

Valde ergo gaudere debent clerici ad horas canonicas adstricti, qui ob multiplicatos dies feriales, frequenter hymnos psalterii nunc recitant, prout multi iam candide confessi sunt, lugentes quod per tot annos, numquam hymnos huiusmodi legere potuerint.

In nova reformatione aliqui erant, qui proponebant. quod in Adventu, Quadragesima et Tempore Paschali hymni de tempore servarentur pro officio dominicali, in feriis vero dicerentur hymni psalteriales.

Concludendo itaque capitulum istud, forsan nimis prolixum, dicendum est quod necesaria omnino erat divini officii reformatio: *a)* ne impedita esset psalterii integri recitatio in termino unius hebdomadae; *b)* ne Sacrae Scripturae occurrentis lectio saepius omitti deberet; *c)* ne perpetuo oblita manerent pulcherrima responsoria de Tempore; *d)* ut missae Dominicales, ac *e)* feriales propriae in pristinum honorem redirent; et *f)* ut hymni feriales penitus perempti, denuo recitari possent.

Hinc clerici bene morati plurimas gratias agere debent sanctae memoriae Pontificis Pii x, qui reformationem istam adprobavit et voluit, ut tot bona ex antiquo officio romano promanantia adhuc obtinerentur, ad nostram maiorem instructionem et meliorem aedificationem.

IV.

Distributio et divisio psalmorum.

Non paucas censuras aliqui moverunt contra psalmorum distributionem et divisionem, prouti in novo Breviario inveniuntur. Aliqui, forsan desiderantes maiorem brevitatem officii, dicunt quod resecari non debuissent psalmi, sed distribui per duas hebdomadas. Nonnulli desideravissent omissionem psalmorum qui historici sunt. Aliqui irrident divisionem psalmorum in partes varias, dicentes non posse dividi in partes, quod Deus in sacra Scriptura integrum nobis dedit. Alii denique acerrima censura carpunt duo schemata Laudum.

Nostrum est ergo huiusmodi difficultatibus satis facere.

Quod attinet ad primam, nempe ad distributionem psalmorum per duas hebdomadas, non aliud hic addere possumus, ad ea quae supra iam diximus, circa antiquissimam consuetudinem recitandi totum et integrum psalterium in termino unius hebdomadae (Cf. cap. iij., lit. *A*) S. Benedictus in sua Regula (I, c. 18) aperte praecipit: *Omnimodis id attendatur, ut omni hebdomada psalterium ex integro numero 150 psalmorum psallatur;* cum ergo huiusmodi sanctissima regula stricte semper observata fuerit per saecula in Romana Ecclesia, et cum omnes Pontifices qui divinum Officium reformarunt, semper eam venerati sint, nullimode voluit Summus Pontifex Pius x eam immutare. Adde, quod ritus omnes, qui discrepant a Romano, uti Bendictinus, Cisterciensis, Dominicanus, Carmelitanus, Bracharensis, s. Barnabae et alii permulti, omnes habent integrum psalterium per unam solummodo hebdomadam distributum. Una tantum Ecclesia, nempe Mediolanensis, psalterium persolvit intra duas hebdomadas (licet pensum officii diurni brevius non sit): nefas ergo esset, hanc antiquam et iugiter servatam consuetudinem Romanam ac universalem immutare.

Ad assertionem quod in Breviario novissimo omitti debuerant psalmi historici, qui nullum sensum pietatis in

animos psallentium inducere possunt, et non sunt preces, sed narrationes, facillime reponsum damus.

Patres nostri eos semper recitarunt et numquam omiserunt; in breviariis quoque diversi ritus, locum habent, nulla ratio ergo nostris temporibus suadet illorum omissionem.

Esto quod revera, et stricte sumpti, psalmi historici non sint preces, sed tantummodo narrationes, attamen sunt et ipsi verbum Dei, et narrationes ipsae ingerunt in mentem memoriam plurium beneficiorum quibus populum suum cumulavit Dominus, quem proinde nos laudare debemus et ei gratias referre. Ceterum, psalmos istos historicos omittendo, integrum psalterium non amplius recitaretur.

Quoad vero aliam censuram, quod scilicet resecari non debuerant psalmi, eo quod dividi non potest quod integrum nobis dedit Dominus in sacra Scriptura, nos respondere possumus:

Psalterium tam apud Hebraeos, quam apud Christianos, 150 psalmis, licet diversimode divisis, constat: cum vero nonnulli ex ipsis plus aequo prolixi sint, coeptum est, apud antiquos, eos in plures partes scindere, uti videri potest apud monachos s. Benedicti; et revera Amalarius (De officiis div. lib. 4) testatur iam suo tempore longiores psalmos divisos fuisse, quemadmodum dividere solemus psalmum 118 *Beati immaculati in via*.

Itaque, pro novissima Psalterii reformatione, statuto numero psalmorum in quacumque hora canonica, nempe: novem ad matutinum, quatuor ad laudes, quibus additur quarto loco canticum, trium pro qualibet hora minori, et quinque ad vesperas, patet, quod unaquaque die, occurrunt tres et triginta psalmi. Ideo, si numerum 33 septies ducimus, habebimus quod in ambitu unius hebdomadae dicendi sunt 231 psalmi; ergo, dempto psalmo 94 *Venite, exultemus,* qui quotidie adhibetur pro invitatorio, restant 149, ex quibus prolixiores ita dividendi sunt, ut numerum 231 attingant.

Cum autem psalmi sint 150, oportet omnino ut ita dividantur prolixiores in duas vel plures partes, ut necessarius numerus obtineatur. In hoc itaque tota sita est ratio huiusce novae psalterii distributionis : ideoque huiusmodi divisio psalmorum admirationem nullam parere debet, primo quidem, quia iam in ritu romano habemus psalmum 118 in undecim partes divisum, et psalmum 30 non integrum ad Completorium, sicut psalmum *Lavabo* in missa, qui nil aliud est, nisi pars psalmi 25; secundo autem, quia Concilium Narbonense, anno 589 coactum, ad rem habet (Coll. Conc. IX, col. 1015): « Hoc itaque definitum est, ut in psallendis ordinibus, per quemque psalmum, *Gloria* dicatur omnipotenti Deo; per maiores vero psalmos, prouti fuerint prolixius (sic), pausationes fiant, et per quamcumque pausationem *Gloria* Trinitatis Domino decantetur ».

S. Benedictus ipse in regula (Cap. 18 *Quo ordine psalmi dicendi sunt*) statuit: «... Disposito ordine psalmodiae diurnae, reliqui omnes psalmi, qui supersunt, aequaliter dividantur in septem noctium vigiliis, partiendo scilicet, qui inter eos prolixiores sunt psalmi ».

Neque pariter mirum alicui videri debet, tam gravem immutationem in psalterio esse inductam, asserendo, quod per tot saecula ita distributum in breviario romano permansit : scimus quidem sub Benedicto xiv agitatam fuisse quaestionem, utrum alia distributio psalmorum, a methodo Pii v diversa, esset inducenda; Congregatio vero ad id deputata, die 2 martii 1744, ad ipsam qnaestionem, longiore discussione habita, respondit : « a recepto psalmodiae ritu nullatenus esse recedendum » (Cf. Roskovány 1, c. 570–687). Scimus etiam quod et ipse b. Thomasius, interrogatus aliquando de hac ipsa re, aperte declaraverit, psalterium Pii v non esse variandum; attamen, non eadem est ubique distributio psalterii in Ecclesia; nam Ambrosiani et monachi Benedictini, aliam diversam distributionem sequuntur, ita et Cistercienses ac olim Humiliati, adprobante Paulo iij, (Cf. Brev. Humil. Mediolani 1751), ut taceamus de breviariis,

quae in Gallia saeculo XVII ab Episcopis noviter confecta fuerant.

Sed et beatissimus monachorum auctor et patriarcha Benedictus, cui ecclesia occidentalis debet officii divini ordinationem, in sua regula (loco cit.) sequitur dicens: « Hoc praecipue commonentes, ut si cui forte haec distributio psalmorum displicuerit, ordinet, si melius iudicaverit, dum omnimodis id attendatur, ut omni hebdomada psalterium ex integro, numero 150 psalmorum, persolvatur ».

Itaque, ut obtineantur bona a Pontifice desiderata, nempe: quod officium brevius evadat, et hoc non obstante, totum psalterium in hebdomada dicatur, necessario, ex suae plenitudine potestatis, novam hanc psalterii distributionem statuit et praecepit. Melius est enim diversimode psalmos distribuere, ut omnes revera in divino officio recitentur, quam veterem servare distributionem, et omnes psalmos habere in breviario editos, quorum aliqui numquam, et nonnulli rarissime dicantur.

Non unum schema pro distributione et partitione psalmorum in novo psalterio propositum fuerat; aliqui enim ordinem numeralem omnino servare volebant, quod in praxi impossibile est, et alioquin ordo, qui invenitur in Vulgata, neque historicus est, neque per materiam dispositus; sed etiam in aliis psalteriis, in usu apud diversos ritus numquam videtur idem ordo servatus. Aliqui vero, relinquendo psalmos necessarios, vel integros vel resecatos, in unaquaque die ad matutinum, reliquos ad horas minores eiusdem diei distribuendos esse dicebant. Alii tandem diversa ratione psalmos seligere proposuerant, ita ut, ex. gr., feria v habeantur psalmi eucharistici, et feria vj de passione Domini, ac sabbato de beata Maria. Attamen, cum ante omnia oporteret ita psalmos distribuere, ut omnes revera dicerentur in termino unius hebdomadae, divisio selecta fuit, quae magis ad rem congruere visa fuit. Quod autem attinet duo schemata Laudum, haec sunt dicenda:

Nonnulli, ad maiorem simplicitatem in regulis psalterii

obtinendam, cum ageretur de iure condendo, deserere volebant antiquam consuetudinem, mutandi psalmos in Laudibus ut scilicet, in nova psalmorum distributione, nulla haberetur exceptio; nihilominus, quum consuetudinem ipsam cum parvo incommodo sequi adhuc possimus, et summopere deceat, ut illis in dominicis poenitentialibus, ritus antiquus servetur, statutum est, ut schema secundum in Laudibus servaretur, pro iisdem dominicis diebus.

Idem dicendum est de Laudibus feriarum, in quibus ieiunatur, et in quibus, iuxta solitum, primo loco ponitur psalmus *Miserere,* ac proinde ad Primam, in iisdem feriis, reponitur psalmus ille, qui relictus fuit, ad Laudes, ut eius loco dicatur *Miserere.*

Notandum est etiam, quod variata sunt in Laudibus, cantica, quae dici debent inter psalmos, ut prolixiora illa, nempe quae iam habentur in breviario Pii v, reservata essent pro feriis poenitentialibus, et breviora in aliis. Quapropter in primo schemate, quod in festis inservit, posita fuerunt cantica David, Tobiae, Iudith, Ieremiae, Isaiae (diversum tamen a cantico, quod habetur in feria ij) et Ecclesiastici.

Item, ut in secundo schemate varia semper essent cantica, in dominicis poenitentialibus positum fuit aliud canticum trium puerorum, quod nihil est nisi pars illius, quod dicitur in aliis dominicis.

Ut habeatur sub oculis ordo distributionis psalmorum, eorumque divisionum, prout nunc iacet in novo psalterio, ordinem ipsum in sequenti tabula exhibemus.

Aliqui optavissent, ut officium diei Dominicae brevius fieret prae ceteris officiis hebdomadae, ideoque proposuerant: *a*) quod novem psalmi ad Matutinum, inter breviores, brevissimi seligerentur, non excedentes numerum 8 vel 9 versiculorum: *b*) quod ad Laudes quintus psalmus esset 150, loco psalmi 148; *c*) quod per horas minores psalmus 118 distingueretur in octonarios, prout invenitur in Vulgata, sicque inserviret ad horas dominicae et feriae ij, prout habetur in breviario monastico; *d*) quod quinto loco, ad ve-

	Dominica	Feria II	Feria III	Feria IV	Feria V	Feria VI	Sabbato
Matutinum . .	1 2 3 8 9.i 9.ij 9.iij 9.iv 10	13 14 16 17.i 17.ij 17.iij 19 20 29	34.i 34.ij 34.iij 36.i 36.ij 36.iij 37.i 37.ij 38	44.i 44.ij 45 47 48.j 48.ij 49.j 49.ij 50	61 65.i 65.ij 67.i 67.ij 67.iij 68.i 68.ij 68.iij	77.i 77.ij 77.iij 77.iv 77.v 77.vj 78 80 82	104.i 104.ij 104.iij 105.j 105.ij 105.iij 106.j 106.ij 106.iij
Laudes.	92 99 62 Cant. 148	46 5 28 C. 116	95 42 66 C. 134	96 64 100 C. 145	97 89 35 C. 146	98 142 84 C. 147	149 91 63 C. 150
Prima	117 118.i 118.ij	23 18.i 18.ij	24.i 24.ij 24.iij	25 51 52	22 71.i 71.ij	21.j 21.ij 21.iij	93.i 93.ij 107
Tertia	118.iij 118.iv 118.v	26.j 26.ij 27	39.j 39.ij 39.iij	53 54.j 54.ij	72.j 72.ij 72.iij	79.j 79.ij 81	101.j 101.ij 101.iij
Sexta.	118.vj 118.vij 118.viij	30.j 30.ij 30.iij	40 41.j 41.ij	55 56 57	73.j 73.ij 73.iij	83.j 83.ij 86	103.j 103.ij 103.iij
Nona.	118.ix 118.x 118.xj	31 32.j 32.ij	43.j 43.ij 43.iij	58.j 58.ij 59	74 75.j 75.ij	88.j 88.ij 88.iij	108.j 108.ij 108.iij
Vesperae . . .	109 110 111 112 113	114 115 119 120 121	122 123 124 125 126	127 128 129 130 131	132 135.j 135.ij 136 137	138.j 138.ij 139 140 141	143.j 143.ij 144.j 144.ij 144.iij
Completorium	4 90 133	6 7.j 7.ij	11 12 15	33.j 33.ij 60	69 70.j 70.ij	76.j 67.ij 85	87 102.j 102.ij

speras, Dominicae haberetur psalmus 116 *Laudate Dominum, omnes gentes,* remisso psalmo 113 *In exitu* ad sequentem fe-

riam ij, ut habent Benedictini. Hac ratione distribuendo psalmos in Dominica, officium eius non habuisset nisi 237 versiculos, ac proinde brevius omnium revera evasisset.

Attamen, aliter opportunum fieri visum fuit, quia a tempore s. Benedicti et s. Gregorii magni, usque ad hodiernum diem, officium in Dominica prolixius semper fuit; decet enim in die specialiter Domino dicata, in prolixiori oratione permanere. Sed et variando distributionem psalmi 118 per horas, officia maiorum solemnitatum, et in triduo Mortis Domini, nimis laesa fuissent. Ceterum, numerus 151 versiculorum, qui in casu dempti fuissent ob Officio Dominicali, prolixius officium non reddidisset, nisi pro quintadecima parte unius horae. Itaque ad tam leve temporis lucrum assequendum, tanti non erat aliam distributionem inducere.

DR. PETRUS PIACENZA.

Consuetudines in functionibus liturgicis

(Continuatio, V. n. 8 curr. anni, pagg. 483-499)

Quaer. Videtur in missa privata, cui duo inserviunt clerici, non semper lex distinctionis inter primum et secundum clericum rite observata; haud raro secundus clericus dexteram primus vero laevam partem occupat. Quid de hac praxi ?

Resp. Fuimus et nos huiusmodi irregularis praxis testes. Ad obviandam lamentabilem praxim necesse est ad haec tria attendere: 1° Post epistolam, responso *Deo gratias,* clerici ambo surgunt, et praemissa in medio genuflexione, primus clericus ad gradus altaris e cornu epistolae accedit, ne secundi clerici transitum impediat; secundus vero manet in plano, retro celebrantem, et suo tempore ascendit, et transfert missale in cornu evangelii. Respondent suo tempore celebranti *Gloria tibi, Domine,* et descendunt in planum ; et stantes expectant, secundus retro celebrantem, primus versus cornu epistolae. 2° Absoluto evangelio, genua flectunt ; et quum celebrans dicit *Oremus,* ante offertorium, surgunt, genuflectunt in medio, et accedunt, secundus ad dexteram celebrantis, ut plicet velum, primus ad mensam, ut deferat linteolum et ampullas cum pelvicula; deinde se sistunt in gradu propiori suppedaneo, primus a dexteris, etc. 3° Quum celebrans se communicat sub specie panis, clerici se mediocriter inclinant, et cum ille discooperit calicem, primus clericus surgit, et quin genuflectat, defert ad mensam campanulam; accipit ampullas, et rediens ad altare ministrat

celebranti, etc. Postquam celebrans abluit digitos, et quum primus clericus defert ampullas ad mensam, et rediens extinguit tertium cereum, si adest de illius accensione consuetudo; alter clericus surgit, transfert missale in cornu epistolae, et deinde uterque se confert in medium, ibique genuflectunt et accedunt alter ad infimum gradum in cornu epistolae, alter in cornu evangelii. Quod si loco evangelii s. Ioannis aliud occurrit, postquam celebrans dixerit *Ite, missa est,* primus clericus accipit missale, genuflectit in plano cum secundo, et collocat supra mensam altaris. Postea, absoluto evangelio, primus clericus iterum transfert missale in cornu epistolae, et descendens per breviorem redit ad abacum, allaturus tabulam precum.

Quaer. Post cantum evangelii, praxis fere communis non videtur satis commendabilis, sive quoad locum in quo diaconus celebrantem incensat, sive quoad tempus a sacris ministris altari genuflectendi. Quae norma sequenda est magis laudabilis, attento silentio rubricarum ad rem?

Resp. Post cantum evangelii, subdiaconus, librum apertum retinens, recta via et absque ulla reverentia, illum defert celebranti osculandum, indicans digito locum ubi adest principium evangelii, sibi a diacono ostensum. Postquam celebrans evangelium osculatus fuerit, librum claudit, ac parum retrocedens, celebranti profunde se inclinat; dehinc, iuxta auctores: Laboranti, Arnaudus, A Portu, Buongiovanni, Hippolytus, Merati, a Carpo, Pavone, Ianssens, Zuazo, Iroizos, De Herdt, Caerem. Romanum-Seraphicum, nos ipsos, et alios, facta ibidem altari genuflexione, in planum descendit e cornu epistolae, ibique tradit librum caeremoniario. Iuxta alios: Cavalieri, Vinitor, Bauldry, Martinucci, Erker, Van der Stappen, Aertnys et Caerem. Minor. Convent., subdiaconus, inclinato celebrante, non genuflectit altari, sed post celebrantis incensationem, in medio altaris cum diacono genuflectit. Alii auctores tandem: Coppin-Stimart, Schober, ab Appeltern, Vavasseur, Baldeschi, Piller, vel nil de hac genuflexione dicunt vel absolute negant esse

faciendam. Transitum nunc facimus ad diaconum. Dum subdiaconus cum libro ad celebrantem ascendit, diaconus accedit ad gradus ante medium altaris, ibique genuflectit in infimo gradu. Postquam celebrans osculatus est librum, diaconus thuribulum a thuriferario accipit, et triplici ductu thurificat ipsum celebrantem (Cfr. cll. De Herdt, Vict. ab Appeltern, a Carpo, Caerem. Rom. Seraph., et alios). Confitemur, praxim fere communem quoad incensationem celebrantis sequentem esse: Postquam celebrans librum osculatus est, diaconus *adhuc in eodem loco consistens,* accepto thuribulo, celebrantem ter incensat, et dimisso thuribulo, dum celebrans ad medium altaris accedit, etiam sacri ministri ad locum suum retro post illum accedunt, et genuflectunt. Circa hanc praxim nonnulla adnotamus, quae non satis laudabilia videntur, scilicet: 1° genuflexionem subdiaconi cum diacono post incensationem; 2° processionem ad altare ab omnibus non servatam, uti in accessu ante cantum evangelii, ob stationem diaconi, thurificantis celebrantem; 3° incensationem ipsam in loco non satis opportuno. Quid simplicius et rectius quam doctrinam cll. auctorum a Carpo, De Herdt, etc. sequi? Attento enim silentio rubricarum in casu, sententiam nostram exponere audemus, uti fecimus in appendice ad Caerem. Parochorum (cap. II, art. III, nn. 25, 26): « Evangelio expleto, diaconus dextera indicat subdiacono principium evangelii, et paululum recedens, subdiacono ante se transeunti dat locum, qui cum aperto libro, via recta, absque ulla reverentia altari, exposito etiam Sacramento, accedit ad celebrantem, ipsique dextera ostendit initium evangelii, et ipsum illi osculandum praebet. Omnes similiter, evangelio cantato, processionaliter in medium accedunt; subdiaconus, uti diximus, ad celebrantem, diaconus ante infimum gradum, caeremoniarius et thuriferarius post diaconum, ultimo loco post eos acolythi, tres series componentes. Postquam celebrans initium sacri textus osculatus erit, dicens *Per evangelica dicta, etc.,* subdiaconus librum claudit, et facta ei capitis profunda inclinatione, vertit se

ad altare et genuflectit super predellam, eodem tempore quo diaconus et clerici inservientes genuflectunt. Subdiaconus dein per gradus anteriores lateris epistolae, ne impediat diaconum incensantem, descendit in planum, et tradit librum caeremoniario: acolythi deferunt candelabra suo loco, thuriferarius thuribulum diacono praebet, ad eius dexteram stans: incensabitur de more celebrans: dein thuriferarius, accepto thuribulo a diacono, se sistit aliquantulum in medio. Et dum celebrans ad medium altaris accedit, etiam ministri, ad locum suum retro post illum accedunt, et dum ipse intonat *Credo,* ministri inclinant caput ad vocem *Deum* (quo tempore thuriferarius genuflectit et in sacrarium redit), et iuxta celebrantem ascendunt ». Iuxta expositam caeremoniam, nil omittitur quod faciendum est: subdiaconus, qui e loco extra ambitum altaris ad medium illius pervenit, regulariter genuflectit, statim ac celebrans sacrum textum osculatur: diaconus, una cum omnibus inservientibus processionaliter altari accedit, et opportuniori loco celebrantem incensat: omnes autem inservientes, in distinctas series in medio altaris stantes, cum ministris sacris, uno tempore, non sine aliqua concinne distributione, genuflectunt, et ad loca sua dein redeunt.

Quaer. In functionibus extra missam et vesperas, ante preces aut hymnos etc., quando super altare sit exposita reliquia B. M. V. aut alicuius sancti, debetne incensari ante illam etiam crux altaris? Et si super altare collocata sit imago seu effigies Christi crucifixi et lignum ss. crucis, utraque incensanda est? In missa autem solemni aut vesperis quoad incensationem reliquiarum quomodo celebrans se gerere debet?

Resp. Quando super altare exposita est aliqua sacra reliquia, verbi gratia alicuius sancti, vel passionis D. N. I. C., non est necesse, in functionibus extra missam et vesperas, praeter eam, et imaginem crucifixi thurificare. Quinimo haec praxis, quae non est praeceptiva, videtur insueta. Generatim sic istae functiones ordinantur: Collocatur primum

reliquia in suo expositorio super altare (non super tabernaculum ss. Sacramenti, D. 2613[6], neque ante ipsius ostiolum, D. 2906; neque supra pallam, D. 2689[3]) discooperta, si ad venerationem exponenda sit, praescindendo a s. functione, accensis hinc inde duabus candelis (DD. 2067[1], 3029[13], 3204), cooperta in casu opposito. Sacerdos, superpelliceo et stola coloris functioni convenientis indutus, thuriferario et duobus ceroferariis praecedentibus, ubi usus viget, modo solito, capite cooperto, ad altare procedit. Ante gradus biretum deponit, debitam reverentiam facit, et quatenus reliquia cooperta, sit, suppedaneum ascendit et eam discooperit: deinde, praemissa sola capitis inclinatione, descendit in planum, ubi, imposito incenso in thuribulo, dicendo more solito *Ad illo benedicaris etc.*, et more solito benedicto, stans, reliquiam duplici ductu, cum debitis capitis inclinationibus ante et post, thurificat. Postea, genuflexus super infimo altaris gradu, usitatas et approbatas preces recitat (iuxta decr. S. R. et Univ. Inq. d. 23 novemb. 1645; et constit. Leonis XIII *Officiorum ac munerum*, cap. VII, n. 20); deinde hymnum, stando, cum analogis versiculis et oratione convenienti. Post hanc iterum incensum imponitur, et, ut supra, reliquia thurificatur; tandem, si adest consuetudo, cum ipsa sacerdos benedictionem impertitur. Praecipuae functiones cum reliquiarum expositione possunt diversimode et plus minusve solemniter celebrari, quod non est nostrum hic singulatim et fusius exponere. Sufficit, ut Inquirenti nostro satis fiat, dicere: 1° Reliquias vel effigies sanctorum incensandas esse duplici ductu, cum capitis simplici inclinatione ante et post; similiter reliquias et effigies Deiparae cum media inclinatione capitis; 2° effigies autem D. N. I. C. triplici ductu cum profunda capitis inclinatione; 3° reliquias tandem crucis et dominicae passionis triplici ductu, cum genuflexione ante et post. In omnibus expositis casibus nulla prorsus thurificatio altaris cruci debetur. Ratio est quia, extra missam et divinum officium, neque imaginibus altaris, neque cruci, neque alicui rei in altare extantibus

praescribitur, sed tantum pro speciali obiecto, ob quod illa functio fit, permittitur.

Iure exponi possunt in altari reliquiae vel imagines sanctorum, *quae quidem sacrae reliquiae et imagines* (iuxta Caerem. Episc., lib. I, c. XII, § 12), *cum sex tantum candelabra super altari erunt, disponi poterunt alternatim inter ipsa candelabra.* Invaluit insuper consuetudo exponendi imaginem vel reliquiam alicuius sancti in medio altaris, et aliquando reliquiam Deiparae vel sanctae crucis aut aliud dominicum instrumentum passionis. Si inter candelabra expositae sunt reliquia vel imagines sanctorum, celebrans in missa solemni vel in vesperis, incensata cruce cum debitis reverentiis ante et post, uti diximus supra in una nostrarum consuetudinum, antequam e medio discedat, eas prius quae sunt ex parte evangelii duobus thuribuli ductibus adolet, cruci tamen viciniores primo, reliquas deinde, sed nullo se modo incli nans. Dein crucem iterum reveretur, et imagines aut reliquias, quae ex parte sunt epistolae, similiter incensat. Si vero una tantum reliquia sive statua insignior in medio altaris sit exposita, tunc celebrans, post crucis incensationem et debitam reverentiae eidem cruci exhibitionem, ibidem consistens, duplici illam ductu, quin se inclinet, thure, antequam altare, adolebit (Cfr. cl. Alois. a Carpo, Pars II, cap. II, art. 2, n. 136).

Diximus: *Celebrans post crucis incensationem et debitam reverentiae eidem cruci exhibitionem;* et *Reliquiam vel imaginem duplici ductu quin se inclinet adolebit.* De singulis breviter.

Quoad primum: « *Si in altari fuerit tabernaculum ss. Sacramenti antequam (celebrans) incipiat incensationem, genuflectit; quod item facit quotiescumque transit ante medium altaris* ». Quibus verbis rubricae, cl. Gavantus commentatur: « *Genuflectit,* ob praesentiam Sacramenti, quamvis lateat: et eo casu non inclinat caput cruci quam incensat. Adorat igitur quod latet et patet, Sacramentum et crucem; incensat quod manifeste patet, idest crucem » (Pars II, tit. IV, rubr. 6, lit. *f).* Ad quem cl. Meratus addit: « Si in altari quod in-

censatur sit Sacramentum in tabernaculo inclusum, debet servari regula a Gavanto supra descripta, nimirum non inclinat tunc celebrans caput cruci, quam incensare debet; sed accepto thuribulo.... genuflectit. Dixi non debere tunc inclinare cruci, contra aliquos imperitos, qui male, ut advertit Tonellus, post genuflexionem Sacramento factam, aliam reverentiam cruci praestant. Incensata autem cruce iterum Sacramento genuflectit, quamvis in tabernaculo incluso. Advertimus hoc loco cum Gavanto, Quarti, Corsetto et aliis, quod sacerdos sua genuflexione adorat quidem Sacramentum, si clausum intra ciborium adsit, sed non thurificat nisi crucem; adorat enim quod latet et patet, Sacramentum et crucem; sed incensat solum quod manifeste patet, nempe crucem. Ramerius tamen in rituale coelestinorum (lib. 3, cap. 2) sic loquitur: *Sacerdos thurificans altare primum crucem adolere debet incenso, ante et post genuflectendo: quia quod non videt adorat, et quod videt thurificat. Sed quando est expositum ss. Sacramentum extra ciborium, illud simul adorat et incensat genuflexus, non autem crucem* ».

Quoad secundum: Sacerdos reliquiam vel imaginem duplici ductu *quin se inclinet* adolebit. Ad rem exposuimus iam supra auctoritatem eminentis rubricistae Gavanti et illius cl. commentatoris Merati (P. II, tit. IV, n. XXVII, lit. *c*).

Si autem reliquia esset de sancta cruce vel de alio instrumento passionis, triplici eam ductu una cum altaris cruce thurificabit (S. R. C. 9 iunii 1899 ad 1, n. 4026), cum genuflexione ante et post.

Quod si in loco principe altaris statua D. N. I. C. sit exposita, ex. gr. divini Infantis, tempore natalitio, ss. Redemptoris, tempore paschali, vel effigies boni Pastoris, aut sacratissimi Cordis, hodie a fidelibus christianis tam venerata, iuxta sententiam cl. a Carpo (p. II, n. 126), similiter triplici ductu, una cum altaris cruce esset thurificanda: sed contra est decretum S. R. C. die 15 februarii 1873 in *Romana*, n. 3288, quae ad dubium : « An imago divin

Infantis, nativitatis tempore, principe loco super altari exposita, sit post crucem thurificanda triplici ductu, eodem prorsus modo quo incensatur crux cum imagine crucifixi? », rescribendum censuit: « Affirmative »; cl. Schober (cap. V, art. 1, ad 6), etiam in hoc speciali casu, ait: neque ante neque post fit statuae inclinatio. Incensatio crucifixi fit *simul* cum reliquia sanctae crucis et cuiuscumque instrumenti dominicae passionis; incensatio autem statuae D. N. I. C. fit *seorsum* ab incensatione crucifixi, ratio est quia quamvis utraque idemque obiectum repraesentet, tamen in primo casu incensatio fit unica ob identitatem mysterii, distincta autem in secundo, ob eiusdem diversitatem.

Quid dicendum de expositione reliquiae alicuius sancti in eodem altari ipsi sancto dicato? et quid de reliquia B. M. V. in altari in quo effigies seu statua ipsius habetur? Imagines plures depictas vel statuas eundem referentes coelitem in una eademque ecclesia exponere non licet (D. 3732), multo minus in eodem altari. Allatum decretum non videtur etiam reliquias comprehendere in hac prohibitione; nihilominus fatemur in casu supervacaneam esse reliquiae expositionem in altari ubi effigies ipsius sancti ostenditur. Magis incongrua dicenda est expositio reliquiae Deiparae in altari in quo imago ipsius Virginis Mariae veneratur. Re enim vera: cuius aestimationis reliquiae Deiparae habentur? Istae, ut plurimum, consistunt in velaminibus in contactu alicuius imaginis prodigiosae aliquando positis, ex. gr. Virginis Mariae Lauretanae, etc. Ideo appositio alicuius reliquiae B. M. V. in altari eidem Virgini dicato, videtur spiritui liturgico minime consentanea, immo depretiativa ipsius imaginis, praesertim si ista censetur prodigiosa, verbi gratia, imago Deiparae in basilica s. Mariae maioris, in basilica sanctae Mariae a populo nuncupatae, vel in ecclesiis sancti Apollinaris, sancti Augustini, et alibi, in Urbe magnopere veneratae. Consulendum est ut reliquiae sanctorum, praesertim ss. Virginis, extra, scilicet in alio altari, cum candelarum et florum ornatu exponantur, ne in altari, ubi simulacrum

festivum collocatur, ob appositionem reliquiae locum praecipuum cruci debitum eripiatur. Nihilominus, si ob consuetudinem in altari effigies B. M. V. vel alicuius sancti una cum reliquia ipsorum exponatur, statuae vel imaginis incensatio simul una cum reliquia facienda erit.

Quaer. Tempore purificationis et ablutionis, nonnulli sacerdotes, non supra, sed extra altare calicem sustinent, regularis estne dicenda praxis exposita? Quid de hac rubricae et auctores?

Resp. Calix in purificatione et in ablutione, post communionem missae, tenendus est super altare, uti explicite habetur in memoriali Benedicti XIII, feria V, n. 19, in quo dicitur: « Abluit digitos super calicem et *super altare* de more ». Probatur etiam ex ipsius rubricae missalis contextu (Rit., Tit. X, n. 5): « Quibus sumptis, dicit secreto: *Quod ore sumpsimus etc., et super altare* porrigit calicem ministro in cornu epistolae, quo vinum fundente se purificat: deinde et aqua abluit pollices et indices super calicem, etc. ». Verbum *deinde,* in eodem periodi membro, continuationem eiusdem actus satis videtur ostendere. Conferamus auctores. Cl. Meratus ait: « Minister extendit dexterum brachium, dum sacerdos porrigit calicem extra corporale, sed intra et super altare... Sumpta purificatione... celebrans, accipiens cuppam calicis, sex inferioribus digitis utriusque manus pollicem et indicem sinistrae dextraeque manus coniunctos inter se tenens super os eiusdem calicis, procedit ad cornu epistolae, ubi tenens calicem intra altare sed extra corporale, pollices et indices abluit » (P. II, tit. X, lit. *y,* n. XX). Cl. Cavalieri scribit: « Celebrans... accipiens sex inferioribus utriusque manus digitis calicis cuppam, indices et pollices utriusque manus inter se coniunctos super os eiusdem calicis tenens procedit ad cornu epistolae, ubi extra corporale, sed intra altare, super os eiusdem calicis pollices et indices abluit, prius vino, deinde aqua » (Tom. V, cap. XIII, n. XXVII). Similiter cl. Martinucci: « Dehinc imponet cuppae digitos indices et pollices manus utriusque...

et vadens in cornu epistolae, accipiet ablutionem, sustinens calicem intra mensam altaris non extra; interea dicens orationem *Corpus tuum, Domine,* etc. » (lib. I, tit. II, c. 3, art. 2). Cl. Le Vavasseur-Haegy, ait: « Mettant alors le pouce et l'index de chaque main au-dessus du calice... va au coin de l'épître, pose le calice sur l'autel, reçoit l'ablution sur les doigts, et dit en même temps Corpus tuum, Domine »; et ibidem in nota: « Les meilleurs rubricistes en on conclu que le prêtre doit poser le calice sur l'autel » (Part. V, sect. I, chap. I, art. 2, n. 126). Item cl. Erker: « Deinde... se confert ad cornu epistolae, ubi calicem tenens super altare, etc. » (Append. Ritus celebr. Miss.); et sic de aliis, De Herdt, Schober, Klinda, ab Appeltern, Wapelhorst, Piller, Aertnys, Baldeschi, etc. Infrequentior autem non est casus, quo minister parvae staturae missae inserviat; in hypothesi necessitas facit legem, et sacerdos, si in casu extra altare digitos super calicem purificet, non est improbandus. Ad rem cl. Menghini noster solers collaborator, in suo *Manuale Novissimo,* loquens de ministro inservienti sic alloquitur: « Il ministro si ritira di fianco all'altare, ed attende che il sacerdote venga a lui per l'abluzione delle dita sul calice, al disopra della mensa », et in calce sequentem practicam annotationem apponit: « Regolarmente queste azioni (della purificazione del calice e dell'abluzione delle dita) si fanno sopra la mensa dell'altare, ma il far ciò tornando incomodo al piccolo ministro, può questi attendere il celebrante di fianco alla predella ».

Quaer. Cuius speciei erit inclinatio celebrantis in actu incensationis altaris, vel antequam procedat ab altari ad scamnum, vel a scamno revertatur ad altare, si in eo ss. Sacramentum non asservetur?

Resp. De hac quaestione alias in nostris Ephemeridibus sermonem fecimus, sed cum in praesenti visum opportunum sit fusius eam tractare ob gravitatem argumenti, libenter hoc onus feramus, ut et in praesenti quaestionario locum non habeat novissimum.

Plures ecclesiae saepe differunt ab aliis quoad nonnulla praeliminaria principia; inter ea, non est qui non advertat discrimen prorsus arbitrarium spectans inclinationes a celebrante faciendas in actu incensationis altaris, vel antequam ab altari ad scamnum procedat, et a scamno ad altare revertatur, si in altari ss. Sacramentum non asservetur. Inclinationes in casu, non corporis, sed tantum capitis faciendae sunt. Ritus et caeremonie, in missa solemni servandae, parcius in rubricis missalis sunt decriptae, tum quia, ait Gavantus, de his in caeremoniali episcoporum, paullo ante missalis recognitionem, actum erat satis, tum quia minutiora prosequi non videbatur in missali opportunum. Inter res non satis expositas recensenda est haec rubrica, naturam inclinationis spectans, capitis vel corporis, a celebrante, in casibus a quaesito expositis faciendae. Vere non satis deploratur hoc discrimen vel peculiaris praxis cuiusque ecclesiae. Sententia nostra, iam innuimus, est pro inclinationibus capitis, non autem corporis.

Si profecto libros liturgicos perscrutamur, nempe missale romanum, caeremoniale episcoporum, memoriale rituum aliquando legimus: *facta cruci profunda reverentia;* saepe vero: *facta cruci reverentia.* In missali romano: (celebrans) *facta cruci profunda reverentia, eam ter incensat, nihil dicens: et facta iterum cruci reverentia, etc.* (Rit. celebr. miss., p. 4). In eodem et sequenti numero similes locutiones inveniuntur: *facta cruci reverentia — facta ei reverentia* — et iterum, *facta cruci reverentia.* In caeremoniali episcoporum (lib. II, cap. VIII, § 30) legitur: *Cum episcopus pervenerit ante infimum gradum altaris... facit profundam reverentiam cruci supra altari positae.* Et alibi (lib. I, cap. XXIII § 4): *et facta cruci profunda reverentia, thurificet illam triplici ductu;* et paullo post: *iterum facta cruci reverentia, etc. — deinde facta reverentia cruci.* Insuper (lib. I, cap. XII, § 90): *Ante altare maius caput cruci profunde inclinabit, etc. — iterum caput, ut prius inclinabit.* In memoriale rituum, iussu Benedicti Pp. XIII edito, inveniuntur istae simplices locutiones: *Facta in plano reverentia cruci — facta*

reverentia altari — factaque in medio cruci reverentia, etc., sic passim in eodem libello.

Quaeritur iterum: Quomodo istae locutiones intelligendae sunt? De reverentia corporis estne sermo in lege, an potius capitis?

Nos, salvo meliori iudicio, de reverentiis capitis eam loqui intelligimus. Enim vero caeremoniale episcoporum, in locutionibus supra expositis (lib. I, c. XII, § 90) et alibi, praescribit cruci profundam capitis inclinationem: ex qua locutione liquido patet, inclinationes capitis in profundas et non profundas distingui, non secus ac veteres auctores et nonnulli recentiores docent. Inde est quod in sacris functionibus, praeter corporis profundas reverentias, quae a rubricis missalis praescribuntur: *a*) in accessu ad altare, ante infimum gradum, nisi adsit Sacramentum (1); *b*) priusquam missa incipiatur, ante signum crucis; *c*) infra *Confiteor*; *d*) infra *Munda cor meum*; *e*) initio canonis, ad *Te igitur*; *f*) ad *Supplices te rogamus*: et mediocres reverentias, quae

(1) Est verum, ait cl. Vict. ab Appeltern, quod habeatur in rubrica missalis (P. II, tit. II, n. 2) *profunde esse inclinandum;* sed an caput, an corpus profunde sit inclinandum, de eo maximum dubium existit, praesertim cum in antiquioribus missalis editionibus in illa rubrica legatur: *profunde inclinat,* et non *profunde se inclinat.* In primo enim casu verba *profunde inclinat* rite referri possunt ad vocabulum *caput.* Insuper certum est, quod iuxta Gavantum in rubrica illa profunda *capitis* inclinatio praescribatur. Idem dicit Meratus, dans regulam generalem, iuxta quam tum in accessu ad altare, tum in recessu ab eo, tum in transitu ante altare maius, caput profunde est inclinandum, cum modica humerorum inclinatione, quae inclinatio consideratur ut *mediocris corporis,* seu profunda *capitis.* Et revera, quare in accessu ad altare corpus esset profunde inclinandum, dum in recessu ab eo et in transitu altaris maioris caput tantum profunde esset inclinandum? Pro hac differentia nullam rationem specialem invenire possum. Ratio enim ab aliquibus recentioribus excogitata est revera inepta et ridicula (*Ephem. liturg.,* ann. XXIX, n. 5, pag. 292).

praescribuntur: *a*) ad versiculos *Deus, tu conversus*; *b*) ad orationem *Oramus te, Domine*; *c*) infra orationem *In spiritu humilitatis*; *d*) infra orationem *Suscipe, sancta Trinitas*; *e*) ad trisagium *Sanctus*; *f*) infra tres orationes ante communionem; *g*) infra orationem *Domine, sum dignus*; *k*) ad sumptionem sacrae hostiae: omnes prorsus aliae reverentiae ad celebrantem spectantes in altari, ubi crux tantum adest, capitis non vero corporis censendae sunt. Et ideo sive in actu incensationis, sive dum ab altari ad scamnum proceditur, sive a scamno ad altare per longiorem reditur, celebrans videtur profunde caput, non vero corpus, inclinare debere.

Ex diligenti et sollerti studio cl. collaboratoris nostri carissimi, Vict. ab Appeltern, super missalis rubricas, circa reverentiam praestandam a celebrante cruci altaris, relevat quinque diversas dictiones, nimirum celebrans: 1. *facit cruci reverentiam*, — 2. *facit cruci profundam reverentiam*, — 3. *caput cruci inclinat*, — 4. *caput aliquantulum inclinat*, et — 5. *caput profunde inclinat.*

Cum autem, ait cl. collaborator, agatur de reverentia praestanda cruci seu imagini crucifixi in altari positae, et consequenter de reverentia praestanda ratione *latriae* quae cruci debetur, distincta ab ea inclinatione quae ratione *hyperduliae* B. Mariae Virgini, et ratione *duliae* sanctis et regnanti Pontifici debetur: idcirco omnes praedictae dictiones rubricarum missalis reduci possunt ad duplicem classem inclinationum, scilicet ad *profundam corporis* et ad *profundam capitis* inclinationem, praesertim cum et aliis videatur, mediocrem corporis uti profundam capitis inclinationem considerari posse. Ex his omnibus concludere possumus, quod celebrans cruci altaris praestare debeat inclinationem *capitis profundam*, sive rubrica missalis dicat *caput cruci inclinat*, sive *facit cruci reverentiam*, sive *caput aliquantulum inclinat*, *caput cruci profunde inclinat.* Et revera, qualis ratio specialis assignari potest, ob quam in accessu ad altare, in transitu ante illud, et in recessu ab eo, celebrans differentem reverentiam cruci altaris praebere debeat?

Alii auctores qui merito, inter recentiores, rubricas bene interpretati sunt, certo certius adnumerantur cl. mi viri De Herdt et Van der Stappen. Audiamus quae circa quaestionem ait De Herdt: « Si in altari non fuerit tabernaculum, quod ss. Sacramentum actualiter continet, celebrans ad omnes istas reverentias caput cruci profunde inclinat ». Paullo post: « ante incensationem crucis et post eam, item post incensatas reliquias a parte evangelii, celebrans caput profunde inclinare debet (*Sacr. Liturg. Prax.*, tom. I, n. 310) ». Van der Stappen magis explicite et fusius sententiam suam explicat, scribens: « Celebrans primum profunde inclinat caput cruci altaris... tribus ductibus incensat... et iterum caput profunde inclinat. Et secundo: cum ad medium altaris venerit, retrahit dexteram thuribulo ante pectus, et caput cruci profunde inclinat. Et tertio: cum ad medium altaris venerit, retrahit dexteram cum thuribulo ante pectus, et caput cruci profunde inclinat. Et tertio: cum ad medium altaris venerit retrahit dexteram cum thuribulo ante pectus, et caput cruci profunde inclinat (tom. III, pag. 382 ss.) ». Et pag. 391 ss., scribit: « dicto hymno, et facto in fine crucis signo, celebrans manibus iunctis caput profunde inclinat cruci, descendit et pergit ad scamnum. Sub finem cantus hymni assurgit, procedit per planum versus altare, cumque in medium venerit ante infimum gradum, caput profunde inclinat cruci ».

Idem auctor (quaest. 276, n. II, pag. 372) ait: « Dum est sermo de missa cantata, celebrans, dum a cantoribus cantatur hymnus *Gloria in excelsis,* et symbolum, sedere potest in scamno a parte epitolae parato. Igitur postquam legit hymnum, aut symbolum, celebrans caput profunde inclinat, aut genuflectit, si adsit tabernaculum cum ss. Sacramento incluso, etc. Versus finem hymni aut symboli, per planum accedit ante altaris gradus anteriores, ubi in medio caput profunde inclinat, aut genuflectit, si adest tabernaculum ». Similiter subiungit: « Quando sacerdos, inter eundum ad altare, transit ante altare maius ecclesiae, modo non sit facienda genuflexio, vel ante altare in quo reliquiae s. crucis aut dominicae passionis sunt in custodia reconditae, prae-

scribitur inclinatio capitis profunda. Ita dicendum in officio ad aspersionem aquae benedictae in dominicis (tom. V, pag. 303) ».

Pretium est operis sententiam aliorum auctorum recentium etiam referre, ut thesis nostra validior evadat. In compendio caeremoniarum Melchioris Hausherr, pag. 99, ubi sermo est de missa solemni, legitur: « Incenso imposito, faciem convertit ad altare, accipit thuribulum, et tum, si adest SS.mum in tabernaculo, genuflectit, secus fit tantum inclinatio capitis ». Cl. Erker explicite ait: « Quotiescumque (celebrans) e medio altaris discedit, vel in medio altaris transit, faciat vel simplicem genuflexionem vel profundam capitis inclinationem, prout tabernaculum cum Sanctissimo adest vel non » (Enchir. Liturg. sect. IV, tract. IV, cap. III); idem « celebrans, incensata cruce altaris factaque illi profunda capitis inclinatione, vel Sanctissimo incluso simplici genuflexione etc. ». In parvo caeremoniali Rev. Beniamini Favrin: « Capitis inclinationem cruci faciendam esse praescribitur (a celebrante) dum ab altare ad scamnum, et a scamno ad altare redit ». Similiter cl. Schober ait: « Quando celebrans et ministri in missa solemni sedere volunt, recitato *Gloria* et *Credo*, celebrans profunde inclinat caput, ministri vero genuflectunt ». Loquens cl. Klinda de altaris incensatione dicit: « Facta cruci inclinatione capitis profunda, illam incensat ». In missa solemni, ait clar. Vict. ab Appeltern: « Celebrans et ministri sedere possunt in cornu epistolae, antequam procedant ad sessionem, celebrans profunde inclinat caput cruci, vel genuflectit, si in altari ss. Sacramentum asservetur ». Cfr. etiam *Caerem. Rom. Seraph.* a S. R. C. revisum, in quo (cap. VII, part. III, pag. 227) a celebrante inclinationes tantum capitis praescribuntur cruci in actu incensationum.

Ad rem concludendum est cum sancto Carolo: « Sacerdos caput inclinabit ad crucem, quoties genuflexiones egerit, cum eius loco ss. Sacramentum aderit in tabernaculo » (*Instruct. pro celebr. missae*).

(*Continuabitur*) P. M. De Amicis.

Consultationes.

Pro Thuscia. Quae Lectiones dicendae sint in I Nocturno die 9 februarii in festo S. Cyrilli Hierosolymitani Ep. et Doct.? Non omnes enim Calendaristae conveniunt.

Resp. Rubrica specialis praeposita Proprio Sanctorum in Breviario typico, haec habet: *In reliquis festis* (scilicet in festis quae sumunt psalmos de feria occurenti), *Lectiones I Nocturni de Scriptura occurrenti cum suis Responsoriis, de Tempore, quae si omnino desint, Lectiones et Responsoria de Communi I loco, nisi aliter propriis locis notetur.*

Cum autem festum S. Cyrilli sit de Episcopo Confess. et Doctore, dubitare quis posset de quo communi sumendae sint lectiones I Nocturni in casu. Attamen dubium exulare debet omnino, 1° quidem, quia in Breviario typico positum fuit *Commune Doctorum,* cuius Rubrica ait: *Omnia de Communi Pontificis aut non Pontificis, iuxta qualitatem festi, praeter sequentia.* Atqui inter *sequentia* adsunt et Lectiones I Nocturni, scilicet *Sapientiam,* ergo istae sumendae sunt, non vero Lectiones *Fidelis* de communi Pontificis Confessoris.

2° autem, responsum adamussim confirmatur a Rubrica quae legitur in parte Verna Breviarii typici (Edit. Ratisbonen.) in festo ipsius S. Cyrilli Hierosolymitani, die 9 februarii, nempe: *In I Nocturno, si sumendae sint de Communi, Lectiones* Sapientiam, *quod servatur et in aliis festis Doctorum, nisi aliter suis locis notetur.* Ergo ullum dubium remanere nequit.

Pro eodem loco. Anno proximo, 1916, utpote bisextili, transfertur festum S. Matthiae in diem 25 februarii, quae apud nos est dies quasi natalitia S. Margaritae de Cortona; ideoque libera manet dies 24; possumusne in hanc ipsam diem 24 anticipare festum eiusdem S. Margaritae?

Resp. Negative; non una ex causa. I°, quia festa, quando impedientur, transferuntur, numquam vero anticipantur. II° quia error magnus est dicere quod festum S. Matthiae, anno bisextili transfertur die sequenti: nullimode transfertur, sed celebratur omnino in sua ipsa die, nempe VI Kalendas Martias.

Et sane, uti notum est, anno bisextili, ut nomen ipsum indicat, *bis* habetur VI Kalendas Martias, quo in casu, solummodo Vigilia S. Matthiae sedem suam mutat, quia celebratur non VII°, sed VI° Kalendas, ideoque *quodammodo transfertur* in sequentem diem. Diximus *quodammodo,* quia revera non est translatio proprie dicta, cum Vigilia necessario praecedere debeat festum; festum vero S. Apostoli, non mutat sedem suam, quae semper est VI Kalendas, sicut non mutant sedem festa quae occurrunt diebus 25, 26, 27 et 28 februarii; nam, si dies mensis computantur modo moderno, videtur quod in bissextili festa celebrantur die sequenti; si vero computentur more antiquo Romanorum, fixa remanent propriis suis diebus, ut clare patet ex sequenti tabella:

ANNO COMMUNI	ANNO BISSEXTILI
23 Febr. VII Kal. Mar. S. Petri Dam. C. comm. Vigiliae	23 Febr. VII Kal. Mar. S. Petri D.
	24 Febr. VI Kal. Vigilia
24 Febr. VI Kal. S. Matthiae Ap.	25 Febr. bis VI Kal. S. Matthiae Ap.
25 Febr. V Kal. S. Margaritae Corton.	26 Febr. V Kal. S. Margaritae Corton.
26 Febr. IV Kal. S. Andreae Ep.	27 Febr. IV Kal. S. Andreae Ep.
27 Febr. III Kal.	28 Febr. III. Kal.
28 Febr. Pridie Kal. Translatio S. Augustini Ep.	29 Febr. Pridie Kal. Translatio S. Augustini Ep.

In qua tabella apparet quod festa S. Matthiae, S. Margaritae et sequentia, si quae sint, non mutant sedem, ce-

lebrantur semper, etiam in annis bisextilibus, propriis diebus, respective, nempe: VI, V, IV, III et Pridie Kalendas Martias.

Si aliter esset, tunc quando festum S. Matthiae celebratur in bissexto, nempe die 25, de S. Margarita fieri deberet commemoratio, quia hodie non datur amplius translatio. Item, quia in exemplo proposito dies 27 februarii est dies vacua, in anno bisextili ea die celebrari deberet translatio S. Augustini, quia hoc festum occurrit die 28, quae dies in bisextili, ut vidimus, manet vacua. Quoniam autem revera non datur mutatio dierum, sed festa manent unumquodque in propria sede, non fit translatio ulla festorum in casu, et multo minus fieri potest anticipatio, prout Inquisitor supponit.

P. P.

Pro dioecesi Patavina. — Occasione Pastoralis Visitationis, Caeremoniarum Magister in omnibus ecclesiis praemonebat Parochum, ut cantaret versus *Protector noster etc.* et *Confiteor* post Homiliam flexis genibus. Primos, nempe, genuflexus in ora suppedanei altaris, alterum vero ante Episcopum, quod aesthetice admitti nequit. Cum de ratione sciscitatus essem, responsum habui, esse Canonicorum privilegium ut stent, ceteros debere genuflectere. Id tamen videtur Pontificali romano contrarium, necnon sententiae omnium Liturgistarum. Quid *Ephemerides?*

Resp. Omittere possemus directam responsionem, et ius invocare Parochi ad instar praelatorum seu Canonicorum cathedralium, circa rationem genuflectendi, quia Parochus in propria ecclesia praecedentia gaudet etiam super Dignitate vel Canonico cathedralis (S. R. C., 6 octob. 1640, n. 723); imo, *tamquam primus et caput illius ecclesiae,* ante *omnes* habet thuris et pacis honorem (S. R. C., 7 aug. 1610, n. 286); ac proinde etiam alias habere debet praerogativas honoris, ad instar illorum (V. De Herdt, *Praxis Pontificalis*, tom. I, de Thurificatione in fine). Sed et singulatim respondeamus.

1° Versus *Protector etc.* canendi sunt in cornu epistolae altaris, a Superiore pluviali parato et converso ad Episco-

pum orantem, scilicet, non facie ad crucem versa, sed ad cornu evangelii, coram libro ex quo legit, et sive quia ridiculum esset genua flectere eo loci, sive quia Pontificale romanum dicit explicite, versus canendos esse a Superiore *stante*, admitti omnino nequit tunc genuum flexio.

2° De confessione facienda, in ritu et formula absolutionis et benedictionis pontificalis post homiliam seu sermonem, sic loquitur Pontificale romanum : « Finito sermone, Diaconus, qui cantavit evangelium, conversus ad Episcopum stantem cum mitra, cantabit confessionem... et dum dicet *tibi*, *Pater*, et *te*, *Pater*, si fuerit Canonicus, profunde se inclinabit, si non fuerit Canonicus, genuflectet ». Verba his clariora nequeunt desiderari, et quidquid sit de differentia quam forte Magister Caeremoniarum, de quo in casu, considerare vellet inter Diaconum Missae et Parochum extra Missam, in Visitatione, dicentem eandem confessionem, non potest defendi, quia, ut supra diximus, Parochus privilegio Praelatorum, in subiecta materia, reipsa fruitur, et dato et non concesso quod tali privilegio non frueretur, suppetit auctoritas communis Liturgistarum, qui Beneficiario, et non Canonico, attribuunt munus *Confiteor* decantandi in S. Visitatione cathedralis, et dicunt eum stantem cantare (V. Martinucci-Menghini, append. I ad lib. VII, cap. I, art. I, n. 69); quod argumentum maiorem vim adquirit, ex eo quod cum, agatur de cathedrali, Beneficiarius coram Canonicis invenitur, qui gaudent privilegio, quique conqueri possent, si laesi se putarent, de iure indebito illi tributo.

Consonat et Caeremoniale Episcoporum plurimis in locis (V. lib. I, cap. IX, n. 3; cap. XXII, n. 4; cap. XXV, n. 1; lib. II, cap. VIII, n. 50; cap. XXXIX, n. 1).

Pro « Corps (Isère) » in Gallia. — I. Ex decreto generali super Motu Proprio *Abhinc duos annos*: « Ubi solemnitas externa festorum quae hucusque alicui Dominicae perpetuo affixa erant, in ipsa Dominica celebratur », permittuntur de praedicta solemnitate Missa cantata et etiam Missae lectae:

a) Quid dicendum de festo S. Ioannis Baptistae, quod Motu Proprio *Supremi diciplinae*, diei 2 iulii 1911, Dominicae occurrenti ante festum SS. Petri et Pauli perpetuo affixum fuerat?

b) Quid agendum cum haec solemnitas accidentaliter impediatur, ut fiet, v. g. anno 1916, occurrente in eadem Dominica solemnitate Corporis Christi (die 25 iunii), et cum aliunde, Dominica sequenti (2 iulii) celebrari debeat solemnitas SS. Apostolorum Petri et Pauli?

Resp. a) Quamvis aliqua difficultas inveniri possit in modo loquendi decreti in Motu Proprio *Abhinc duos annos*, die 28 octobris 1913 editi, scilicet: *quae hucusque affixa erant*, quasi legislator voluerit significare festa antiquiora anno 1911, tamen non est facienda quaestio de longiori vel breviori tempore, quo festa illa in ea conditione perduraverint, quia verissimum est, usque ad illum diem, a die 2 iulii 1911, festa de quibus loquimur permansisse affixa diei dominico, et hoc satis, ad effectum decreti citati. Ita respondendum censemus, eo vel magis, quod agitur in casu de re favorabili, pro qua militat regula, si ea oporteret uti, de ampliori interpretatione. Festum ergo S. Ioannis Baptistae, quia ante decretum diei 28 octobris 1913 affixum erat Dominicae ante festum SS. Apostolorum Petri et Pauli, potest, quoad externam solemnitatem, celebrari eadem Dominica.

b) In casu quo plures solemnitates occurrant eodem die, applicandum videretur decretum S. R. C. diei 2 decembris 1891, n. 3754, VI: « Si duae solemnitates translatae in eandem Dominicam incidant, fiat de solemnitate digniori; et minus digna iterum, ut supra; transferatur ». Supra, videlicet ad V, ita dictum erat: « In proximiorem Dominicam liberam ulterius transferatur », et paulo post: « Pariter transferatur in proximiorem Dominicam non impeditam ». Ex his loquendi modis eruitur, non esse taxative praescriptam Dominicam in qua reponi debet solemnitas translata, sed est quaecumque Dominica libera occurrens

post festum de quo agitur. Ita ergo agendum videretur in nostro casu: Festum S. Ioannis Baptistae transferendum est quoad solemnitatem ad diem 25 iunii, quo incidit Dominica proximior festo; sed eo die praeferenda est solemnitas SS. Corporis Christi, a die 22 eiusdem mensis transferenda; ergo solemnitas S. Ioannis ulterius amandanda est, scilicet ad Dominicam sequentem. At rursus difficultas: Hac Dominica, quae incidit die 2 iulii, reponenda est solemnitas SS. Apostolorum Petri et Pauli. Haec difficultas disparet, si applicamus decretum citatum: Dignior est solemnitas S. Ioannis Baptistae quam solemnitas SS. Apostolorum; ergo agendum die 2 iulii de solemnitate S. Ioannis, amandanda est solemnitas SS. Apostolorum ad diem 9 iulii, Dominicam proximiorem liberam. Ita igitur ordinandae essent praedictae solemnitates: Die 25 iunii, solemnitas SS. Corporis Christi; die 2 iulii, solemnitas S. Ioannis Baptistae; die 9 iulii, solemnitas SS. Apostolorum Petri et Pauli.

Sed forsan difficultas invenitur in eo quod S. Ioannes Baptista non nominatur inter festa quae decretum provocarunt, scilicet quatuor illa de quibus in indulto Cardinalis Caprara, pro Gallia, quae *praeceptive* transferenda sunt, quoad solemnitatem, in Dominicam sequentem, dum festum S. Ioannis *facultative* transferretur. Huic difficultati responderi posset, non esse immutandam solutionem, ex quo, ubi eadem est ratio, eadem esse intelligitur iuris dispositio, atqui praeceptum et facultas, in casu, in eadem ratione conveniunt. Ergo...

At vera difficultas est alia, et ut putamus, insuperabilis. Et reipsa, contra est decretum S. R. C. diei 28 octobris 1913, quod non permittit translationem ulteriorem solemnitatis festi, olim Dominicae affixi, quando Dominica sequens festum est impedita. Dicitur enim, Missas de solemnitate, in Dominica cui olim affixa erant festa celebrandas, prohiberi in omnibus Dominicis maioribus, et in aliis Dominicis, in quibus fiat Officium nobilius ipso festo

cuius solemnitas externa peragitur. Et datur norma sequenda in casu istiusmodi impedimenti: « Sed in casu, praeterquam in Duplicibus primae classis Domini Ecclesiae universalis, in omnibus Missis, quae alioquin de solemnitate externe celebrata permitterentur, addatur eius oratio sub unica conclusione cum prima. Ubi tamen adest obligatio Missae conventualis, non permittitur in casu alia Missa solemnis, sed oratio de festo externe tantum celebrato addi poterit, uti supra, in ipsa Missa conventuali ».

Ex his concludimus, si solemnitas S. Ioannis Baptistae incidit cum solemnitate SS. Corporis Domini, tam si admittitur in hoc casu facultas celebrandi binas externas solemnitates una eademque die, quam si non admittitur, de S. Ioanne nihil fieri potest. Si admittitur, enim, obstat lex citati decreti, eo quod sit casus de festo duplici primae classis Domini Ecclesiae universalis, nempe SS. Corporis Christi; si vero non admittitur, decidit ratio solemnitatis S. Ioannis, quia, cum potior solemnitas SS. Corporis Domini possessionem, ut ita dicamus, ceperit illius diei, non amplius adest locus solemnitati S. Ioannis, de quo proinde nihil amplius fieri potest, deficiente omnino qualibet facultate ulterius solemnitatem transferendi.

II. Ex eodem decreto, in Gallia, Dominica post octavam omnium Sanctorum fieri deberet solemnitas Dedicationis ecclesiae, sive ecclesiae propriae (ubi est dedicata, excepta cathedrali), sive ecclesiae cathedralis, in omnibus ecclesiis.

a) Numquid unica solemnitate recoli debeat Dedicatio, sive ecclesiae cathedralis, sive ecclesiae propriae, in ecclesiis consecratis?

b) Quid agendum Dominica post octavam OO. SS. in ecclesia cathedrali et in ecclesiis non consecratis, annis quibus Dedicatio ecclesiae cathedralis (*22* iunii) occurrit in Dominica?

c) Cum autem Dedicatio ceterarum ecclesiarum (6 novembris) occurrerit in Dominica, rectene dici poterit, in

ecclesiis consecratis ipsa die occurrentiae celebrari cum sua solemnitate propriam Dedicationem, et Dominica subsequenti, solemnitatem Dedicationis ecclesiae cathedralis?

Resp. Praemittimus, neque ex lege universali, neque ex indulto particulari, ut supponimus, esse de praecepto, sed facultativam, translationem solemnitatis Dedicationis ecclesiarum, quae usque ad diem 28 octobris 1913 diei dominicae affixa erat, ut clare patet ex eodem decreto. Et ad singula devenimus.

a) Siqua ecclesia utriusque Dedicationis solemnitatem celebrare cupiat, ex novo principio, ab apostolica Sede nunc admisso, non potest cumulative eodem die celebrari, prout nequit respectivum festum eodem die recoli. Hinc, vel renunciare celebrationi alterutrius solemnitatis, vel indultum a S. Sede implorare, ut alia Dominica de altera fiat. Hoc tamen secundum dubitamus an facile obtineri valeat, cum, praesertim de Dedicatione cathedralis, extra ipsam, difficiliter tanta admitti queat devotio in clero et populo, ut sufficiens ratio habeatur, qua concessio fiat.

b) In casu, idem est faciendum ac in ceteris festis de quibus transfertur solemnitas in Dominicam sequentem. Tunc, scilicet, solemnitas non transfertur; non transfertur reipsa v. gr. festum Epiphaniae in Gallia, si dies 6 ianuarii incidat in Dominicam. Sed pro casu nostro magna occurrit difficultas ex parte populi, qui nequit, saltem generatim loquendo, scire quando nunc celebranda sit festivitas, quam recolere consuevit tali Dominica. Hinc, pure et simpliciter, absque ulla dubitatione, resolvimus, si detur hic casus, quod nempe populus exigat talem solemnitatem, standum esse decreto diei 28 octobris 1913, et solemnitatem externam Dedicationis celebrandam Dominica post octavam omnium Sanctorum; sin vero agitur de unica solemnitate in choro, tunc faciendum ut antea diximus. Salva semper libertate, quae provenit ex titulo rei facultativae.

c) Applicando principia supra exposita, sic ratiocinamur: Si defixa sit solemnitas Dedicationis cathedralis diei

Dominicae post octavam omnium Sanctorum, nulla difficultas; si defixa sit illi Dominicae solemnitas Dedicationis omnium ecclesiarum, distinguendum: vel haec est solemnitas in populo, et tunc non conveniet res immutare, vel est solemnitas tantum apud clerum, et tunc res immutari potest, quippe quod agitur de re facultativa. Si porro neutra solemnitas defixa est illi Dominicae, ad libitum agi potest, ex facultate quam concedunt decreta.

III. Numquid in consecratione Episcopi, quae cum Missa solemni celebratur, praeter Ministros Consecratoris, adhiberi debeant Diaconus et Subdiaconus, sacris paramentis induti qui Electo assistentiam praebeant? Videtur enim eos excludere Rubrica Pontificalis romani.

Resp. Standum simpliciter Pontificali romano, in quo nec ullum verbum fit de eiusmodi Ministris adhibendis pro Electo, nec umquam, in decursu functionis, aliquid dicitur, quod talium ministerium indicet. Ceterum neque vi consuetudinis sustinerentur, quia irrationabilis omnino foret; namque prohibentur sacri Ministri parati, quando celebrans (in casu, Electus) non canit Missam vel aliam solemniter peragit functionem.

M.

BREVIORA RESPONSA

Pro Lucana Archidioecesi. — I. Ecclesiae quarum Titulus est S. Ioannes Ap. et Ev., pro die VII infra octavam, nempe die 2 ianuarii, quas Lectiones legere debent in II et III Nocturno?

Resp. Iam provisum est per S. R. C., et requiri possunt hae lectiones apud bibliopolas liturgicos; si vero cuidam desint, ita fieri potest: In II Nocturno assumentur de communi Evangelistarum, utpote quae videtur melius congruere, eo quod qualitas Evangelistae in Sancto Ioanne eminet ita, ut vocetur « Aquila Evangelistarum ». Sed et assumi possent ex Communi Apostolorum, melius secundo loco, ut vitetur aequivocatio circa illa verba, quae S. Petro in VI lectione a S. Gregorio Papa referuntur: « Certe, iste ipse pastor Ecclesiae, ad cuius sacratissimum corpus sedemus ». In III Nocturno applicetur regula Octavarii romani, et assumatur tam in Missa quam in Officio Evangelium de Communi Apostolorum primo vel secundo loco, quum Evangelium festi, quod est proprium, non habeat alias homilias in Breviario, pro eodem Sancto. Non dicimus de Communi Evangelistarum, quia horum Evangelium non bene applicaretur S. Ioanni Apostolo, cum illud sit de septuagintaduobus discipulis.

II. Anno 1916, ubi die 12 novembris commemoratio fieri debet Titularis vel Patroni S. Martini Ep. et C., ex qua Missa sumenda est *Secreta?*

Resp. Sumenda est de Communi Pontificis Confessoris primo loco, ex quo desumitur introitus Missae S. Martini, iuxta Rubricas gen. Missalis, tit. VII, n. 8.

III. Anno 1916, die 20 septembris, in Missa de Feria, 3ª oratio est *A cunctis,* an potius *Concede,* ratione Vigiliae?

Resp. Tertia oratio, si Missa de feria est privata, dicitur de Vigilia S. Matthaei; si est conventualis, dicitur *Concede,* ratione Vigiliae.

IV. Recte se gerunt qui, quando eodem die, sed non in eadem Ecclesia, duas Missas celebrare debent, sumpto Ss.mo Sanguine, statim calicem in tabernaculo reponunt, ac sibi vel alii, qui postridie ibi Sacrum faciet, purificandum relinquunt?

Resp. Servanda in casu est Instructio diei 12 septembris 1857, a S. R. C. edita, sub die 11 martii 1858, ex qua eruitur, non esse omittendas caeremonias, quae cum specialibus adiunctis ex rei necessitate supervenientibus componi possunt. Praecipitur enim, ut Sacerdos divinum Sanguinem diligentissime sorbeat; ponat calicem super corporale et palla eum tegat; dicat *Quod ore* iunctis manibus; subiungat *Corpuus tuum* dum lavat digitos in vasculo cum aqua et abstergit; deducat pallam de calice, quem cooperiat *ceu mos est, scilicet, primum purificatorio linteo, deinde patena ac palla, et demum velo*. Purificatorium superponetur plicatum uti initio Missae, atque ita tum patenam sublevabit, tum non absorbebuntur reliquiae S. Sanguinis de labio calicis. Completo ultimo Evangelio, ut prosequitur Instructio, rursus detecto calice, Sacerdos inspiciat an aliquid divini Sanguinis nec ne ad imum se receperit, ut rursus diligenter sorbeatur, et quidem ex ea parte, qua ille primum sumptus est. « Quod nullimode omittendum est, quia Sacrificium moraliter durat, et superextantibus adhuc vini Speciebus, ex divino praecepto compleri debet ». Postmodum infundet aquam tantum, ea quantitate, quae saltem aequet quantitatem vini quam initio posuerat, eamque in paratum vas demittet, ex ea parte, qua S. Sanguinem biberat, calicemque absterget purificatorio, ac demum cooperiet ut de more. Aqua lotionis, *pro rerum adiunctis,* vel ad diem crastinum servetur, ut cum secunda calicis purificatione sumatur, vel gossypio aut stuppa absorpta comburatur, vel in sacrario, si sit exsiccanda relinquatur, vel demittatur in piscinam.

Ex hac Instructione eruitur, nolle Ecclesiam S. Sanguinem post Sacrificium asservari, vel sacras Species relinqui exsiccandas vel corrumpendas.

V. Feriae IV et VI et sabbatum hebdomadae tertiae septembris Lectionibus de Scriptura carent; cur ergo in Rubrica speciali, quae in novissimo Breviario habetur Feria II eiusdem hebdomadae, dicitur **etiam Lectiones insequentium Feriarum...., transferuntur,** nonne dicendum foret **sequentis feriae V,** quum de III iam dictum sit in ipsa Rubrica?

Resp. Recte dictum est *insequentium feriarum,* quia, cum sermo ibi sit de feria secunda aut tertia, quando est casus de sola feria secunda, restant feriae tertiae et quinta, de quibus legi debeat in feriis, lectionibus sibi propriis carentibus; quando de feria tertia, restant secunda et quinta; quando de quinta, secunda et tertia. Hinc,

non dictum est absolute: *insequentium feriarum*, sed relative, nempe cum clausula: *si opus sit*, qua indicatur, unius, vel duorum vel trium dierum lectiones de feria posse et debere recitari quoties illis locus datur. Attendatur etiam ad locutionem: « servato tamen earum ordine », scilicet, impeditis v. gr. lectionibus feriae secundae tantum, nequeunt reponi in feria quarta libera ad eas recipiendas, sed tunc oporteret, ut feria tertia recitarentur, quae sunt feriae secundae, et feria quarta, quae feriae tertiae; impeditis quae sunt de feria tertia tantum, et die libero extante feria sexta, oporteret ut feria quinta recitarentur lectiones feriae tertiae, ac feria sexta, quae feria quintae assignantur.

VI. In Missa de Festis classicis *Credo* non habentibus, dici ne debet idem *Credo* ratione alicuius communis Octavae, de qua fieri nequit commemoratio? Ex.gr. Dici ne debet *Credo* in Festo S. Ioannis Baptistae ubi S. Aloisius Gonzaga sit Titulus vel Patronus?

Resp. Affirmative; compertum enim est, quod influxus octavae, quae nullimode extinguitur, sed tantum impeditur, ratione ritus, quoad commemorationem in sua parte potiori, idest orationem, semper manet circa ea quae compatibilia sunt, nempe *Credo* et praefationem in Missa, doxologiam ac versum ad Primam in Officio; nisi tamen aliud obstet, videlicet, si Missa vel in ea commemoratum aliud Officium gaudeat praefatione propria, et similiter alia dicenda sit doxologia aut versus.

VII. Cur in novissimo Breviario die 15 decembris suppressa est rubrica specialis post VIII lectionem « *Sequens lectio legitur etiam in feria IV Quatuor Temporum* », quae procul dubio adhuc valet?

Resp. Quod valet pro die 15 decembris, circa omissionem nonae lectionis de homilia feriae, et dicendam quae est continuatio praecedentium, septimae et octavae, super Evangelio de octava Immaculatae Conceptionis, valet etiam pro die 14, ita ut monitum de suppressione lectionis homiliae feriae locum habere debeat ante diem ipsam 14. Die nempe 14 in Breviario habetur dies VII infra octavam Immaculatae Conceptionis, in qua Evangelium est, uti per reliquos dies octavae, idem ac in feria IV. Hinc reipsa factum est, ut in novissimo Breviario typico rubrica apposita sit post diem 13 decembris, tam pro die VII, quam pro die octava Immaculatae Conceptionis.

VIII. In rubricis novi Psalterii, tit. X, n. 2, vox *privatae*, quoad Missas votivas, idem significat ac quoad Missas pro defunctis, sci-

licet eadem est ac vox *lectae*, seu opponitur voci ***solemnes***, sive ***pro re gravi***, sive etiam *cum sacris Ministris celebratae;* ita ut et hae Missae si cum cantu quomodocumque celebrentur, etiam in feriis Quadragesimae, Quatuor Temporum etc. permittantur?

Resp. Non casu, sed studio factum est, ut verba in citatis locis sint diversa. Vox enim ***privatus*** opponitur ***publico***, et bene fieri potest ut etiam Missa cum cantu vel solemnis cum sacris Ministris paratis sit ***privata***, scilicet privata de causa celebrata. Hinc ad aequivocationem arcendam, cum pro defunctis voluerit Legislator ut maiori latitudine gauderent Missae eorum, sive privilegiatae, sive non, sed cum cantu, non est adhibita locutio ***privatae***, sed lectae, ut differentia absque ambiguitate pateret. Unde concludi debet, uti iam alias diximus, Missas votivas, etiamsi canantur vel solemniter habeantur, si sint ***privata ex causa***, non permitti in feriis Quadragesimae, Quatuor Temporum, etc.

IX. Quidam parochus per annum numquam aquam benedicit a fidelibus tum in ecclesia, tum in domibus adhibendam; mos enim invaluit multis abhinc annis, ut Sabbato Sancto una cum Fonte baptismali magna in quantitate aqua benedicatur, ac deinde in vase mundo et clauso asservetur, unde quoties occurrit, hauritur, éaque et in vascula - vulgo ***pilette*** - ecclesiae immittitur et ad suas domos a fidelibus defertur. Potest ne eiusmodi consuetudo servari, praesertim si fideles aegre ferrent ut ea e medio tollatur?

Resp. Non est recedendum a praescripto et a praxi Ecclesiae, quae est, ut pro diversis temporibus diversa adhibeatur formula benedictionis aquae, et ut aqua ipsa frequenter renovetur, ad arcendum corruptionis periculum vel alius impuritatis. Si revera considerantur preces, quae adhibentur in benedictione aquae pro fonte Baptismatis et pro aspersione fidelium ac domorum in Sabbato Sancto et hebdomada paschali, eruitur quod usus illius aquae non est producendus ultra dictos dies. Rubricae idipsum insinuant: « Die dominica... Sacerdos celebraturus Missam, vel alius ad id deputatus, alba vel superpelliceo indutus, cum stola circa collum, primo dicit... (et sequitur ritus benedictionis atque aspersionis — Missale roman. tit.: *Ordo ad faciendam aquam benedictam*) ». Ergo singulis saltem Dominicis hic ritus compleri debet. Rubrica benedictionis domorum in Rituali romano pro Sabbato Sancto (tit. VIII, cap. IV) habet: « ... cum ministro deferente vas aquae ex benedictione fontium ante perfusionem Chrismatis acceptae, visitat..., et nil habet circa fre-

quentiorem usum huius aquae. Rituale idem, quando agit de benedictione et aspersione aquae pro diebus dominicis, et quandocumque opus fuerit, ait: « Postea christifideles possunt de ista aqua benedicta in vasculis suis accipere, et secum deferre, ad aspergendos aegros, domus, agros, vineas et alia, et ad eam habendam in cubiculis suis, ut ea quotidie et saepius aspergi possint (tit. VIII, cap. II) ».

Quod respicit frequentiam renovationis et benedictionis aquae, attendatur ad rubricam, quae ritum benedictionis antecedit: *Die dominica... diebus dominicis* (loc. cit.).

Quod demum attinent ad periculum corruptionis et introductionis alicuius impuritatis, quantumvis maxima adhibeatur cura, ne quid eiusmodi eveniat, neminem latet, praesertim hodie, fundatos extare timores, ne quid hygienice sit conquerendum, atque ita despectui et adhuc nauseae exponantur sacra.

X. Nescio cur neque in antiquo, neque in novissimo Breviario nulla specialis rubrica inveniatur circa hymnum ambrosianum in Officio Parvo B. Mariae V.

Resp. Cum Breviarium de quo fit mentio sit revera typicum, dicendum videretur, standum esse textui et rubricis eiusdem; et quia post lectionem tertiam et ultimam nocturni adest responsorium, et nulla ibi vel alibi habetur rubrica hymnum ambrosianum respiciens, dicendum esset, *Te Deum* numquam esse recitandum. Et argumentum crescit ex eo quod, cum hodie abolitum sit onus Officium parvum recitandi in choro, et etiamsi publice recitetur, non amplius diceretur coniunctim cum Officio canonico, necessaria magis erat indicatio hymno relativa, quatenus adiiciendus foret. Nesciremus acquiescere sententiae qua putaretur de oblivione agi decretorum S. R. C. Congregationis, dierum 27 februarii 1883, in *Rhedonen.*, et 30 martii 1886, nn. 3572 et 3659 respective, quibus normae nimirum datae erant, circa eiusdem hymni recitationem.

XI. An infra Octavam Ss. Corporis Christi et infra Octavam Epiphaniae omitti debeat in Missa 3ª Oratio, quando de die infra aliam Octavam commemoratio sit facienda?

Resp. Nulla patet ratio, ob quam omissio tertiae orationis fieri debeat; si quam inveniat rev. Inquirens, eam adducere faveat.

XII. Quod S. R. C., n. 4959, III, praescribit de commemoratione facienda Officii currentis in Missis votivis lectis de Sancto die non propria nec assignata, sed ob speciale privilegium a S. Sede

obtentum, intelligi debet absolute, an relative ad ritum quem Festum habet die sua propria? Ex.gr. Hoc anno 1915 die 29 augusti, in quadam ecclesia Sacratissimi Cordis Iesu, in alia S. Aloisii Gonzagae solemnitas externa de consensu Ordinarii agebatur. Ambaene in Missis votivis lectis ad commemorationem S. Sabinae M. tenebantur, etsi Festum Ss. Cordis Iesu in sua die duplex sit I cl., proindeque commemorationem Simplicis excludat? Huius dubii solutio profecto complet responsionem, quae in *Ephemeridibus Liturgicis* aug. 1915, pagg. 500-502) legitur.

Resp. Tam decretum S. R. C. n. 3918, quod S. Aloisium respicit, quam n. 3960, quod attinet SS. Cor Iesu, nullam faciunt mentionem de ritu sub quo celebretur relativum festum, ita ut pari in conditione versetur, tam solemnitas externa SS. Cordis, cuius festum est duplex I classis, quam solemnitas S. Aloisii, cuius festum est ritus duplicis minoris. Non enim distinguunt, an agatur de solemnitate peragenda ratione patronatus, vel tituli, vel alicuius privilegii, quae elevatiorem ritum exigunt, an potius de solemnitate ex mera devotione.

Hinc relatio cum festo, in solemnitate externa de qua agimus, nullimode est consideranda; eo vel magis quod explicari nequiret, cur, in occurrentia solemnitatis cum Duplici secundae classis, si festum est primae classis, nullae Missae celebrari possent lectae de solemnitate, sed tantummodo Missa cum cantu. Considerantes igitur solemnitatem huiusmodi omnino independenter a festo, videamus quid insinuet decretum 4059. Quoad Missam solemnem, vi decreti, fit in ea commemoratio de Officio currenti, si unica in illa ecclesia habeatur; unde etiamsi ageretur de festo occurrente ritus simplicis, imo et de feria communi, commemoratio de his agenda esset, prout fieret in Missa votiva ad libitum Sacerdotis, hac tantum cum differentia, ratione cuiusdam epikeiae, quod non esset imponenda obligatio tertiae orationis ad Officium non pertinentis, eo quod decretum tantum dicat: *commemoratio Officii currentis*. Hinc excluderetur etiam Simplex imo et Semiduplex aut Duplex commemoratum sub alio Officio, uti in casu exposito, nempe S. Ioannis Baptistae et S. Sabinae, quae festa commemorantur sub Officio Dominicae, ac insuper collectae imperatae; quando enim voluit, S. Congregatio aliter se expressit (Cfr. decretum 24 maii 1912: « fiant illae tantummodo commemorationes, quae in Duplicibus primae classis permittuntur; decretum 28 octobris 1913: « addita oratione de Officio

diei, *et aliis omnibus*, quae dicendae essent, si festum ipsa Dominica incidisset »). Quoad Missas lectas, etiam vi decreti n. 4059, *semper* facienda est praedicta commemoratio Officii currentis ; ex his vero Missis excluderentur commemorationes aliae, ut supra, et collectae imperatae.

Hoc dicimus, iuvat repetere, ex quadam interpretatione, quia male ferretur, praesertim in Missa solemni, si altera saltem lecta de Officio occurrenti non celebretur, vel idem Officium in alia Missa commemorationem non asserquatur, et transeat in Missis lectis, in die solemnitatis, male ferretur, dicimus, sequela commemorationum et collectarum, uti in casu : 1° Dominicae, 2° S. Ioannis Baptistae, 3° S. Sabinae, 4° et forsan 5° vel 6° collectarum imperatarum ! Opportunum quidem esset a S. Congregatione normam exquirere, quae, ut putamus, neque ita neque uti supra diximus, de unica Officii currentis oratione, responderet : ille enim uni ius competit alias dare normas congruentiores, quae etsi in aliis decretis magis opportune inveniantur, nemini fas est illas de casu ad casum transferre.

N. R. — Uti iam Lectores intuiti certo sunt, ad pag. 501, lin. 28, deest particula « ubi » ante verba « altera Missa saltem lecta » : faveant typographorum et revisorum inadvertentiam condonare.

XIII. Quomodo concludendum Matutinum Officii Parvi B. Mariae V., si a Laudibus separatur ? Quomodo postea inchoandae sunt Laudes ?

Resp. Cum nihil habeatur in typico Breviario novissimo, videretur nihil esse addendum. Normae quae datae erant per decretum S. R. C. die 16 iulii 1866, quod non invenitur in authentica Collectione, tum ex hac omissionis ratione, tum quia Breviarium eas non renovaverit, non videntur attendendae. Cfr. solutionem dubii ad n. X. Opportuna esset, et ad hanc rem, declaratio S. Congregationis, pro iis praesertim, qui publice illud recitant Officium.

XIV. Nonnullis in locis numquam canitur aut legitur Missa exequialis, praesente vel non praesente cadavere. Est ne toleranda haec consuetudo ?

Resp. Lex Ritualis est, ut Missa, si hora congruens fuerit, ritu pro defunctis, ut in die obitus, *praesente corpore*, non omittatur, *nisi obstet magna diei solemnitas, aut aliqua necessitas aliter suadeat* (tit. VI, cap. III, n. 18). Non esset igitur toleranda consuetudo,

qua *numquam* canatur, aut legatur, sub praescriptis normis, Missa exequialis. Quaestio esse potest de eleemosyna vel ceteris emolumentis, quae iura parochialia constituunt: et certo Parochus non tenetur, absque illis, legi Ritualis adhaerere; praestat tamen, imo maxime curandum est, ut ex parte Parochorum tum adhibeatur quaedam indulgentia, attentis praesertim aevi et personarum difficultatibus, tum erudiantur fideles circa leges et desideria S. Ecclesiae, circa hanc rem, prout et alias, quae ex ignorantia, reipsa, parvi et nihili fiunt.

Pro Urbe. — 1. Notatur silentium in solutione casus Academiae Liturgicae Romanae, diei 5 maii 1915 (*Ephemerides Liturgicae*, 1915, pag. 465), quoad clericum Sacerdotem comitantem post Missam, utrum nempe genuflexionem facere debeat Cruci altaris maioris, an vero inclinationem. 2. Insuper desideratur aliqua auctoritas circa reverentiam a transeuntibus longe ab altari faciendam, sive pro sententia affirmativa, sive pro negante.

Resp. 1. In academico conventu, reipsa, nihil dictum est circa clericum, pro quaestione, uti in casu proponebatur; sed id forsan evenit ex eo quod, cum nimium protracta fuerit principalis quaestio, de Sacerdote, defuit tempus ad aliam procedendi; *Ephemerides* vero nihil dixerunt, sequentes ordinem trium quaestionum, prouti post casus expositionem propositae erant, inter quas, forsan ex inadvertentia, nihil petitum est de clerico. Ceterum, principium, uti asserebatur, a multis acceptum, quod minister in actu ministerii ad Crucem genuflectit, extra ministerium vero inclinationem facit, sanctionem accipit ex decreto S. R. C., d. d. 30 augusti 1892, n. 3792, XI, quo, ad dubium: « Num genuflexio facienda sit etiam in aliis ecclesiis seu capellis publicis (scilicet, praeter cathedralem), ubi in altari maiori haud asservatur SS. Eucharistiae Sacramentum? » responsum est: « Affirmative; sed in actu functionis tantum ». Nemo profecto dicet, quod iter, ad altare functionis agendum, sit actus functionis.

2. Auctoritas scripta, circa reverentiam a longe, nobis non occurrit; auctoritas de facto adest, pro sententia negativa, e. gr. in Basilica Vaticana, et quidem in actu stricte liturgico, processionis nempe, etiam, uti intelligi debet in casu, absque SS. Sacramento.

M.

Quaestiones Liturgicae.

De usu quarundam ecclesiarum, circa sonitum campanulae, uti in Sabbato sancto, passim adhibitum ad *Gloria*, ad *Magnificat* et ad *Nunc dimittis*.

Extat in quibusdam ecclesiis Salernitanae archidioecesis usus pulsandi campanulam, uti in Sabbato sancto, sub initio cantus *Gloria in excelsis* in Missis solemnibus, *Magnificat* in solemnibus Vesperis, et *Nunc dimittis* ad Completorium cum cantu. Quaeritur, utrum continuari possit, an vero sit eliminandus, tamquam rubricis contrarius?

Resp. Rubricae Sabbati sancti, tam Missalis (pr. loco), quam Caeremonialis Episcoporum (lib. II, cap. XXVII, n. 23, et capitulo XXVIII, n. 11), habet tantummodo: *pulsantur campanae*. Sub hac locutione dixeris intelligi etiam campanulas intra ecclesiam, illam scilicet, quae ad sacristiae ingressum esse solet, pro annunciando sacrarum functionum initio, et parvas illas manuales, vel ad parietem affixas, pro *Sanctus* et elevatione: sed non est iste obvius sensus citatarum rubricarum locorum. Unde dicendum est, etiam pulsationem campanularum intra ecclesiam esse de consuetudine, et non de praescriptione rubricarum. Hinc toleratur praxis alicubi invecta pulsandi campanulam etiam ad *Domine, non sum dignus* ante Missae communionem. Tam haec praxis, quam alia de *Gloria in excelsis* in Sabbato sancto nequit autem dici *contra* rubricas, sed tantum *praeter*. Imo notetur, neque ad *Sanctus* et ad elevationem in Missis solemnibus praecipi sonitum campanulae. Alicubi pulsantur campanae ad *Gloria* in Nativitate Domini, in festis Patronorum vel Titularium, etc.

Si ergo talis sonitus admittitur hisce diebus, non est cur excludi debeat, stante consuetudine, aliis festis. Attamen, si res difficultates alterius generis non producit, quando agitur de

hymno angelico, non est ita pro initio *Magnificat* et *Nunc dimittis*.

Intonito per celebrantem *Gloria in excelsis Deo,* datur aliqua mora, et quidem, ubi adhibetur, organo personante, qua campanulae pulsantur, ne cantus perturbetur; quod nescimus an fiat ad *Magnificat* et ad *Nunc dimittis,* quae non intonantur a Celebrante. Certe, si confusio exoriatur, in sonitu campanulae cantui immiscendo, usus esset reprobandus, utpote irrationalis; sin minus, tolerari posset: esset favorabilius iudicium, si ageretur de mitiori et parco usu parvae campanulae. Non videretur conveniens, moram interponere inter intonationem *Magnificat* et *Nunc dimittis,* ac reliqua verba respectivi cantici, non enim habetur sensus completus in eiusmodi intonationibus, prout in *Gloria in excelsis Deo,* et proinde post illas oportet statim continuare cantum.

Attamen, quidquid sit de modo his in adiunctis agendi, melius omnino esset si nihil ageretur de iis quae praescripta non sunt, et est hic casus repetendi: « consuetudine consuetudo vincitur ».

M.

THEOLOGIA LITURGICA

(Continuatio: V. n. 8 curr. an., pagg. 509-512).

82. Non autem quod omnia peccata procedant directe a tentationibus diaboli et angelorum eius, sed quaedam ex libertate arbitrii, ait S. Thomas, et carnis corruptione, quia, ut Origenes dicit, etsi diabolus non esset, homines haberent appetitum ciborum et venereorum, et huiusmodi, circa quae multa inordinatio contingit, nisi per rationem talis appetitus refraenetur, et maxime supposita corruptione naturae; refraenare autem, et ordinare huiusmodi appetitum subiacet libero arbitrio (2). Ceterum apposite ait S. Augustinus diabolum esse veluti canis vinctus catena qui latrare potest, mordere non potest nisi eos qui voluntarie illi appropinquant.

83. Sed ideae regni in multitudine daemonum videtur repugnare eorum status: status miseriae et tenebrarum, ubi umbra mortis et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat (3). Equidem societas in suo conceptu importat ordinem et bonum, nam est conspiratio amicabilis plurium personarum in bonum commune; praeterea includit voluntariam subiectionem, idest obedientiam multitudinis erga caput, quae omnia excluduntur a statu ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.

Attamen, si consideremus non adesse malum sine aliquo bono, tam in ordine physico, quam in ordine morali: non adesse ens, quod non sit nisi malum, purum malum, tam in daemonibus, quam in inferno recognoscere cogimur aliquid, quod ex natura sua non sit malum, sed bonum. Et primo daemones ipsi non sunt naturaliter mali (4); praeterea cum sint substantiae intellectuales nullo modo habere possunt inclinationem naturalem in aliquod quodcumque malum, ut docet angelicus Doctor (5). Quapropter nihil vetat admit-

(1) Ephes. VI, 11-13.

(2) 1. Quaest. CXIV, art. III, sunt nonnulli qui omnium peccatorum suorum culpam in diabolum transferunt, quasi non esset in potestate liberi arbitrii tentationes ac malas suggestiones, divina adiuvante gratia, reiicere; et hac de causa non sat efficaciter peccata sua detestantur, nec firma proposita ab iis praecavendi concipiunt.

(3) Cf. Iob X, 22. Haec verba Iob a S. Augustino et aliis Patribus intelliguntur de inferno, et exprimunt timere Iob ne cadere posset in infernum sub potestate diaboli.

(4) Cf. S. Thomam, Dissert. LXIII, art. IV.

(5) Ib.

tere in ipsis veram societatem, quamvis bonum societatis ipsi vertant in malum. Atque idem dicendum de regno, de ordine et de praelatione; quae omnia, quamvis bona per naturam, etiam in daemonibus permanent.

84. Est principium a Patribus et theologis unanimiter receptum quod daemones naturam angelicam, in qua creati sunt servaverunt, et ideo data naturalia non amiserunt. Sicut ergo natura angelica in angelorum creatione distincta fuit in hierarchias et ordines seu choros, et angeli omnes naturam receperunt in aliquo istorum ordinum et in aliqua hierarchia, eamdem semper retinuerunt, sive boni ad ipsorum gloriam et beatitudinem, sive mali ad eorum ignominiam et tormentum. Ideo in daemonibus sunt ordines et hierarchiae: scilicet inter daemones sunt qui pertinent ad choros et hierarchias angelorum; imo dicendum omnes daemones pertinere ad aliquem chorum et aliquam hierarchiam; ad chorum et hierarchiam, ad quos pertinebant priusquam peccarent. Unde Apostolus Paulus scribit ad Ephesios quod est nobis colluctatio adversus principes et potestates (1); ad Romanos scribit quod « *neque angeli, neque principatus, neque virtutes, poterit nos separare a charitate Dei* » (2); ad Corinthios: « *Deinde finis, cum evacuaverit omnem principatum et potestatem et virtutem* » (3); et tandem ad Colossenses: « *Et expolians principatus et potestates traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso* » (4). Angeli principatus, potestates et virtutes de quibus citatis locis loquitur Apostolus sunt daemones pertinentes ad choros seu ordines angelorum, potestatum, principatuum et virtutum. Quod si tantummodo istos recenset Apostolus ratio huius potest esse quia eorum officium in ministerio salutis animarum, in quod missi sunt, propius accedit ad eos qui haereditatem capiunt salutis, et propterea specialem relationem isti habent ad fideles.

85. Sicut in daemonibus manet distinctio ordinum et hierarchiae, ita etiam manet praelatio, qua quidam aliis praesunt, et alii subsunt. Hoc sequitur ex natura ipsa societatis et regni, ad cuius formam, ut vidimus (n. 80-84), ipsi ordinati sunt. Ceterum per naturalem ordinem quidam ex daemonibus sub aliis constituuntur, eo quod ad hierarchiam et chorum inferiorem pertinent, unde et actio-

(1) Ephes. VI, 12.
(2) Rom. VIII, 38.
(3) 1. Cor. XV, 24.
(4) Coloss. II, 15.

nes eorum sub actionibus superiorum sunt, et hoc est quod rationem praelationis facit, ut scilicet actio subditi actioni superioris, seu praelati, subdatur; unde ipsa naturalis dispositio daemonum requirit ut in ipsis sit praelatio et subiectio. Quoniam autem naturalis ordo requirit ut unus omnibus aliis antecellat, sive ratione hierarchiae, sive ratione ordinis seu chori, sive ratione officii, ita ut huic uni ceteri omnes subdantur, et actiones eorum ab ipso dirigantur. Quapropter satanas praelationem habet super alia daemonia, eorumque actiones dirigit ad eversionem regni Dei in universo mundo, et stabiliendum regnum suum.

86. Sed « *in hoc apparuit Filius Dei ut dissolvat opera diaboli* » (1); et ad hoc ordinatum est opus instaurationis omnium in Christo. Quomodo enim instaurantur omnia in Christo nisi reaedificando regnum Dei in universo? Hac de causa « *venit Iesus praedicans evangelium regni Dei* (2). Unde cum turbae veniebant ad ipsum, et detinebant eum ne discederet ab eis, ipse ait illis: « *quia et aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei, quia ideo missus sum* » (3). Idem est finis ministerii sacerdotalis et operis liturgici: « *sicut misit me Pater, et ego mitto vos* (4); *euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae* » (5): dixit Iesus apostolis, eorumque in sacerdotio successoribus.

CAPUT NONUM.

Defectio regni Dei in homine.

87. Iam diximus, hominem in creatione constitutum fuisse in iustitia et sanctitate, hoc est in statu iustitiae originalis; ideo regnum in ipso tunc erat plenum atque perfectum (6), scilicet absque

(1) I. Ioan. III, 8.
(2) Marc. 1, 14.
(3) Luc. IV, 43.
(4) Ioan. XX, 21.
(5) Marc. XVI, 15.
(6) Per charitatem, seu dilectionem, homo convertitur in Deum: angelicus autem doctor triplicem conversionem in Deum distinguit: Una quidem per dilectionem perfectam, quae est creaturae Deo coniunctae in gloria; et ad hanc requiritur gratia consummata. Alia conversio est in statu viae, quae est meritum beatitudinis; ad hanc requiritur gratia habitualis, quae est principium merendi. Tertia conversio est per quam quis se praeparat ad gratiam habendam; ad hanc conversionem non requiritur gratia habitualis, sed gratia actualis, scilicet operatio Dei convertentis animam ad se. 1. Quaest. LXII, art. 11, ad 3^m.

defectu; et de homine dicere possumus quod sanctus Augustinus dicit in Angelis; quod scilicet Deus creavit cum bona voluntate, idest cum amore casto, quo illi adhaereret, simul condens naturam et largiens gratiam, quae, cum nihil ei opponeretur in creatura, charitatem perfectam in homine gignebat; et hoc est regnum Dei perfectum in homine primo. Sed « *serpens seduxit Hevam astutia sua* » (1); suadendo illi ut sumeret de fructu vetito; et illa fructum dedit marito, qui et ipse comedit; et ita consummatum est peccatum protoparentis generis humani, et effecta est defectio regni Dei in homine.

88. Narrationem biblicam de lapsu protoparentum neoterici biblici impugnant, et ut simplicem legendam inter mytos amandandam esse docent; sed contra ipsos stat non tantum auctoritas scripturae sacrae et ecclesiae catholicae, verum etiam traditio penes populos gentiles; et penes omnes gentes inveniuntur vestigia huius traditionis.

Ad nos quod spectat pro praesenti argumento tria consideranda veniunt: 1° praeceptum a Deo factum progenitoribus se abstinendi ab esu fructus ligni seu arboris scientiae boni et mali; 2° tentatio serpentis facta Hevae contra praeceptum Dei; 3° peccatum inobedientiae commissum a progenitoribus per esum fructus vetiti. Tria haec constituunt substantiam narrationis biblicae de peccato Adam, et consequenter de peccato originali (2); de his tribus agemus articulis distinctis.

ARTICULUS PRIMUS. — *Praeceptum abstinentiae ab esu de ligno scientiae boni et mali.*

89. Legitur in Genesi quod Dominus produxit de humo omne lignum pulchrum visu, et ad vescendum suave; lignum quoque scientiae boni et mali; et ponens hominem in paradiso ut operaretur et custodiret illum, dixit ei: « *ex omni ligno paradisi comede; de*

(1) II. Cor. XI, 3.

(2) In narratione lapsus progenitorum quae legitur in editione vulgata distinguere oportet substantiam narrationis ab adiunctis et circumstantiis accidentalibus quae eam comitantur. In istis enim dantur locutiones metaphoricae ac simbolicae, et dari possunt etiam menda et defectus in versione ac transcriptionibus, per quas textus hebraicus genuinus ad nos usque pervenit. Nihil autem horum officere potest veritati et authenticitati narrationis.

ligno autem scientiae boni et mali ne comedas; in quocumque enim die comederis ex eo morte morieris » (1).

In liturgia ecclesiae romanae fit mentio huius ligni, tamquam causae mortis; sic in praefatione pro tempore Passionis dicitur: « *qui salutem humani generis in ligno Crucis constituisti, ut unde mors oriebatur inde vita resurgeret; et qui in ligno vincebat in ligno quoque vinceretur* » (2). His verbis enuntiatur oppositio inter duo ligna; scilicet inter lignum scientiae boni et mali quod fuit causa peccati ex quo orta est mors, et per quod diabolus vicit hominem; et lignum Crucis quod fuit altare super quod consummatum est sacrificium Christi, in quo est salus, vita et resurrectio nostra. In hymno matutini canitur: « *De parentis protoplasti fraude factor condolens quando pomi noxialis in necem morsu ruit* » (3). Hic supponitur quod lignum scientiae boni et mali fuerit pomum, sed de specie illius ligni nihil certi statui potest, desunt enim ad hoc documenta.

(Continuabitur).

(1) Gen. II, 15, 17.

(2) Missale. Praef. de temp. Passionis.

(3) « Allorchè infranse l'uomo l'altissimo divieto, morte ei mangiò col pomo dell'albero fatal ». Traduzione di Luigi Venturini. Conf. Corso di Scienza Liturgica. Vol. I° Lib. primo, n. 70 (2).

PROPRIETAS LITERARIA

IMPRIMATUR
Fr. ALBERTUS LEPIDI O. P., S. P. A. Magister.
IMPRIMATUR
† IOSEPH CEPPETELLI, Patr. Constantinop., *Vicesgerens.*

AUGUSTUS ZUCCONI, Director Domus editricis Desclée et Soc., Romae, *Sponsor.*

Ex Officina Polygraphica Latiali, Fratrum Tempesta, Via Boccaccio, 7 - Roma

SS. D. N. BENEDICTI PP. XV

MOTU PROPRIO.

QUAENAM INDULGENTIARUM CONCESSIONES.
S. CONGREGATIONI SANCTI OFFICII SINT EXHIBENDAE

BENEDICTUS PP. XV.

Quandoquidem in iis exsequendis quae decessor Noster sanctae memoriae Pius X Motu proprio *Cum per apostolicas* die VII aprilis MCMX praescripsit, de concessionibus Indulgentiarum a S. C. S. Officii recognoscendis, plures gravesque iam dubitationes exstiterunt, Nos ut eas omnes praecidamus in posterum, Motu proprio pariter et certa scientia, secundum decreta a Nostris decessoribus, Benedicto XIV die XXVIII ianuarii MDCCLVI, Pio IX die XIV aprilis MDCCCLVI edita et ab ipso Pio X in Constitutione *Sapienti consilio* confirmata, decernimus et declaramus, illarum tantummodo sub poena nullitatis Supremae Congregationi exhibenda esse documenta Indulgentiarum, quae universi catholici orbis christifidelibus concessae sint. Itaque nec Indulgentias *particulares*, quamtumvis late pateant, nec facultates benedicendi pia obiecta eisque Indulgentias et privilegia adnectenti, quibusvis sacerdotibus tri-

butas, iam nunc necesse erit Congregationis eiusdem recognitioni subiicere.

Haec autem statuimus, sancimus. contrariis quibuslibet, etiam speciali mentione dignis, non obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XIV septembris MCMXV, Pontificatus Nostri anno secundo.

BENEDICTUS PP. XV.

SACRA CONGREGATIO S. OFFICII

(SECTIO DE INDULGENTIIS)

DECRETUM

Invocatio ad B. V. a SS. Rosario Indulgentia C dierum ditatur.

Die 1 octobris 1915.

SS.mus D. N. D. Benedictus div. prov. Pp. XV, universis ex utroque sexu christifidelibus, quoties invocationem *Regina Sacratissimi Rosarii, ora pro nobis*, corde saltem contrito ac devote recitaverint, Indulgentiam *centum dierum*, defunctis quoque adplicabilem, benigne concessit. Praesenti in perpetuum valituro, abque ulla brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

R. Card. MERRY DEL VAL, *Secretarius.*

L. ✠ S.

ALOISIUS GIAMBENE, *Substitutus pro Indulgentiis.*

DECRETUM

In LUCIONEN. 12 aug. 1854.

(Continuatio — Vide num. 7 curr. anni, pag. 386-396).

Art. 9. — *De ritibus servandis in exponendo et reponendo Ss. Sacramento, et de veneratione ipsi exposito exhibenda.*

45. In celebratione Missae solemnis coram Ss. Sacramento exposito, sequenda est regula a Gardellini indigitata in Instructione Clementina (xxx, 14) circa oscula sive manus Celebrantis, sive rei porrigendae aut acceptae, quae tantum fieri debent, quando faciendum aliquid est, quod specialiter Sacramentum expositum dumtaxat respiciat, non illa quae ad ritum Missae proprie pertinent: ideoque Diaconus, ministrans Celebranti aspersorium, illud osculari non debet, quum aspersio proprie non spectet ad ritum Missae, sed sit tantum actio praeliminaris.

46. Acolythi in Vesperis coram Ss. Sacramento celebratis accedentes ad altare, ut accipiant candelabra, vel ea referant, genuflectere debent unico genu.

47. In sacra functione expositionis et repositionis Ss. Sacramenti, quando a Processione, Missa aut Vesperis est seiuncta, praeter clericos intorticia deferentes, possunt adhiberi duo acolythi cum candelabris, nam id fieri assolet etiam in Patriarchalibus Urbis.

48. In expositione vel repositione Ss. Sacramenti. deficientibus ministris dalmatica et tunicella indutis, aliquis Sacerdos, vel eius loco Diaconus, assistens

superpelliceo indutus et stolam assumens, potest ministrare Celebranti ut fit a Diacono; stolam autem assumit quando occurrit, nam semper eam retinere non licet.

49. In expositione et repositione Ss. Sacramenti, si Celebrans sit cum ministris, debet habere albam stolam et pluviale; item ministri, si dalmatica et tunicella induti sunt, etiam albam habere debent.

50. Si Celebrans sit Canonicus, in praedicta functione sufficit rocchetum cum stola et pluviale.

51. Licet Sacerdoti celebranti accipere ostensorium per manus Diaconi, istud ab altari porrigentis, ut benedictionem impertiatur, et post benedictionem remittere ostensorium Diacono, qui super altare deponet.

Commentarium.

Ad 45. Cum incognita esset apud antiquos Expositio Ss. Sacramenti in aperto ostensorio, quae nonnisi saeculo xvi paulatim pervulgata fuit, Rubricae Missalis non supponunt quod celebrari possit Missa coram Sacramento exposito. Hinc est quod Gavantus (*Rubr. Mis. II*, xiv, 1) ad rem scribit: « Desideratur hic titulus in Rubricis Missalis de his quae addenda sunt in Missa, quae celebratur ad altare, in quo expositum est Ss. Sacramentum », et distincte ipsemet tradit quae agenda sunt, ab eoque omnes rubricistae postea regulas sumpserunt. Missale principia tamen ponit de iis quae facienda sunt, in Rubricis de Feria v in Coena Domini et de Feria vj in Parasceve.

Locus in decreto citatus Gardellini sic se habet, cum dixerit facienda esse oscula solita a Subdiacono post lectam epi-

stolam, et a Diacono quando recipit benedictionem ante Evangelium, et similia, ait: « Unde patet quod illa tantum omitti debeant oscula, quando faciendum est aliquid quod specialiter Sacramentum expositum dumtaxat respiciat, non illa quae ad ritum Missae solemnis proprie pertinent ». Igitur, licet ex. gr. Diaconus ad Oblationem osculetur patenam, calicem et manum Celebrantis, etiam coram Ss. Sacramento exposito, non tamen osculabitur aspersorium et manum Celebrantis; ratio est, ut hic ait decretum, « quia aspersio proprie non spectet ad ritum Missae, sed sit tantum actio praeliminaris ».

Ad 46. Lex est a Decretis, eorumque commentatoribus, tradita, quod in functionibus coram Ss. Sacramento exposito facienda sit genuflexio utroque genu, tantummodo in primo accessu, et postea in ultimo regressu. Sit pro omnibus citatus Gardellini (Instr. Clem. XXX, 7): « In Missae prosecutione, dum accedendum est, vel recedendum, aut ab uno ad alterum latus transeundum, dexterum tantum genu flectendum est », et citat Gavantum cum Merato, et addit: « Id fit, ut facilius et commodius surgant, et nimis cunctandum non sit in sacris muneribus ex Rubricarum praescripto peragendis ».

Bona ratio ista est, sed ut nobis videtur, non praecipua. Celebrans ergo ac ministri utrumque genu flectunt in primo accessu, et in ultimo recessu, non vero in Missae vel Vesperarum prosecutione, eo quod Missa ipsa, vel alia functio, quae celebratur coram Ss. Sacramento non sunt nisi actus latriae qui sibi succedunt, a Rubricis praescripti; ideoque, sicut qui ad orandum coram Ss.mum venit, utrumque genu flectit, ante et post orationem, ita et Celebrans et ministri idipsum faciunt, licet durante functione surgere et transire debeant ante Sacramentum.

Decretum ergo istud, quod illustramus, bene declarat, quod acolythi in Vesperis non debent utrumque genu flectere dum procedunt ad accipienda candelabra, sed unico genu.

Ad 47. Ut plurimum in processionibus, quae fiunt cum

Celebrante sacris vestibus induto, adhibentur candelabra ab acolythis delata, ad latus Cruciferi. Huiusmodi consuetudo laudatur per hoc decretum.

Ad 48 et 49. Clare patent huiusmodi dispositiones; et praxis concordat generalis, etiam ecclesiarum Urbis; ceterum confer Schober (Caerem. Mis. sol. VIII, lit. *B* et *C*).

Ad 50. Rocchetum est vestis praelatitia, quae conceditur Canonicis Cathedralium, et etiam aliquando Canonicis Collegiatarum. Rocchetum solum in Sacramentorum administratione adhiberi nequit, sed super illud accipi debet cotta (S. R. C. 2 iun. 1860, Gardellini in decr. 4 iun. 1817, 17 sept. 1822, 3784). In functionibus tamen in quibus Canonici induunt paramenta sacra, uti planetam, dalmaticam, tunicellam aut pluviale, sufficit, ut super roccheto adsumatur amictus et vestis sacra; quod si Canonicus benedictionem impertiri debeat cum Ss.mo Sacramento, tunc sub pluviali accipit etiam stolam. Circa usum amictus in casu vide De Herdt (Prax. Pont. II, 35, b).

Ad 51. Sicut Diaconus in missa porrigit calicem, et in festo Ss. Corporis Christi porrigit Celebranti ostensorium, ita et Presbyter, vel Diaconus assistens, cotta indutus in benedictione cum Ss. Sacramento; quod optime adprobatur per hoc decretum.

Art. 10. — *De Functionibus Pontificalibus.*

52. Ministri de libro et de candela, sicut et Seminarii alumni, non tenentur ad processionem accedere, quae fit quando Episcopus cappa indutus accedit ad Ecclesiam vel ab ea recedit, sequentibus Canonicis.

53. Circa locum clericorum in praedicta processione, provisum in praecedenti.

54. Iuxta Caeremoniale Episcoporum, tempore Adventus, et a Septuagesima usque ad Pascha, Epi-

scopum decet uti vestibus nigris, excipiendo tamen aliquos dies festivos, et quum celebratur aliqua publica laetitia, nihilominus inter dies exceptos non est adumeranda Feria V in Coena Domini.

55. Etsi per Caeremoniale (I, xi, 5 et 6) cautum sit ne ministri de baculo et mitra manibus ea tangant, nihilominus chirothecis uti non possunt, sicut non possunt alii ministri de libro, gremiali, candelabris, thuribulo et navicula.

56. Quando Episcopus solemniter celebrans concionem habet ad suggestum, illum comitari debent tantum Canonici throno adsistentes, regulaeque a S. Carolo traditae in casu, spectant ad ritum Ambrosianum.

57. Canonici Ecclesiae Cathedralis uti possunt privilegio non genuflectendi ad benedictionem Episcopi etiam extra Cathedralem, quando corpus efformant, et etiam assistunt ceu Canonici uti in Sacra Visitatione, vel sunt in habitu canonicali.

Commentarium.

Ad 52 et 53 pluries declaratum est. a S. R. C., quod tantummodo Dignitates et Canonici Cathedralis, exceptis Celebrante et ministris, qui interim paramenta pro missa in sacristia assumunt, ut ad Episcopi dioecesani adventum sint iam parati, teneantur ad associationem Episcopi, non ex urbanitate, sed ex debito, ut explicat Catalanus (Caer. comm. I, 15, § 1), ita ut Episcopus eos eximere nequeat, eosque compellere possit (S. R. C. decr. 985, 1780, 1970, 2471). Beneficiati vero, aliique clerici, non tenentur, nisi iis in locis ubi adsit immemorialis consuetudo (decr. 1592 et 2296).

Aliqui, ut Le Vavasseur-Haegy (*Les Fonct. pontif.*, II, 137) et Schober (Caer. Miss. pontif. IX, ij, 2) censent totum Clerum Cathedralis cum Cruce et ceroferariis accedere debere ad excipiendum Episcopum, sed immerito, nam nullibi id disponitur, neque a Caeremoniali, neque a decretis. Schöber quidem citat Caeremoniale (II, viij, 24), quo tamen in loco Caeremoniale loquitur de processione facienda a capella vestitionis Episcopi ad altare pro missa pontificali celebranda, non vero de associatione Episcopi. Sed per hoc decretum, quod latuit clarissimo De-Herdt, explicite prohibetur huiusmodi processio; in casu enim agitur de associatione, non de vera processione, ideoque cum nullus sit sacris paramentis indutus, delatio Crucis cleri adprobari in casu non potest. Igitur, non solum clerici Seminarii, sed et ipsi ministri de libro et candela, ac de baculo et mitra, ad associationem Episcopi interesse non tenentur.

Ad 54. Caeremoniale Episcoporum (I, iij, 2) disponit, quod Episcopi utantur vestibus coloris nigri, quas apte describit Martinucci (V, j, 4), diebus poenitentialibus, cum aliquibus exceptionibus. Catalanus autem notat quod iam suo tempore (saec. xviij) tum Romae, tum alibi in Italia semper Episcopi utebantur violacea veste, praeterquam defuncto Papa.

Si nobis licet nostram hac de re exprimere sententiam, dicendum esse putamus, quod, sicut Patres Cardinales adhuc utuntur vestibus rubris, et violacei coloris in diebus poenitentiae, ita et Episcopi dispositionem Caeremonialis servare debeant. Si enim mortuo Pontifice, et sede vacante, praelati utuntur adhuc vestibus nigris, in signum luctus, quare diebus poenitentialibus, lex Caeremonialis parvipendenda erit?

Sententia nostra vim excipit etiam ex hoc decreto in *Lucionen*, dicit enim quod Episcopus uti debet veste nigra toto tempore Quadragesimae etiam in Feria V in Coena Domini. Ratio dubitandi pro postulante Curia Lucionensi, fuit, quia quibusdam diebus festivis, quae obveniunt in

Quadragesima et in Adventu, Episcopi uti debent non nigris sed violaceis vestibus; hinc, quia Feria V in Coena Domini in missa festivis et albis paramentis induitur Celebrans, dubium exortum est, an etiam ea die violaceis vestibus uti deberent Episcopi. Attamen S. R. C. respondit opportunissime, *negative*.

Ad 55. Usus invaluit pluribus in locis, ut ipsi nostris oculis vidimus, quod ministri de libro et candela, ac de baculo et mitra, utuntur chirothecis; usus iste, non probatur, et De Herdt ad rem scribit: (I, 70) « Manus semper nudas habent (ministri), cum chirothecis uti Episcopi sit privilegium. Si opus sit, extremitate manicae superpellicei utuntur ad capienda et tenenda ea, quae maculari possunt, uti a Caeremoniali n. 5 de ministro de baculo notatur ». Si decretum istud *in Lucionen.* agnovisset cl. De-Herdt, sententiam suam optime comprobatam habuisset.

Ad 56. S. Carolus Borromaeus Acta Ecclesiae Mediolanensis publicavit, quae, licet pro illa Ecclesia et provincia tantum per se vim habeant obligandi, nihilominus in magna aestimatione sunt etiam apud Ecclesiam Romanam, ita ut in Rituali Romano (Ed. Typ. 1913, Tit. VIII, c. 32, n. 3) eadem Acta citentur.

In iis ergo (Part. IV, *Instruct. variae. De ritu concionandi*), habetur: « Episcopus in missae solemnis Sacrificio concionem habebit, mitra episcopalique sacro omni vestitu indutus. — Ministros sacros indumentis vestitos sibi concionanti ab utroque latere assistentes adhibebit, ex veteri canone, septem, ubi potest, sin minus pauciores. — Ministrum praeterea pluviali indutum, qui a latere sinistro baculum pastoralem ante se sustineat ».

Decretum porro istud, quod illustramus, praescribit, quod Episcopo concionanti in suggestu, adsistant tantummodo Canonici throno adsistentes, nempe presbyter et duo Canonici Diaconi, uti iam S. R. C. alio suo decreto (23 martii 1686, n. 1760) declaraverat; ceteri vero Canonici in solitis sedibus pro concionibus audiendis, praesentes esse debent (1 oct. 1661, n. 1217).

Notandum est tamen, quod consultor in casu praesenti, responsionem quidem rectam dandam esse proposuit, nempe quod Episcopo concionanti adsistere debeant tres canonici ad thronum adsistentes, quae responsio congruit cum citato decreto 1760; ratio vero ab eo adducta pro responso sustinendo, ut nobis videtur, non facit ad rem; consultor enim ait: « *regulae a s. Carolo traditae in casu spectant ad ritum ambrosianum* ».

Quia regulae, de quibus agitur, probatae fuere non in synodo aliqua diocesana, sed in Concilio III provinciali, ideo non pertinent ad ritum Ambrosianum, sed ad Ecclesias totius provinciae mediolanensis, quae tunc temporis constabat novemdecim dioecesibus (1), quarum solummodo mediolanensis ritum ambrosianum sequebatur, aliae vero ritum romanum: ergo dici nequit, quod dispositio in casu ambrosianum ritum respiciebat. Et sane, instructio ipsa huius nostrae observationi vim praebet, dicit enim: « *Episcopus in missae solemni sacrificio concionem habebit* etc. », ergo regula data respicit omnes Episcopos suffraganeos; si mediolanensem tantum Ecclesiam respexisset, non *Episcopus*, sed *Archiepiscopus* dixisset.

Ad 57. Iuxta Caeremoniale Episcoporum Canonici Cathedralis (I, xviij, 3) tam Episcopo quam altari profunde se inclinant, et non genuflectunt sicut beneficiati et clerici. Communiter hoc privilegio utuntur Canonici etiam tamquam singuli; per hoc vero decretum, videtur quod, eo uti tantum queant; *a*) quando capitulariter sint praesentes; *b*) quando assistunt Episcopo tamquam Canonici, verbi gratia in sacra visitatione; *c*) quando sunt in habitu canonicali. Si vero in

(1) Tempore s. Caroli, uti probatur ex declaratione authentica data Romae 5 dec. 1565 (Arch. Capit. Placentinum C. VII, n. 3) Archiepiscopus mediolanensis hos habebat suffraganeos: Bergomen. Brixien. Cremonen. Vercellen. Yporien. Papien. (exemptus), Taurinen. Asten. Aquen. Alben. Savonen. Vigintimilien. Montisregalis. Placentin. (exemptus) Ferrarien. (exemptus).

habitu civili et singulatim ante Episcopum accedunt, tunc non inclinationem, sed genuflexionem agere deberent (Cf. Gardellini, Adnot. super decr. pag. 231).

Communiter tamen, et nemine contradicente, Praelati et Canonici Cathedralis, etiam privatim et ubique, Episcopum salutare solent per capitis inclinationem ; si enim quando Episcopus est pontificalibus vestibus indutus, sedens in trono, mitra exornatus, inclinationem faciunt, eo magis quando vestibus domesticis est indutus.

(Continuabitur).

P. PIACENZA.

Acta Academiae Liturgicae Romanae.

Die 7 iulii 1915, in ecclesia Ss. Trinitatis et S. Apollinaris Congregationis Missionis habitus est conventus academicus, in quo Rev. D. E. Boganelli ex almo collegio Capranicensi, quaestionem enodavit:

De titulari ecclesiae noviter eligendo.

Post Censorum animadversiones R. D. Iosephus Maielli epitomen resolutionem fecit, ac postea unus ex Presb. Congregationis Missionis pium sermonem habuit.

Aloisius parochus, qui novam ecclesiam construxit, illam dicare desiderat non amplius S. Laurentio martyri, prout erat dicata antiqua, sed Sacratissimo Cordi Iesu; Episcopus qui ritum consecrationis celebrare debet, dubitat an possit desiderio Aloisii facere satis, et ideo quaerit:

I° Ad quem spectat eligere titularem novae ecclesiae, et utrum in casu licitum sit deserere antiquum titularem et novum eligere?

II° An plures possint essent titulares eiusdem ecclesiae, et in casu affirmativo quo ritu celebrari debeant?

III° Quid consulendum Aloisio in casu ut devotioni suae satisfacere possit?

Solutio.

I. Quaeritur primo loco ad quem spectet eligere titularem novae ecclesiae, et utrum in casu licitum sit deserere antiquum titularem et novum eligere.

Etsi haeretici perpetuo sustineant nefas esse Angelis, sanctis mysteriisque sacris ecclesias erigi atque dicari, solide ta-

men Bellarminus Cardinalis (1), ex Sanctorum Patrum et Conciliorum testimoniis ostendit quam inanis sit haec accusatio. Ceterum consideranti sententiam hominum eruditissimorum, roboratam vel ex decreto S. R. C. (9 maii 1857), iuxta quam titularis idem munus habet quod nomina in baptismate imposita, clarius adhuc patet absurditas accusationis. Itaque supponentes nihil obstare, quominus ecclesiae nomine alicuius specialis titularis denominentur, sic quaestioni respondemus:

Ius est Episcopi eligere titularem novae ecclesiae, ecclesiae nempe alicuius, quae vel prima vice ex fundamentis erigatur vel magna ex parte reaedificetur. Hoc clare ostendit decretum S. R. C. (21 aprilis 1873), quod quaesito « an Episcopus proprio iure possit patronum alicui ecclesiae statuere », respondit « affirmative, id est posse Episcopum in erigendis ecclesiis sanctos titulares eis assignare cum omnibus praerogativis quae ex iure sanctorum titularium sunt propriae ».

Iamvero titularis ecclesiae eligitur in benedictione primarii lapidis, quo in ritu Episcopus, vel sacerdos qui potestatem assecutus fuerit, in oratione « Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus » nominare tenetur, iuxta Pontificale Romanum, nomen titularis: idemque liber praescribit ut in primario lapide charta pergamena ponatur in qua titularis ecclesiae erigendae nomen scribatur. Proprie tamen titularis non constituitur nisi in benedictione sive consecratione ecclesiae; et cum non omnes ecclesiae consecrentur, sed plurimae simpliciter benedicantur, tunc si accidat ut una ex his ecclesiis simpliciter benedictis consecretur, Episcopus antiquo adiungere potest novum titularem. Quamvis tamen sit ius Episcopi titularem eligere, is fixas notas observare tenetur; etenim ad titularem ecclesiae eligi queunt: 1° quodvis mysterium spectans Deum, Dominum nostrum I. C. et SS.mam Virginem; 2° omnes angeli omnesque sancti; 3° singuli angeli qui personali cultu in Ecclesia Catholica gaudeant, uti Gabriel, Raphael etc.; 4° quivis sanctus qui in Martyrologio reperiatur. Proin, ut S. R. C. aeque admonet, « absque pontificio indulto non licet assumere in titulum ecclesiae beatum nondum canonizatum; titulus sic assumptus debet supprimi et alius pro eo de sancto canonizato substitui ».

---

(1) Lib. III. De cultu sanctorum, cap. IV, num. LVII.

Attamen ius Episcopi titularem eligendi non tam stricto sensu accipi debet: quamvis enim semper consensus Episcopi requiratur et ecclesia quaedam nomine unius fixi titularis denominetur, ubi detur casus in quo ecclesia erigatur expensis alicuius privati benefactoris, hic potest proponere Episcopo titularem suae devotionis et Episcopus renuntiare non debet – exceptis gravioribus causis – ut desiderio benefactoris satisfiat. Quoad secundam partem quaestionis, ubi quaeritur an licitum sit in praesenti casu antiquum titularem relinquere ac novum eligere, hoc, uti decretum S. R. C. (18 februarii 1843) confirmat, licite fieri nequit donec ecclesia consecrata manet. Ratio desumitur ex hoc: ut supra innuimus, titularis ecclesiae formaliter non constituitur nisi in benedictione sive consecratione ecclesiae, qui ritus praecise in honorem titularis celebratur. Iamvero si ecclesia adhuc consecrata maneat, frustra rursus consecraretur – etenim non reconsecratur nisi quod consecrationem amisit – unde neque titularis immutandus.

Si vero, ut accidit in praesenti casu, ecclesia reaedificatur loco cuiusdam alius ecclesiae dirutae, res alio modo se habet. Est enim sententia excogitata a Pignatelli nunc universaliter admissa, ecclesiam dirutam benedictionem sive consecrationem amittere. Ad cuius confirmationem Baruffaldi adducit exemplum ecclesiae sancti Dominici Ferrariensis, quae cum aedificata esset anno 1726 super antiquum fundum, reconsecrata fuit a Ruffi Cardinali. Sed confirmatio adhuc firmior rei elucet ex decreto S. R. C. dato die 4 septembris 1875. Quaerebatur enim ab hac Sacra Congregatione an rursus consecranda esset ecclesia in cuius restauratione unus ex muris, absis et tectum noviter aedificata atque iuxta necessitates restaurata fuerant. Et S. R. C. respondit « affirmative, seu indigere nova consecratione ».

Si igitur ecclesia consecrationem amisit, satis non apparet cur titularis immutari nequeat. Dubium ne hoc modo fieret iniuria antiquo titulari facile solvitur: nam ecclesia non consecrata titularem non habet, unde eo modo quo nulli fit iniuria quando prima vice unum titularem prae alio eligimus, sic et in casu. Ceterum licite, in praesenti casu, posse immutari titularem ecclesiae ostendunt plura decreta S. R. C. in casibus analogis. Sic, e. g., cum quaesiverunt ut declararetur utrum in ecclesia Nominis B. M. V. aedificata super ruinas ecclesiae

S. Mariae de Nemore « in posterum celebrandum esset festum veteris tituli Sanctae Mariae de Nemore vel SS. Nominis Mariae cui nova ecclesia fuit dicata », responsio data est (29 martii 1760) « celebrandum esse festum Sanctissimi Nominis B. M. V. » Antiquum autem titularem non amplius remanere ecclesiae titularem confirmat eadem S. R. C. (27 feb. 1847), quae respondit « negative », cum quaesiverunt an in ecclesia quadam aedificata super ruinas antiquae ecclesiae dicatae SS. Cruci et ultimatim dicatae Mariae Sanctissimae Assumptae in Coelum, recitandum esset officium ritus duplicis primae classis ut in festo sanctorum titularium. Aliquando tamen, uti Concilium Tridentinum (cap. VIII) aeque admonet, potest exigi quod antiquus titularis non relinquatur, ne beneficia propria ecclesiae dirutae perdantur.

II. Quaeritur secundo loco an titulares unius eiusdemque ecclesiae possint esse plures, et in casu affirmativo quo ritu celebrari debeat eorum festum.

Iudicando ex factis pleraeque ecclesiae hucusque dicatae nonnisi unum tantum titularem habent; quod si plures titulares in una eademque ecclesia aliquando inveniantur, hi accipiuntur ad modum unius. Cuius facti hic Romae quoque exempla abundant ut e. g. ecclesiae Sanctorum Marcellini et Petri, Sanctorum Ioannis et Pauli etc. Formulae Pontificalis Romani et Rubricae etiam loquuntur de uno titulari tantummodo. Quoad quaestionem an praescindendo ex factis revera una eademque ecclesia plures titulares, quamvis ad modum unius, habere possit, nunc dubia minime adesse queunt, et multa sunt decreta S. Rituum Congregationis quae huc spectant. Recordari solet illud (1877) in quo exponitur sequens casus: « ecclesia cathedralis Ascensis duos habet titulares, scilicet Transfigurationem Domini et Nativitatem Sancti Ioannis Baptistae », et quaerebatur: « possuntne esse duo titulares unius ecclesiae? » Responsum fuit: « affirmative ».

Attamen non desunt ecclesiae quae habent plures titulares divisim et exemplum patentissimum est ipsa ecclesia Sancti Ioannis ad Lateranum quae dicata est SS. Salvatori, S. Ioanni Baptistae et S. Ioanni Evangelistae. Sed hoc non tam saepe accidit, et si historia interrogatur, ait Guyet, videmus hoc non accidisse nisi in primis temporibus et ob facta specialia. Ete-

nim accidebat ut una ecclesia postquam fuerat dicata uni titulari. Episcopi quorum elargitionibus fuerat dicata, ibi sepeliebantur. Ubi cum fierent celebres ob miracula, paulatim fideles nominarunt ecclesiam nomine novi sancti. Sed haud rare ipse Pontifex vel forma brevis vel forma rescripti, adiungit unum vel plures titulares antiquo. Praeclarum et recentissimum est exemplum huius venerabilis ecclesiae, cui Beatissimus Pontifex, ut ostenderet vincula particularis benevolentiae erga PP. Missionis, concessit ut antiquo titulari, S. Apollinari, adiungeretur alius titulus SS. Trinitatis, antiquus titulus ecclesiae eorumdem Patrum apud Montem Citatorium. Nunc exurgit quaestio: hi titulares successive adiuncti in una eademque ecclesia suntne vere titulares proprissimo sensu? Certum est, in primis, minimum dubium iam exsugere non posse circa permanentiam antiqui titularis; patet enim verum titularem remanere. Cui rei testimonium affert S. R. C. quae cum respondit casui, an in ecclesia quadam dicata in consecratione S. Laurentio martyri cui adiunctus fuerat per breve pontificium titulus Mariae Sanctissimae Assumptae in Coelum, celebrandum esset festum utrorumque titularium an solum secundi, statuit celebrandum esse festum utrorumque titularium. Et quam recta fuerit responsio patet consideranti titularem non posse immutari nisi in benedictione sive consecratione ecclesiae; praeterea Episcopum illum immutare non posse, cum ius non habeat super leges generales ecclesiae; tandem simplicem adiunctionem novi titularis non esse certo rationem sufficientem ad auferendum primum.

Quod autem spectat titulares adiunctos, respondendum est iuxta distinctionem quam supra retulimus.

Si titulares adiunguntur sola pietate fidelium nullo extante documento pontificio, non sunt veri titulares; non desunt tamen qui vellent eos aequiparare titularibus secundariis. Si autem adiunguntur per breve vel rescriptum ipsius Pontificis, evidens est eos esse titulares principales vel secundarios secundum beneplacitum Pontificis; et sic gaudent omnibus prerogativis quae titularibus primariis vel secundariis sunt propriae. In casu quo titulares non sint eiusdem gradus notandum est praeminentiam praeferendam esse digniori.

Nunc quoad ritum quo celebrari debet festum eorum hoc est decretum generale S. R. C. datum die 9 iulii 1895: « Ritu

duplici primae classis cum octava celebrari debet festum solemnius titularis ecclesiae ». Dein statuit a quibus festum celebrandum est hoc modo: « ab his omnibus e clero, quibus eadem ecclesia propria est, aut ratione beneficii aut ratione subiectionis: adeo ut eodem sub ritu recolendus sit etiam titulus cathedralis ecclesiae ab universo clero totius dioecesis, sine octava tamen a regulari ».

Sed si considerare volumus rem magis specificatim, distinguendum est secundum quod titulares sint aeque principales annon. Si sunt aeque principales festum cuiusvis eorum celebrandum est die statuto in calendario, ritu duplici primae classis cum octava, excepto tempore quadragesimae etc. Ratio est quod festivitates quibus titulares celebrantur, considerantur inter solemniores festivitates locales. Hoc autem confirmatur a S. R. C. (14 apr. 1877) quae, quaestioni an possint dari duo titulares in una eademque ecclesia, et in casu affirmativo an iisdem privilegiis gauderent, respondit: « Ad primam quaestionem affirmative; ad secundam quaestionem pariter affirmative, dummodo sint aeque principales ». Ipsa etiam S. R. C. quaestioni, « qui ritus debeat servari in officio proprii titularis » respondit: « Celebrare officium (tenetur clerus) sub ritu duplici primae classis cum octava sicuti titularibus ecclesiarum competit ».

Ergo una eademque ecclesia plures titulares habere potest, qui possunt esse aeque principales vel alii principales alii secundarii; festum autem eorum celebrandum erit vel ritu duplici primae classis cum octava, vel ritu duplici maiori sine octava secundum qualitatem titularium de quibus agitur.

III. Quaeritur tertio loco, quid sit consulendum Aloisio parocho ut devotioni suae satisfacere possit.

Post praecedentes considerationes responsio patet. Vidimus enim nihil in praesenti casu obstare quonimus antiquus titularis relinquatur atque substituatur a novo; hoc autem fieri posse absque ulla iniuria. Ex alia parte vidimus etiam ius esse Episcopi eligere titularem; proin si Aloisius, in constructione novae ecclesiae, eam vult dicare non amplius S. Laurentio, verum Sacratissimo Cordi Iesu, cum Episcopo de re colloquatur. Difficultates Episcopi solutione deficient, et tunc facile consentiendo desiderio parochi, huius devotioni satis fieri posset.

E. B.

Consuetudines in functionibus liturgicis

(Continuatio, V. n. 9 curr. anni, pagg. 538-552)

Quaer. Clerus pergens ad chorum processionaliter, debetne per ecclesiam incedere cooperto an discooperto capite? Nonnullis in ecclesiis etiam clericorum regularium, nos ipsimet testari possumus, componentes clerum, incedere per ecclesiam cooperto capite, innixos forsitan auctoritati « Novi Baldeschi », qui docet in casu sequendam esse consuetudinem. Quid de ista consuetudine?

Resp. In processionibus intra ecclesiam caput nemini bireto cooperire licet, exceptis celebrante aliisque paratis, qui caput bireto cooperiunt, modo ss. Sacramentum aut reliquia s. Crucis non deferatur (*Caer. Episc.*, lib. II, cap. III, n. 1; S. R. C. 2 apr. 1667, n. 1352; 17 iun. 1673, n. 1476[9]). Extra ecclesiam « in processionibus in quibus defertur sanctissimum Christi Corpus, vel ss. Crucis lignum, tam clerus quam saeculares detecto capite incedere debent. In aliis vero processionibus, in quibus deferuntur reliquiae vel statuae sanctorum, tunc saeculares et ecclesiastici, qui eas deferunt, detecto capite; alii vero clerici possunt incedere tecto capite cum bireto (S. R. C. 2 sept. 1690, n. 1841[1]) ». Caeremoniarius et clerici qui processionem dirigunt, biretum etiam extra ecclesiam imponere nequeunt (S. R. C. 22 sept. 1837, n. 2769, VI, 1); item thuriferarius, acolythi atque deferentes crucem aut vexillum detecto semper capite incedunt (S. R. C. 10 iun. 1690, n. 1839).

His praemissis, circa usum bireti generaliter dicendum

est, videlicet: clerici et canonici, per ecclesiam incedentes, ad altare vel ad chorum accedentes, vel ab his discedentes, caput bireto cooperiunt si sacris paramentis vel saltem stola sint parati; numquam autem, si tantum habitu chorali et non sacris paramentis, neque saltem stola sint induti. Ad dubium: « An canonici et assistentes episcopo parati, et illum ad altare comitantes in pontificalibus, debeant omnes procedere cooperti, vel nudis capitibus? » S. R. C. decreto 28 apr. 1708, n. 2184[3], respondit: « Ratione habita paramentorum, posse procedere per ecclesiam coopertis capitibus; et ideo: Affirmative, quoad primam partem: Negative quoad secundam ».

Etiam episcopus, **a quo omnes exemplum sumunt,** ecclesiam ingrediens, cappa magna, vel rochetto indutus, caput cooperire nequit cum bireto, postquam se et alios aqua benedicta asperserit, ad altare ss. Sacramenti progrediens (*Caer. Episc.*, lib. I, cap. XVIII). Praescriptum Caeremonialis confirmatur cum decreto S. R. C. Ad dubium: « An episcopus ecclesiam ingrediens cappa magna vel rochetto indutus caput cooperire possit cum bireto postquam se et alios aqua benedicta asperserit, ad altare ss. Sacramenti progrediens? » Respondit: « Negative, ad tramitem Caeremonialis Episcoporum (18 aug. 1877, n. 3434[1]) ». Hinc confirmantur quae dicta sunt in eodem Caeremoniali n. 32 ad 6, scilicet, clericis et canonicis, habitu chorali indutis, per ecclesiam capitibus bireto coopertis incedere non licere: si enim neque episcopo liceat, multo minus aliis.

Eiusdem sententiae sunt auctores liturgici. Cfr. cl. De Herdt (Prax. Pontif., tom. I, n. 32, 6 et n. 149,6); De Conny (lib. I, ch. 8, pag. 59, edit. 3[a]); Bourbin (n. 247); Vict. ab Appeltern (pars I, cap. I, art. 8, lit. *d*), qui ait: « Intra ecclesiam in quibuscumque processionibus omnes detecto capite incedunt, exceptis celebrante et ministris sacris, aliisque paratis, qui caput tegunt, modo ss. Sacramentum, aut reliquia s. Crucis non deferatur ». Cfr. similiter cl. Martinucci (lib. I, tit. I, cap. II, art. 1, n. 3); Wapelhorst (art. VI,

n. 92); Ferrigni-Pisone (vol. I, cap. II, art. 1); Fumagalli (lib. 2 *leges in choro servandae* § 1); Erker (Tract. III, cap. I, nn. 15 e 35) et alii multi.

Praxis insuper communis, ecclesiarum praecipue observantium, et fere omnium Urbis, conformissima videtur et Caeremoniali Episcoporum, et S. Rituum Congregationis decretis, et auctoribus liturgicis melioris notae. Ergo sine formidine errandi fas est concludere, cum bona venia revisorum opellae Novi Baldeschi, quod consuetudo contraria non potest praescribi, cum nullo valido fundamento fulciatur, immo prorsus opposita et legi et auctoritati doctorum et praxi fere universae (1).

Quaer. Quid dicendum occasione missae solemnis de incensi administratione facta a celebrante parato in secretario ante accessum ad altare?

Resp. Audiatur quod cl. Gavantus (P. II, tit. II, lit. *z*) habet ad rem: « Antequam exeat e sacristia, celebrans imponat, capite aperto, incensum in thuribulum, ministrante diacono naviculam, et thuriferario thuribulum, cum benedictione, eo modo prorsus qui describitur infra, tit. 4, n. 4, et nos ibidem exponemus ». Cui sententiae Gavanti cl. Me-

(1) Pretium operis est ad hanc quaestiunculam notam unam addere, quod forma bireti clericalis est, romano more, quadrata. Biretum quod gestant germani, galli, hispani quatuor cornua seu angulos in modum crucis habet. Itali bireto utuntur quadrato, sed tribus tantum angulis elevatis ornato, in quo tamen crucis figura ad basim eorum retinetur, atque id ad honorem ss. Trinitatis factum fuisse, aliquorum opinio est: ita ex cl. De Herdt, *Prax. Pontif.*, lib. I, c. 3, n. 32). Biretum tamen ex quatuor apicibus, iuxta usum romanum, proprie est doctorale, non est autem indumentum chorale (S. R. C. 7 dic. 1844, n. 2877), imo nec indumentum ecclesiasticum, sed civile, ob magisterium et lauream aut licentiam in disciplinis theologicis vel sacris canonibus receptum; quapropter in functionibus ecclesiasticis ne laureatus quidem eo uti potest, etiamsi episcopali insignitus sit dignitate (S. R. C. 6 sept. 1895, n. 3873[5]), ita cl. Erker (Enchiridion Liturg. Sect. I, tract. I, c. 3, n. 15).

ratus, n. XXII. subiungit: « Celebrans, solitis indutus paramentis, sicut et ministri, processurus ad altare pro missa solemni celebranda, antequam exeat de sacristia, stans versus imaginem principalem in linea recta cum ministris, habens diaconum a dexteris et subdiaconum a sinistris cum thuriferario, qui stabit a dexteris diaconi... ministrante diacono naviculam et thuriferario thuribulum, imponit (ubi tamen mos est imponendi, nam in aliquibus ecclesiis hic ritus non est in usu) incensum in thuribulo ». Item dicunt Corsettus (tract. I, par. I, cap. I, n. 5), Bauldry (par. 3, tit. 13, cap. II, art. 4, n. 1), Bissus (tom. I, lit. *c*, n. 197), Hippolytus a Portu (Cap. I, de Miss. solemni, tit. 2, n. 3, § *Sacerdote parato*), Caerem. Cleric. Regul. s. Pauli (lib. I, cons. I). Huic doctrinae favet inter recentes auctores cl. Erker (Tractatus IV, cap. I, n. 25), qui ait: « Ante missam solemnem in sacristia thus imponere in thuribulum non praescribitur a rubricis, utpote quae iniectionem thuris fieri volunt solummodo ante missam pontificalem in casu, quo pontifex paramenta sumpsit, non ad altare celebrationis, sed in sacristia vel in capella (*Caer. Episc.*, lib. 2, c. 8, n. 23-25). Si nihilominus quacumque de causa, ex. gr. ob vigentem consuetudinem, ante missam solemnem thus imponendus sit, fiat, quum hoc directe non sit prohibitum ». Cl. De Herdt (Sacr. Lit. Prax. lib. I, n. 306, not. I) ad rem scribit: « Ante missam pontificalem, episcopo se parante in secretario, incensum imponi ante accessum ad altare; cum autem huius mentio in rubricis missalis non fiat, idipsum ante missam solemnem faciendum non esse, saltem si usus non adfuerit. Quod si fiat, tunc celebrans, paratus sacris paramentis, aperto capite, ministrante diacono, incensum cum benedictione more solito imponit, et thuriferarius praecedit ad altare cum thuribulo fumigante ». Vide etiam Falise (Liturg. pract. Com. pag. 140, not. 2). Sed contra habentur pauci auctores: A Carpo (P. 2, n. 133), Ab Appeltern (P. 1, cap. XI, § 2, n. 287); Martinucci (lib. II, art. III, cap. III, n. 19); Schober, et nescimus an alius. Iste cl. auctor (*Caerem. Miss.*

solemn. art. 1, cap. 4, n. 1) sic habet: « Notandum hic, iuxta plures auctores, quos apud Meratum invenies, a celebrante, antequam ad altare procedat, in sacristia incensum in thuribulum imponendum et benedicendum esse more solito, ut initio missae. Huic usui Caeremoniale Episcoporum (lib. II, cap. VIII, § 32) favere videtur, quod praecipit, ut initio missae pontificalis Episcopus in secretario paratus ante accessum ad altare incensum imponat. Sed quis non videt, differentiam non esse parvam inter Episcopum cum omni pompa ad missam pontificalem processionaliter accedentem et sacerdotem simplicem solemniter celebraturum? Si vero Episcopo ipsi, quando paramenta in presbyterio sumpsit apud sedem vel in faldistorio, thus imponere non permittitur, uti S. R. C. (die 23 sept. 1837 in una *Burgi S. Domnini* ad 2, n. 2776) declaravit, eo minus sacerdoti simplici, quamvis solemniter celebraturo, id licet. Cum etiam rubricae missalis huius ritus mentionem non faciant, multis in locis idem non sit in usu, et Romae praxis contraria existat, teste Martinucci, incensi impositio ante missam solemnem omitti debet ». Cum bona pace cl.mi viri, nos affirmamus quod in nostris Ephemeridibus liturgicis olim de hac quaestione disseruimus; licet ad missam pontificalem magis quam ad solemnem, impositio ponendi thuris in thuribulum pro processione ad altare portineat, dictam consuetudinem non audemus improbare. Est enim laudabilis per se, et non contra, sed praeter rubricas. Gavantus, ut vidimus, eam admittit, sicuti Meratus, qui et citat Corsettum, Bauldryum, Bissum, Hippolytum a Portu et Caeremoniale Clericorum s. Pauli, quod confecit ipse Gavantus, illorum decus et gloria. Denique in pluribus ecclesiis, tam intra quam extra Urbem, eadem viget praxis, quae laudabiliter observatur. Nullum autem decretum eam reprobat, ut nec nos reprobare possimus.

Quaer. An caeremoniarius debeat, in missa solemni, conducere ac comitari diaconum, dum defert librum evangeliorum et bursam ad altare?

Resp. In primis notandum est cum cl. Gardellini in adnotatione ad decr. 4536 ad dub. 2, in recenti collect. n. 2578, quod relate ad caeremoniarum magistrum regula generalis haec est, nempe quod certus locus non sit illi assignandus, qui stare aut discurrere debet pro officii ratione, ut omnia quae ad sacras pertinent caeremonias rite et recte peragantur, ut patet ex decretis pluribus S. R. C. legendis in collectione praelaudati auctoris. — Cl. Martinucci hunc tradit modum agendi in casu (lib. I, tit. I, cap. I, art. V), fretus dispositioni Caerem. Episc. (lib. I, c. V.), ubi n. 6 haec habet: « Alia vero nonnulla, quae ad ipsum caeremoniarii officium spectant, velut thuribulum deferre ad Episcopum, et ad altare ducere et reducere diaconum et subdiaconum aliosque omnes, tam maiores quam minores ministros... ». Ex hac regula generali, praesertim ex dispositione Caeremonialis, nobis videtur argui ac concludi posse, quod caeremoniarius rite ac licite valeat conducere diaconum in casibus supra citatis; imo iure concludimus rationem liceitatis et officii.

Equidem Bauldry (*De magistro caerem.* P. I, c. I, art. 1, n. 39) haec dicit: « Non conducit — caeremoniarius — diaconum dum defert librum evangeliorum et bursam corporalium ad altare... quia, ut comes tantum datur ministris ad aliquid cantandum, aut quando exeunt ex presbyterio, Gavant. pars 2, tit. 6 n. 5 ». — Meratus in Gavant. loc. cit. n. 23, idem docet. — Idem A Carpo P. II, c. V, de magistro caeremoniarum in missa solemni, n. 202, 203.

Utique hi omnes auctores sunt graves et sapientes, ut facile confitemur, attamen fas nobis sit dicere quod ipsorum conclusio non nobis videtur recta; nam ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus. Sed Caeremoniale (loc. cit.) non distinguit actiones ac modos; non enim dicit caeremoniarium ducere sacros ministros aliosque omnes tantummodo quando aliquid est canendum, vel quando iisdem exeundum est ex presbyterio; sed simpliciter ac generaliter dicit ad ipsum caeremoniarii officium spectare ad altare ducere ac reducere diaconum aliosque omnes, tam maiores

quam minores ministros. His in casibus nobis videtur nullus reperiri locus distinctionis, quia dispositio Caeremonialis, obligans omnes ecclesias, est generalis lex, manifesta et recte valens in se omnes includere casus. Praeterea est praxis ecclesiarum Urbis bene constitutarum et observantiorum sacrorum rituum. Denique si ministri non bene versati sint in sacris caeremoniis, vel praesertim si sint novi ministri vel extranei, caeremoniarius certe eos ducere debet omnes et in omni functione et actu, ut omnia digne ac decore peragantur. Namque, ut saepius oculis nostris comperuimus, quando iidem ministri non conducuntur, v. gr. in deferendo librum et bursam ad altare etc., omnia peragunt sine decore et dignitate, quod prorsus vitandum in sacris functionibus est. Ergo iure et tute stat nostra sententia.

Sub nomine caeremoniarii, non de primo, sed de altero loqui intelligimus; quod si iste absit caeremoniarius convenientius in servitium celebrantis tantum opus suum oportet exhibere; primus autem acolythus sit in servitium diaconi, alter autem acolythus subdiaconi. Quamobrem 1° Sub finem orationis, sive orationum ante epistolam, alter acolythus tradet subdiacono epistolarum librum illumque recipiet ab eo post epistolam cantatam; 2° *Oremus* ante offertorium a celebrante cantato, velum humerale de abaco sumet, explicabit, imponet subdiaconi humeris, eique ante pectus alligabit; 3° afferet ad altare velum ad calicem tegendum, genuflectens in medio, una cum ministris locum permutantibus; 4° posset subdiaconum in chorum, ad pacem praebendam euntem sociari, ac deinde, ante altare reversus illam recipere et ad thuriferarium deferre; 5° in missis solemnibus ferialibus, sub finem penultimae orationis ante epistolam, assurget, accedet ad subdiaconum, exuet eum planeta plicata, quam reponet ad scamnum, eidemque, ut supra, epistolarium, tempore suo porriget: post cantum epistolae, accipiet librum a subdiacono, eique planetam plicatam iterum imponet. — Simili in casu, quo secundus caeremoniarius absit, primus acolythus ministrabit diacono 1° evangelii

textum, elevabit diaconi vestes cum altare ascendit, et facta in plano genuflexione, redibit ad locum suum; 2° cum a cantoribus ℣. *Crucifixus etiam* etc. incipietur, ducit diaconum per breviorem ad abacum, ubi bursam ei porrigit, vel immediate sinit ab ipso accipere, et per planum ad medium ante altare eum comitatur faciens cum eo reverentiam ad celebrantem, quando ante ipsum transibit, et cum diaconus suppedaneum conscendit, elevat ei fimbrias albae; et suo tempore, dum minister genuflectit in suppedaneo, genuflectit et primus acolythus, et ducit diaconum ac scamnum; 3° in missis solemnibus ferialibus: priusquam tradat diacono evangeliorum librum, in promptu habebit stolam latiorem, qua induet diaconum; hic accedet ad abacum, et et acolythus primus exuet eum planeta, quam super abacum deponet, et imponet ei super humerum stolam latiorem, quam dextero eius lateri firmabit: hinc eavangeliorum librum illi ministrabit; 4° posquam diaconus missale a cornu evangelii ad latus epistolae transtulit, primus acolythus imponet ei planetam. Item cl. noster collaborator Menghini docet dicens: « Il primo accolito in tempo della messa, di regola ordinaria, assiste il diacono, il secondo il suddiacono » (Manuale noviss. di sacre cerim. vol. I, sez. I, par. II, c. II, art. III).

Quaer. Ubi sistere crucifer cum acolythis ab absolutionem debeat, quando cadaver sacerdotis non est omnino absens, non est praesens physice, sed praesens est moraliter?

Resp. Haec distinctio aliquid novi praesefert, quia praeterito tempore numquam cadaver considerari ex iure poterat *moraliter* praesens, sed aut praesens *physice*, aut *simpliciter* absens. Etsi enim cadaver tempore absolutionis insepultum adhuc fuisset, nihilominus uti simpliciter absens habebatur, quia physice non praesens. Hinc decretum in *Veronen.* (n. 5221 ad 3), antiquae collectionis, quod a nova exulavit, declarabat: « Corpore sacerdotis insepulto, non tamen ob aliquam rationabilem causam praesente, subdiaconus in exequiis se sistere non debet inter feretrum et altare », consequenter inter feretrum et ianuam ecclesiae sistere debet, quia cadaver est simpliciter absens.

Auctores plures citantur, et etiam ad rem referuntur, dicentes ac tenentes, cruciferum se collocare debere inter tumulum et altare in absolutione quoque pro defuncto sacerdote, uti pro laico quocumque, unico excepto casu, quo cadaver sacerdotis sit praesens, tunc enim sistit inter tumulum et altare. At quaeri potest: Auctores eiusmodi supponere ne possunt moralem cadaveris sacerdotis praesentiam, de qua tantum verba facit ius recentius, quod per consequens agnoscere ipsi nulla ratione poterant? Quanti ergo eorum auctoritas, etsi in genere maxima, ad rem nostram quod pertinet, sit facienda, lectoribus iudicandum relinquimus.

Manent ergo rubricae, seu Caeremonialis Episcoporum, seu Ritualis Romani. Sed vero hae quoque loquuntur in genere de praesentia cadaveris sacerdotis, quae pro physica tantum intellecta hucusque fuit; namque praesentia moralis, iterum dicimus, recentius orta est, ut de hac verba facere non potuerint. Quod si inde inferre velis: ergo haec moralis praesentia vi rubricarum excluditur, ut pro simplici absentia sit consideranda, dubium rationabile suboritur, num revera ita res se babeat. Etenim praesentia moralis quid diversi est a simplici absentia, et fortasse tam pro physica quam pro morali intelligi debet praesentia, de qua rubricae.

Huic interpretationi favet decretum generale super missa exequiali pro die obitus, quod in tertio decretorum volumine novae collectionis legitur. Missa enim ista, praesente tantum moraliter cadavere, celebranda est *eodem prorsus modo ac si cadaver esset praesens*. Porro, si missa ita celebranda est, quare diverso modo agenda erit absolutio, quae est eiusdem missae exequialis appendix? Ratio in oppositum, illata ex disciplina hactenus retenta, haud satis probat, ob distinctionem inter absolutam absentiam et moralem praesentiam recentius invectam.

Romae consuetudo viget, ex qua cadavere sacerdotis moraliter praesente, die scilicet vel pro die obitus, absolutio peragitur eodem prorsus modo ac si physice cadaver

praesens esset; idque servatur nedum pro sacerdotibus, sed et pro episcopis ac purpuratis Patribus. Ritus autem ac caeremoniae in dictis absolutionibus, nisi pro sacerdotibus, saepe pro episcopis et semper pro cardinalibus, ab apostolicarum caeremoniarum magistris diriguntur. Putandum ne, eos continuo hac in re se decipere, ipsosque se decipere episcopos et cardinales, qui eiusmodi absolutiones peragunt?

Re in se spectata, aliud est dies III, VII, XXX et anniversaria, vel alia quaecumque, in qua funus aliquod peragitur cum absolutione, et aliud est dies obitus vel bidui ab obitu. In illis enim cadaver est physice et moraliter absens, in ista vero physice quidem abesse potest cadaver, sed moraliter est praesens. In illis absolutio habetur repetita, in ista autem absolutio pro prima vice post obitum. Porro, ob plurima impedimenta, si absolutio facienda esset hoc in casu tamquam si cadaver esset absolute absens, numquam vel fere numquam fieri posset uti praesens. Hinc fieret, ut diversa positio pro sacerdote, quae ipsum ab aliis distinguit atque honorat, numquam haberi, vel raro posset, ipsaque rubrica pene inutilis evaderet. Nonne ergo quod S. R. C. de morali praesentia statuit pro missa exequiali, extendi dicendum est etiam ad absolutionem?

His perpensis, aliisque brevitatis gratia omissis, arbitramur contrariam sententiam, quam nonnulli auctores, laude ceterum dignissimi, dederunt, uti veritatem teneri non posse. Quinimmo in oppositam inclinamus, quae rubricis aequam patientibus interpretationem cohaeret, decretis vigentibus non opponitur, recto sensui conformis videtur, et consuetudini Urbis respondet. Si ceterum opus sit, ut quaevis dubitandi ratio removeatur, et secura praxis haberi queat, audiendum erit competens tribunal, cuius responso unicuique acquiescendum.

(*Continuabitur*) P. M. De Amicis.

Quaestiones Liturgicae.

De usu linteoli et disci in administratione ss. Eucharistiae.

Quaer. Quid de usu linteoli et disci in administratione ss. Eucharistiae? Videtur, iuxta sententiam Ephemeridum liturgicarum (cfr. n. VII, currentis anni, pag. 390), discus linteolo esse praeferendus, quod omnino favet sententiae aliquorum periodicorum a Sacerdotibus ss. Sacramenti adoratoribus hodie large inter cleros diffusorum, qui linteolum armis sine intermissione insectantur, et discum favore complectunt.

Resp. Die 29 novembris 1905 in aede Congregationis Missionis prope Curiam Innocentianam, habitus fuit Conventus academicus, in quo haec quaestio diffuse enodata fuit, et lectorem ad tom. XX, pag. 88 et seqq. nostrarum Ephem. demandamus. Ex allata solutione clare ostenditur sententiam Ephemeridum omnino pugnare cum opinione auctoris commentarii ad decretum in *Lucionen.;* et si hospitalitatem ad ipsam dedimus, rationabiliter agendum duximus, ad nobis viam sternendam diffusiusque quaestionem pertractandam, validis rationibus innixi a confratre nostro Calcedonio Mancini, Ephemeridum istarum patri et magistro, alibi enucleatis.

I. 1. Linteoli finis duplex esse posset, aut videlicet pro sacra hostia, quae decidere potest in terram, reparanda: aut pro fragmentis servandis, quae ex ipsamet hostia separari possent, et disperdi: aut etiam pro utroque, seu pro reparandis tam hostia quam fragmentis. Cum fragmenta dicimus, aut notabilem, visibilem saltem oculis, hostiae partem significamus, aut minimas particulas humanis oculis vix

visibiles. Lintei usum invectum fuisse pro hostiae et fragmentorum primo sensu acceptorum lapsu in terram vitando, ambigit nemo. At voluit ne etiam Ecclesia linteolum ad hunc quoque finem inducere, ut fragmenta secundo sensu accepta non deciderent in terram, sed servarentur et custodirentur?

2. Linteoli usus certe viget in universali Ecclesia, viget et adamussim servatur a tempore antiquissimo, ex quo incoepit. De eo loquitur Caeremoniale Episcoporum, quod *mantile album* vocat, de eo loquitur Missale Romanum sub nomine *lintei* seu *vel albi*, de eo loquitur Rituale Romanum, quod *linteum mundum* nominat: de eo auctores omnes sacrae Liturgiae loquuntur omnesque fideles eo uti consueverunt: ut si aliquando ex incuria desit, implicati quodammodo et conturbati maneant.

Nunc quaerimus; quid de hoc linteolo agendum, ubi reponendum postquam fideles communicaverint? Nihil, prorsus nihil; sed super abaco tantum deponendum; imo, cum frequentiores sunt communiones, ut diebus dominicis saepius accidit, super loricae septo relinquitur, ad fidelium communicantium commodum. Haec fuit romana, haec universalis praxis. Nulla unquam extitit, nec lex extat, quae vel remote dictum linteolum excutiendum iubeat, ut id genus fragmenta de quibus sermo nobis est, colligantur et non pereant. Haec omnia certa sunt, nec discussioni obnoxia.

3. Porro, si finis linteoli esset, ut haec fragmenta serventur, nec dubitandum foret, quin Ecclesia summo studio curaret, ut vel maxima adhiberetur diligentia, vi cuius ea servata in mundiorem locum, quantum fieri posset, deponerentur: quod tamen non facit Ecclesia. Namque tacet ea de re Caeremoniale Episcoporum, tacet Missale, tacet Rituale Romanum, ipsumque tacet Pontificale, quod agens de Ordinatione unius Presbyteri, de hoc linteolo nihilominus sub *mappulae* nomine verba facit. Eapropter in his servandis, custodiendis, recondendis, a tempore procul dubio vetustissimo, ex quo linteoli consuetudo invecta fuit, usque in

praesens, nullam umquam Ecclesia operam posuit. Quod apprime perpendendum est; non enim agitur de hac vel illa ecclesia, quae incuriae fortasse incusari posset ac negligentiae, sed de omnibus et singulis, a romana aliarum omnium magistra, ad ultimam, nulla exceptione facta. Hoc autem abunde constat ex silentio omnium, qui de re liturgica disseruerunt, scriptoribus, ab antiquioribus ad recentiores aetatis nostrae, cum nihilominus de ea, quae adhibenda est diligentia, in communione tradenda, ne quid ex sacris speciebus panis in terram decidat, a maximo ad minimum, nullus sileat (1).

4. Quid ergo sibi volunt, et legis cuiuscumque silentium, et silentium scriptorum omnium, et praxis huiusmodi prorsus universalis? Procul dubio haec significant, finem linteoli non esse ad colligenda fragmenta, de quibus loquimur, sed tantum ad impediendum vel integrae hostiae, vel notabilis illius partis lapsum in terram. Secus, Ecclesia ipsa graviter redarguenda foret, et irreverentiae in almum Sacramentum, et non minoris incohaerentiae. Patet primum, quia silentio suo permitteret ea fragmenta deperdi, in quibus iuxta fidem totus est Christus. Patet alterum, quia dicta fragmenta vellet antea ut reciperentur in linteolo, dum postea de iis nulla lege nulloque studio curaret, ut serventur. At cuinam audacia tanta, immo ineffabilis insipientia, ut Ecclesiae, quam Spiritus sanctus regit ac dirigit, quae Christum sponsum suum maxima dilectione prosequitur, praefatam duplicem inurere maculam valeat? Consequens ergo est, ut linteolum numquam ad hunc finem adhibuerit Ecclesia, nec adhibeat in praesenti, sed tantum ad praecavendum lapsum sacrosanctae hostiae, vel notabilis eius portionis in terram.

---

(1) De hac re confrater noster Calced. Mancini aliquot ab hinc annis disserebat, sed proh! quam praecipitem viam brevi tempore exemplum, idque apparenter speciosum atque honorificum, post se aperuit? Hac nostra tempestate ne ipsae quidem ecclesiae Urbis ab hac infestatione disci immunes evaserunt!

5. At obiicere quis posset: Esto quod dicitur, sed si fragmenta etiam minima decidere possunt, imo reapse decidunt super linteolo, quomodo excusari potest Ecclesiae sapientia, ipsiusque amor atque etiam honor in Christum, cum nullam iis servandis impendat operam? Nullius negotii responsio est, argumento etiam a priori praetermisso, quod videlicet in re tanti momenti non potest Ecclesia quin optime se gerat: ut plane stultissimum se demonstret, qui universalem sapientissimamque magistram edocere sibi arroget. Itaque respondemus, posito fragmentorum lapsu super linteolo, Ecclesiam hoc in negotio quod *decet* facere, quod *dedecet* non facere. Diximus, ***posito fragmentorum lapsu super linteolo;*** quia cum hostiae in pyxidem, quantum fieri potest purificatae immittantur, cum sacerdos alteram ab altera hostia, ut communionem distribuat, separare necessario debeat, cum denique brevissimum intercedat spatium distantiae, quod percurrit hostia a manu sacerdotis ad os communicantis; non adeo facilis, imo satis difficilis iudicandus fragmentorum lapsus in linteolum. Quidquid vero sit, ne absolute negare videamur quod evenire quandoque potest, placet magis dictum lapsum fragmentorum supponere. Decet autem omnino, ut lapsus sacrae hostiae, vel notabilis illius partis evitetur, hinc linteolum: omnino vero dedecet, ut invisibilia vel vix visibilia eiusdem hostiae fragmenta conserventur, custodiantur, atque impossibili cautela recondantur. Dedecet, inquimus, non propter ipsa fragmenta in se spectata, sed propter difficultatem ea distinguendi, reperiendi, consequenter et venerandi, seu illis cultum debitum tribuendi. Equidem latet neminem ex fidelibus quod in nota Sequentia Corporis Christi Angelicus confitetur, tantum esse sub fragmento, quantum toto tegitur. Verum quomodo illa distingui ac reperiri humane possunt, proindeque quomodo iisdem cultus praestari posset?

6. Huiusmodi fragmenta decidere super linteolum posse non negamus; sed vero et alterius generis fragmenta super illud decidere facile posse, prudens nemo ambigit. Fragmenta

dicimus, seu ex humano corpore, seu ex vestibus communicantium, seu ex aere, seu ex aliis elementis, inter quae versantur ii, qui sacro Christi Corpore reficiuntur. Iam nunc ex his omnibus singulisque atomis, humano oculorum captui vix accessibilibus, distingue, si vales, quae ad Eucharistiam omni veneratione et adoratione dignissimam pertinent, ab aliis extraneis, quae aliorum elementorum partes efformant. Quaere, scrutare, aciem oculorum exacue, opportunis optices instrumentis utere, omnique ope contende, ut dicta sacra fragmenta reperire valeas: voti num compos fies? Lectoribus responsio. Hoc posito, ecquis sanae mentis iudicabit, eiusmodi fragmentis tribuendum esse cultum? Mirare ergo sapientiam Ecclesiae, quae impossibilia non iubet, et incertae rei nullum cultum praestat.

7. Perpende Rubricas de fragmentis, quae a celebrante post communionem suam colligenda sunt: « Accipit patenam, inspicit corporale, colligit fragmenta, si qua sint in eo: patenam quoque cum pollice et indice dexterae manus super calicem extergit, et ipsos digitos, ne quid fragmentorum in eis remaneat ». Quibus in verbis nota, corporale inspiciendum esse, quod facile est, non inspicienda fragmenta, utpote moraliter impossibile: quae tamen colligenda sunt, si qua in eo sint, non vero quaerenda, quod et difficillimum foret, et argumentum scrupulis suppeditaret. Item patenam *diligenter* extergendam esse Rubrica exigit, quod facillimum est, statimque extergendam post recollecta, si qua erant, fragmenta: extergendos simul pollicem et indicem lex praecipit, qui a consecratione ad communionem usque coniuncti fuerant. Fragmenta quoque de hostiis consecratis in vas ad hoc ordinatum repositis, Rubrica colligenda esse praecipit, et de celebrante dicit: « Diligenter advertit, ne aliquod fragmentum, quantumcumque minimum remaneat super corporale; quod si fuerit, accurate reponit in calicem ». Nilque sapientius; quia agitur de fragmentis, quae remanere possent super corporali, quod ante celebrantem extat, super quod ipsemet hostias posuit. Multa ergo facilitate advertere

diligenter in illa parte corporalis potest, ut fragmentum nullum, esto minimum, in ea remaneat, sed per patenam acceptum immittat in calicem, et sumat. At quae hic tanta agi cum facilitate possunt, nullique inconvenienti obnoxia sunt, nonnisi summa cum difficultate fieri possent in casu linteoli, uti quisque videt: adeo ut alius non haberetur effectus, nisi confusionem pariendi et incertitudinem, imo, si velis etiam idolatriae actum. Si ergo in prima hypothesi admiranda Rubricarum sapientia, quae exigunt ut fragmenta colligantur, haud minus Ecclesiae prudentia commendanda in altera, quae nullam fragmentorum colligendorum imponit legem.

8. Aliam fas est Rubricam animadvertere, quae respicit hostiam lapsam in terram: « Si hostia consecrata vel aliqua eius particula dilabatur in terram, reverenter accipiatur, et locus, ubi cecidit, mundetur et aliquantulum abradatur, et pulvis seu abrasio huiusmodi in sacrarium immittatur. Si ceciderit extra corporale in mappam, seu alio quovis modo in aliquod linteum, mappa vel linteum huiusmodi diligenter lavetur, et lotio ipsa in sacrarium effundatur (*De defect. 14*) ». Hic autem iterum nota sapientiam Ecclesiae, eiusque in Eucharistiam reverentiam maximam. Interim ad rem observa, hic agi de particula Sacramenti in terram prolapsa, sed de particula notabili, non de fragmento ex iis, de quibus loquimur, cum reverenter eam accipiendam esse praescribatur, quod de huiusmodi fragmentis comprobari non posset, uti patet. Insuper mappa vel linteum, super quibus pars hostiae prolabitur extra corporale, vult Rubrica ut laventur, quod de corporale non praescribitur; quia nec mappa nec linteum in casu ad Christi Corpus recipiendum sunt destinata et benedicta, sicut corporalia. Quid autem de linteo pro fidelium communione praescribitur? Nihil. Quidam autem scriptores, ad similitudinem praescripti in praefata Rubrica, consulunt ut, si hostia cadat intra linteolum, aliud illi linteolum superponatur, et postea lavetur; sed hoc ex lege non constat, neque communiter in praxim deducitur quia

fortasse linteolum ad id destinatum est. Quidquid sit, de fragmentis, quae super eodem linteolo prolabi possunt aut prolabuntur, lex ne verbum quidem. Sapiens Ecclesia in dicta Rubrica, sapiens et hic nullam de hisce fragmentis legem iubens.

9. Igitur post hucusque exposita quid concludendum? Linteolum ex Missali, ex Rituali, ex Caeremoniali, et si velis, etiam ex Pontificali, mento communicantium supponendum, habet ne pro fine unico lapsum sacrae hostiae, vel notabilis illius partis in terram, an etiam fragmentorum vix visibilium collectionem? Universalis ecclesiarum praxis, paucissimis exceptis, de quibus mox dicemus, in eo consistens ut linteola nequaquam extergantur: silentium Ecclesiae, scriptorumque super hoc liturgicorum omnium: impossibilitas sic agendi, et inconvenientia satis gravia quibus eiusmodi abstersio esset obnoxia: haec omnia quid probant? Securitate ac libertate pari non gravamur affirmare quod iam demonstratum iudicamus: Finis unicus linteoli huiusmodi non est fragmenta, de quibus egimus, colligere, sed tantum impedire quominus hostia vel pars eius notabilis dilabatur in terram.

10. Quod si dicas, fragmenta huiusmodi ergo profanationi exponi, reponimus cum Ambrosio, Chrysostomo, Gregorio, Thoma et aliis, angelos sacrificio assistere, ad eosque pertinere ea fragmenta colligere, quae colligere sacerdotes moraliter nequeunt. Neque ideo negamus cum Quarti, « saepius a Deo permitti ex malitia vel negligentia humana, irreverenter tractari Eucharistiae sacramentum: quae tamen iniuriae in diem ultionis a Deo reservantur puniendae, et in maiorem Christi gloriam convertendae; sed dicimus, ubi non se immiscet malitia hominum, eas praecaveri ab angelis (*Pars II, Tit. X, Sect. II, Dub. VII, sub fin.*).

II. *Discus metallicus*. 1. Sed ex dictis sequens oritur difficultas: Quod moraliter Ecclesia potest facere pro conservandis fragmentis, id illi faciendum videtur; atqui optime id obtinetur, si linteolo sufficiatur discus metallicus,

ergo hic videtur esse adhibendus ab Ecclesia. In hoc enim disco fragmenta vel minima facile conspiciuntur, custodiuntur, ac demum maxima cum facilitate a sacerdote colliguntur. Praeterea discus metallicus pretioso Christi corpori recipiendo, licet sub fragmentis, multo magis congruit, cum inauratus esse debeat. — En discus metallicus, de quo in quaesito a nobis proposito. Operae itaque pretium est, ut aliquid de eo, quod quaestionem attinet nostram, dicamus. Perpendamus nempe huiusmodi discos, et videamus utrum, re penitius considerata, expediat nec ne, ut, linteolis relictis, discis uti possit, imo debeat Ecclesia.

2. Discus metallicus antiquissimus dicitur ex Tertulliano, a quo *scutella* nuncupatur. Alii quoque, uti in E.mo Bona videre est, et in Martène, scriptores antiqui, de *tabellis* loquuntur ad corpus Christi sub speciebus panis recipiendum. Quod quidem non negatur; sed finis eiusmodi subsidiorum primo statuendus esset, quae primis certe saeculis pro Eucharistia recipienda inserviebant, pro eaque in domos transferenda. Insuper probandum esset, dicta instrumenta non fuisse lino, mantili, linteolo etc., de quibus passim auctores, cooperta: quod fortasse difficile, nisi impossibile videtur. Quidquid sit, quaestio versatur circa hostiam in ore recipiendam; et traditio romanae Ecclesiae non fert scutellas, tabellas, aut discos, sed unice linteolum ad lapsum Eucharistiae in terram praecavendum, haud vero, uti expositum est, ad fragmentorum propemodum invisibilium evitandum lapsum, cum finis eiusmodi possibilitate careat. Hinc ante omnia concludendum, discum metallicum antiquitati Ecclesiae, prouti nunc habetur in quibusdam ecclesiis, eiusque traditioni, haud esse conformem, ut novitatis laboret, a quo cavet Ecclesia.

3. Congruit pretioso Christi corpori, cum inauratus esse debeat. — Convenimus; et ipsamet Ecclesia inauratam exigit patenam pro celebrante. Sed lini substantia magis placet Ecclesiae pro communione fidelium, uti etiam pro celebrante, qui corporali lineo utitur, et super eo conse-

crat, non super patena. Qua tamen, ratione ritus, necessario quoque celebrans uti debet, super ea communicat, eamque saepe adhibet pro Eucharistia administranda, uti et pyxidem. Profecto linea materia est, non metallica, in qua Christi corpus depositum fuit: ut hostiae, si labatur, recipiendae melius illa respondeat, quam ista. Praeterea disci inauratio, maxime in casu nostro, quam facile, paulatim et brevi consumitur, et quadam difficultate, ob expensas, iterum inauratur dum interim satis esset indecens metallum sine auro ad recipiendum Christi corpus. E contra linteolum album, quando opus sit, nullo negotio expensisque lavatur. Cetero linteolum id praestat officii in communione fidelium pro hostiae lapsu, quod corporale in sacrificio missae pro eodem casu, atqui illud est ex linea substantia, ergo et hoc ex eadem materia esse omnino convenit.

4. Sed inspiciamus finem in disco, quatenus fragmenta, quae decidunt, facile conspiciuntur, et conservantur. Iterum imprimis notandum, hunc nec linteoli esse finem, nec disci ipsius esse posse. Ratio patet ex superius dictis, quam aliquantulum libet evolvere. Fideles plures, uti notum est, saepe communicant: discus ex unius in alterius ex fidelibus manus, et sic successive, transire necessario debet: non desunt qui prae devotione illum osculantur. Nunc autem petimus: fragmenta, quae post absolutam, plus minusve prolixam communionem, remanere possunt super disco, sunt ne vere omnia et solum, vel aliqua saltem, ex sacris hostiis? Oramus ut disci metallici fautores dent responsum, quantum fas sit, pro veritate. Quantum autem ex nobis est, reponimus, iudicium certum ferri de eo absolute non posse; e capite enim, e vestibus communicantium, ex aeris pulvere, ex ipsis halitibus et efflatibus, atomi sine fine decidunt, evolant, consistunt super disco: unde fit ut nihil omnino certi super his fragmentis determinari possit. Quo modo igitur, et quo iure asseri poterit, per discum sacra fragmenta facile conspici et conservari posse? Quam facile apparentia rei veritati se sufficit!

5. Quid proinde iudicandum de asserto super facilitate illa consumendi a sacerdote? Sed imprimis animadvertimus non omnes communiones infra missam fieri. Si autem ante missam, expectabit celebrans? si postea, in alia missa discus abstergetur? Interim quid erit de collectis fragmentis quae supponuntur? Si communio habebitur omnino extra omnem missam, quomodo supposita fragmenta sacerdos colliget? At repones, tunc discum in bursa una cum corporali reponi. Quis huiusmodi legem i ubet? Cuinam Episcoporum id facultatis erit? Ceterum puid erit de dictis fragmentis, posito intra bursam disco? Postea ne excutienda bursa, vel corporale, ut illa decidant et colligantur? Quot novae leges, quarum condendarum, cum de re liturgica agatur, ius non habent Episcopi! Sed iam ponamus, hunc discum ad altare deferri, ut abstergatur. Tenetur ne celebrans talia fragmenta colligere? Negativa responsio certa est, vere enim de hoc lex non datur. Liberum ergo erit; at si agitur de reverentia in almum Sacramentum, quomodo eiusmodi libertas explicanda? Denique celebrans discum abstergere concedamus: quid colliget? Fragmenta specierum? Qui potest capere, capiat. Nos vero toto iure repetimus, et post dicta vix dubitari de hoc potest, celebrantem in his colligendis fragmentis, nonnisi potius colligere atomos, quae proveniunt de vestibus, de capite, de ore communicantium. de pavimento, de parietibus, de mappis, ac de omnibus aliis elementis, quae sunt in templo, et vix aliquod, nisi nullum, de speciebus: neget qui potest. Porro eiusmodi fragmenta in calicem deponere aut sumere, satis est indecorum, nauseosum, nisi et indignum. Nonne quorundam supposita sapientia privatorum, contra veram Ecclesiae sapientiam, in stultitiam conversa esse videtur?

17. Equidem dices, idem praedicari posse de fragmentis, quae in missis solemnioribus esse possunt super ipsa patena celebrantis, quae mento communicantium supponitur, et postea ab ipsomet celebrante abstergitur. Respondemus, casum huiusmodi satis esse alium ab illo; quia sacer minister eam semper tenere debet et nulli praebere, neque ad oscu-

landum: quinimo neque eam tenetur communicantium mento supponere. Nusquam enim eiusmodi lex habetur. Caeremoniale Episcoporum patenam quidem nominat a subdiacono tenendam, sed nec remote innuit, eam supponendam mento communicantium. Iuxta Crassum et Catalanum, uti et De Herdt, patena supponenda tantum est dexterae Episcopi communicantis ad sacrae hostiae vitandum lapsum. Id autem fit ratione solemnitatis, non vero necessitatis: ut in communione, quam in solemni missa administrat Episcopus, admittatur, in ea quam digniores sacerdotes distribuunt, permittatur, si tamen id ferat consuetudo, in illa vero quam dant simplices sacerdotes, interdicatur. Hinc de ea patena iterum purificanda lex omnino tacet, quamvis de purificatione pyxidis explicite loquatur. Quod si usus alicubi invaluit et de patena supponenda mento communicantium, et de ea purificanda, quid ad nos? In lege sistimus, quae nulla prorsus est, adeo ut ferri ad exemplum in casu nostro nequeat, licet ille casus a nostro plane differat.

III. *Consectaria*. Breviori nunc calamo de consectariis, quae inde pro praxi deducenda sunt. 1. Sapiens mater Ecclesia omnia quae agit statuitque, non potest quin sapienter agat et statuat. In communione fidelium linteolum praescribit; ergo linteolum adhibendum est. 2. Momenta quae allegantur contra linteolum, quod iuxta legem est et communem Ecclesiarum consuetudinem, ac pro disco metallico, speciosa quidem sunt, nihil tamen soliditatis habent. Quod autem de linteolo dicitur, idem de mappis lineis toto iure dicendum. 3. Discum metallicum fragmenta servare, linteolum disperdere, nil propemodum veritatis habet in re, quidquid prima fronte videri possit. 4. Si, quod asseritur, veritati conforme esset, obligatio procul dubio inhaereret unicuique sacerdotum discum extergendi et fragmenta sumendi aut saltem custodiendi: quod nec iubet Ecclesia, nec disci fautores imponunt, sed liberum relinquunt. 5. Maiorem disci convenientiam sustinere prae linteolo iniuriosum est Ecclesiae, quae repetita in pluribus codicibus liturgicis eius-

dem linteoli lege, illiusque universali approbata praxi, satis superque demonstrat, eam esse sapientia plenam et servandam. 6. Episcopi, qui dignitatem excellentiamque almi Eucharistiae Sacramenti ad sidera extollunt, rem optimam faciunt, Deo indubie acceptissimam, hominibus maximopere salutarem. Sed exinde inferre linteolis, aut tabellis candido lino coopertis vel mappis mundis ac nitidis, quae communicantium ori supponi solent, substituendos esse discos vel tabellas metallicas, lucidas etsi et perpolitas, sive quadrangularis sive ovalis formae, atque etiam inauratas, in quibus facile conspici possint fragmenta et detergi, si quae in ministranda fidelibus Eucharistia ex sacris particulis decidant, ne pereant et profanationi exponantur, rem faciunt inutilem, arbitrariam legem effingunt, impossibile excogitant, dum bona licet fide laqueum, ob scrupulos, conscientiis iniiciunt, quod experientia comprobat.

7. Cavendum profecto, ne inani melioris boni desiderio, quod obtineri nequit, simplices decipiantur: quod vix concipi potest in casu nostro non evenire. Pone enim, melius esse uti disco metallico, quam linteolo, quod nihilominus a priori et a posteriori falsum est, quid facilius inferre, minus sapienter hoc in negotio se gessisse Ecclesiam? Hoc autem, ad rem nostram maxime quod attinet, idem fere esset ac blasphemare. Eoque magis, quia ab usu linteoli Ecclesia non vult recedere. Quin imo, si circa discum rogata respondere tantum censuit: *Non esse interloquendum; nihilominus significetur,* addidit, *per Epistolam R.mo D. Episcopo Alexandrino, non esse improbandum usum tobalearum linearum* (16 mart. 1876).

8. Animadvertas interim velim, de disco purificando a celebrante post communionem saltem infra missam, nihil esse petitum, nec proinde ullum de hoc responsum datum. Scimus quidem alicubi esse praescriptum a locali auctoritate: « Finita communione, sacerdos ipse illum *(discum)* deferat ad altare, et digito colligat fragmenta super calicem, vel pyxidem ». Verum, cum de re agatur liturgica, quam

poterant quidem praescribere vel saltem commendare Rubricae, et nihilominus plane tacuerint, cumque eiusmodi consuetudo, sapientissimis de causis, numquam in Ecclesia viguerit, imo opposita prorsus invaluerit, putasne praefatam praescriptionem merito posse dici ac de facto esse ordinationem obligationem inducentem? Lectores iudicent; quod si illi iudicium faveret, ad minus optandum foret ut omnes sacerdotes eiusmodi vi stomachi et firmitate se munirent, qua praescriptum adimplere valerent.

9. Neque incommoda vitantur, si dicta fragmenta immittantur in pyxidem, sed potius augentur. Elementa namque omnino extranea necessario una simul cum sacris speciebus se immiscebunt, adhaerebunt hostiis, quae fidelium communioni inserviunt, illorum quoque participes celebrantes fient, dum pyxidem purificant. Quid ni et ipsae sacrae species, ut nonnullis videtur viam corruptionis facilius ingredientur? 10. Ultimum, quod inferendum consectarium credimus sequens duplex est. Ecclesiae quae, liturgicae adhaerentes legi, linteolum servant, fideliter retineant, et novitatem disci metallici a longe et infestis oculis aspiciant. Quae vero Ecclesiae in errorem, innocenter quidem, inductae novitatem amplexatae fuerunt, rem optimam facerent, almo Eucharistiae sacramento honorabilem, Ecclesiae gratissimam, presbyteris et fidelibus utilissimam, si, novitate disci metallici reiecta, ad linteoli legem usumque redirent. Haec nostra sentiendi ratio, quam competenti Auctoritati subiicimus.

Nota — Antequam allatae disquisitioni finem imponamus, coronidem addere oportet, quae non inopportuna videtur. Linteoli manualis usus tunc tantum admittatur, cum, in administratione SS. Eucharistiae, ad balaustrium tobalea linea extensa omnino deficit. Perperam igitur, atque prorsus supervacaneum foret, super tobalea linea, et linteolum manuale addere.

Consultationes.

E Dola, in Gallia. — I. Ad pleniorem Ap. Constitutionis Benedicti XV « Incruentum altaris Sacrificium », et decreti S. R. C., die 11 augusti 1915 dati, intelligentiam, peto ut dicant mihi *Ephemerides liturgicae :*

1° Si tertia Missa dicitur pro uno defuncto in die aut pro die obitus, vel die III, VII aut XXX, loco quotidianae, quae indicatur, nonne melius legenda est secunda Missa ?

2° Si tertia Missa legitur pro uno defuncto aut una defuncta, extra praedictos hos dies, debetne legi cum tribus orationibus, nempe 1ª pro defuncto vel defuncta, 2ª et 3ª quotidianae, vel 2ª pro patre et matre, 3ª quae est 2ª vel 3ª quotidianae ; an cum una oratione, et in casu, oratione pro uno defuncto, an oratione quae indicatur in decreto : « Deus, veniae largitor? ».

3° Si Missa pro qua stipendium datur est pro vivente, ob rem magni momenti, debetne dici in paramentis nigris, an dici potest in paramentis albis ?

4° An facultas ter celebrandi hac die datur tantum pro levamine animarum, quae in Purgatorio detinentur, et non datur licentia celebrandi hac die pro vivis, quos commendare licet tantummodo in *Memento* vivorum ?

5° Si Sacerdos voluerit celebrare pro matre et patre defunctis, debetne dicere orationem : « Deus, qui patrem », an orationem « Deus, veniae ? ».

Resp. 1° Negamus suppositum. Etiamsi occurrat dies alias privilegiata pro defuncto, nequit, die 2 novembris, illi applicari tertia Missa, quae omnino applicari debet ad mentem Summi Pontificis. quae est conditio, sine qua Pontifex non concessisset tres Missas eo die celebrari.

2° Ut in precedenti responsione.

3° Missa prima, potest, etiam post concessionem trium Missarum, applicari pro particulari defuncto, et etiam pro vivente; verumtamen semper dicenda est Missa prout in Missali iacet, pro omnibus fidelibus defunctis: sicut autem Missa de duplici v. gr. alicuius Martyris, etiamsi applieatur pro re alium colorem exigente, uti esset albus pro gratiarum actione, dici deberet sub colore rubro, ita in casu nostro. Imo a fortiori, cum agatur de Missa defunctorum, quae maxime dedeceret in colore albo.

4° Abundanter providetur per expositionem mentis Summi Pontificis, verbis factam tam claris, quae aequivocationem non permittunt. Pro vivis applicari potest, ut diximus in 3°, tantum prima Missa.

5° Sacerdos pro suis parentibus applicare quidem valet primam Missam, sed omnino, ut supra, formulam legendo quae est pro *omnibus*. Posset forsan de die obitus vel aliter privilegiato, ad instar festi impediti, in praedicto formulario fieri commemoratio, post respectivam orationem *Fidelium*, sed hoc aractice non fiat, nisi ex apostolicae Sedis facultate.

II. In pluribus oratoriis semipublicis piarum communitatum petitur frequenter (in quibusdam fere singulis diebus), de licentia Episcopi, benedictio SS. Sacramenti, sed nullus adest minister. Sorores ponunt thuribulum et velum humerale prope Sacerdotem, qui solus peragere debet omnem functionem. Negat Titius se hoc acturum, sed cum superpelliceo et stola aperit ostium tabernaculi, et post preces et cantum « Tantum ergo », dat benedictionem cum ciborio. Hoc aegre ferunt sorores, et multi Sacerdotes eum reprehendunt, dicuntque illum ius non habere privandi pauperculas mulieres tali consolatione, non esse legem quae prohibeat hoc, praesertim cum Missa possit legi absque ministro. Respondet Titius, non privari illas gratia essentiali benedictionis cum corpore Christi; esse decreta quae permittunt legere Missam sine ministro, non autem quae permittant

benedictionem *solemnem* absque ministro; haec *solemnitas* videtur exigere saltem unum ministrum (ecclesia tres vel quatuor postulat); ut vitetur gestus Sacerdotis sibi velum humerale imponentis, non facilis cum pluviali, et saepe indecorus. Quid de rationibus utrorumque et de agendi ratione Titii? Este nimis severus?

Resp. Multum iam concessit Ecclesia, tolerans quod officium clericorum impleatur per laicos, sive clericali veste indutos, in functionibus solemnibus, sive laicali habitu manentes in privata Missae celebratione. Functiones etiam, quae sine cantu peraguntur in maiori hebdomada, cum tribus vel quatuor clericis sunt peragendae, quia non agitur de sola Missa privata, sed de Missa quae supplet solemnem, et adnexas habet functiones alias. Rationes a Titio allatae sunt omnino liturgicis regulis et recto sensui convenientes. Doceantur devotae mulieres, nihil eas deperdituras esse de fructu s. functionis, si eam sinunt peragi ad mentem Ecclesiae, quae vult ut sancte et decore Sancta tractentur. Moneantur etiam eas teneri ad curandam ministri assistentiam, etiam pro Missa privata, quia si toleratur ut respondeat mulier, obligatio tamen manet, quantum fieri potest, providendi de apto ministro.

E Conventu V. in Liguria. — I. 1. In decreto S. R. C., 28 februarii 1914, Regulares dicuntur teneri in posterum ad celebranda tantummodo *officia localia Dedicationis et Titularis ecclesiae cathedralis, nec non festa solemniora Patronorum principalium.* Super illis verbis nata est controversia: quidam enim docent per verba *Titularis* excludi obligationem celebrandi *Contitulares,* si alicubi habeantur; aliter enim S. Sedes dixisset ad *Titulares* aut ad *Titularem et Contitulares* teneri celebrandos Regulares. Quomodo applicandum decretum, in casu?

2. Item aliud dubium oritur ex illis verbis *festa solemniora Patronorum principalium*; sunt enim qui inde inferunt, Regulares non amplius teneri sicut ante illud decretum, ad festa omnium Patronorum principalium sive dioecesis,

sive provinciae, sive loci, sed ad sola festa solemniora; quaenam autem festa solemniora dici possint certo criterio non patet, videtur tamen iuxta eosdem interpretes solemnius dici posse festum quod, si non de iure, saltem de facto, a populo feriatum habetur, exclusis aliis festis Patronorum etiam principalium, quorum vix populus meminit, licet a clero saeculari dioecesano ritu duplici I cl. cum octava recolantur. An concludentes videntur allatae rationes, et mentem decreti recte interpretantur?

Resp. 1. Distinguo: aut pro Contitulari intelligis Titularem minus principalem, et tunc excludenda est obligatio illius festi celebrandi, imo neque facultas datur ad hoc, sed omnino prohibetur agi de eo, nisi alia ex ratione obligatio proveniat; aut intelligis alium Titularem aeque principalem, et tunc obligatio adest, hunc et alium recolendi. Quod probatur tum ex iure quod utrumque festum possidet ex paritate rationis, tum ex confusione quae oriretur, nisi utrumque recognosceretur. Quis enimvero iudex esset, quisnam ex duobus Titularibus foret eligendus prae altero? Profecto respondebitur: Legitimus Superior; at Superior ipse quodnam criterium sequetur, si distinctio in re non habetur? forsan arbitrium? forsan aleam sortitionis? Si S. Sedes non dixit pluraliter Titulares vel Titularem et Contitulares, inde explicatur, quod, ut plurimum, Titularis unicus est, et forte sententiae adhaesit, qua non admittuntur Titulares minus principales, dum circa Patronos haec distinctio absque controversia ad legis tramites admittitur. Unde concludimus, omnia et singula festa Titularium ecclesiae cathedralis esse pari iure recolenda, si de veris Titularibus principalibus agitur.

2. Simile ratiocinium ad similem conclusionem nos conducit, quoad Patronos principales. Quod dentur Patroni principales et minus principales, nulla controversia. Quod autem inter Patronos aeque principales facienda sit distinctio, nobis non videtur rationabile. Decretum citatum a Rev. Inquirente habet sane: « Festa solemniora Patronorum prin-

cipalium », sed haec locutio probat tantum, esse excludendos Patronos minus principales; et dato etiam quod loquatur de solemniori inter solos principales, ut supra diximus, quis decernet iusto criterio quinam est solemnior? Criterium de feriatione in populo non satisfacit, quia non semper populus iustum sensum liturgicum habet, et Ecclesia non debet populum absque discretione sequi. Et quid ageretur quando populus duos recoleret Patronos pari solemnitate? Sed et vide quid decretum continet: « Ita ut non amplius teneantur ad Officia alicui regno, provinciae aut dioecesi concessa »; ergo; ex explicita declaratione S. Sedis, sensus apprime determinatur; excluduntur nimirum Officia *concessa*, non vero quae *de iure* coli debent. Insuper S. Congregatio, antequam regulas traderet circa festa localia, quae a Religiosis recoli debeant, mentem suam aperuit, et explicite declaravit, subsequens decretum respicere tantum festa *ex mero indulto S. Sedis* alicui regno, provinciae aut dioecesi concessa, de quibus quaestio quoad obligationem pro Regularibus, quam quaestionem S. C. *dirimere voluit.* Affirmavit vero S. Congregatio, in illo decreto nullo modo tradere regulas, docentes *quaenam festa localia sub competenti ritu ex lege generali, Regulares Calendarium sive dioecesanum sive proprium habentes celebrare teneantur,* quod *perspicue docent* (sunt verba S. C.) *rubricae ad normam Bullae « Divino afflatu », tit. IX, nn. 2 et 4.* Unde clare patet, normam non esse desumendam ex decreto 28 febr. 1914, sed ex rubricis citatis. Hae porro habent (n. 4): « Festum Patroni principalis oppidi, vel civitatis, vel dioecesis, vel provinciae, vel nationis clerus saecularis et regularis ibi degens, et Calendarium dioecesanum sequens, sub ritu duplici I classis cum octava celebrabit: Regulares vero ibidem commorantes et Calendarium proprium habentes, idem festum, quamvis feriatum numquam fuerit, eodem ritu celebrabunt, absque tamen octava ». Ergo, neque feriatio in populo aut in iure est criterium solemnitatis in casu, neque distinctio facienda est inter Patronos quos clerus saecularis celebrat. Quum enim rubrica dicat: Festum Patroni, et non

Patronorum, etiam loquens de clero saeculari, nequit fieri distinctio, quando agitur de regulari. Patronus igitur supponitur unicus, sed, si plures sunt, reipsa cum omnibus iuribus hi ab, utroque clero recolendi sunt.

At quomodo solvitur difficultas quae oritur ex verbo *solemniora*, quo usum est decretum 28 februarii, quoad festa Patronorum principalium? Respondemus dicentes, illud verbum *solemniora* esse referendum ad festa quae plura essent de uno Patrono, vel respective de pluribus, et non ad festa illius inter Patronos, qui gaudet sive apud clerum sive apud populum *maiori* solemnitate. Sunt enim plura loca in quibus festum Patroni principalis pluries in anno recoli consuevit; si ergo Regulares proprium Calendarium habentes in huiusmodi locis versentur, non tenentur nisi ad unicum et solemnius festum istius Patroni.

Manet ergo vera sententia, qua festa omnium et singulorum, si qui sunt, Patronorum principalium, etiam a Regularibus sunt recolenda, etiamsi proprio gaudent Calendario.

II. Possuntne Regulares omittere Officia illorum Patronorum principalium, qui ut tales recolebantur a clero saeculari ante reformationem Calendarii, quae tamen post correctionem in Calendario dioecesano non amplius ut Patroni principales notantur?

Resp. Nedum possunt, imo omittere debent; nullo enim titulo id agerent, nisi aliunde procederet: si patronatus principalis cessavit, cessavit non solum obligatio, sed et ius ad eos Sanctos uti tales recolendos.

III. Quid agendum a Regularibus in Liguriae diversis dioecesibus degentibus, quoad festum S. Ioannis Baptistae, qui in Calendario archidioecesis Genuensis signatur ut Patronus principalis totius Liguriae, in Calendariis autem aliarum dioeceseon Liguriae non amplius consideratur ut Patronus Liguriae?

Resp. Res est facilis momenti; interrogetur legitima auctoritas, sive localis, sive Romana; quia non est quaestio de *consideratione*, sed de *legitima recognitione*.

IV. Hucusque a Capuccinis provinciae Genuensis recitatum fuit Officium S. Catharinae Viduae Genuensis, ritu dupl. I cl., et quidem cum octava in ecclesia ubi eius corpus asservatur. Quaeritur, an, post decretum 22 maii 1914, illud festum possit adhuc a Capuccinis celebrari eodem ritu, sine speciali privilegio vel indulto, post illud decretum obtento; aut saltem possit celebrari in ecclesia ubi asservatur corpus, ad normam responsionis datae ab *Ephemeridibus* an. 1914, pag. 302? Dubium autem, quoad hanc ultimam partem, oritur ex eo quod proprie non asservatur in ecclesia, sed in aliqua cappella, ecclesiae attigua.

Resp. Celebrandum est festum in ecclesia coenobii in qua corpus asservatur sub ritu duplici II classis, *abolito ritu superiori,* uti se exprimit decretum 22 maii 1914, I. Ephemerides tamen nequiverunt loco citato loqui de hoc decreto, quia editum est post impressum fasciculum mensis maii. Cappella, de qua est sermo, putamus unum moraliter, et iuri Regularium conformiter, putari cum coenobio seu domo religiosa.

V. In conventu Capuccinorum Vultabii, die 5 octobris, occurrit dies 2 infra octavam S. Francisci, Ordinis Fundatoris, et dies 7 infra octavam S. Michaelis Archangeli, Titularis ecclesiae conventus. Quaenam e duabus octavis praevalere debet? Festum S. Michaelis est feriatum de iure cum feriatione suppressa, festum vero S. Francisci, si non de iure, saltem de facto apud nos Capuccinos cum feriatione et populi concursu celebratur.

Ex hoc deducunt quidam, factum feriationis praevalere feriationi de iure, sed suppressae, et proinde in casu praevalere octavam S. Francisci. Rectene procedit ista conclusio iuxta ea quae Doct. Piacenza docet in *Ephemeridibus* 1914, pag. 150 ad VII?

Resp. Recte procedit, dummodo tamen *reipsa,* et non *putative* tantum, feriatio habeatur in festo S. Fundatoris; qua de re ipsi Religiosi videant, praesertim post generale decretum pro abolitione festorum.

E Monte Regali, in Pedemonte. — I. Prima dies libera ianuarii, ad Missam pro defunctis conventualem celebrandam est dies octava simplex S. Ioannis Ap. et Ev.

II. In praefata die octava non est dicendum *Credo*; quamvis enim eius dies festus gaudeat Symbolo, eo quod octava sit simplex, haec illud non admittit, iuxta decretum S. R. C., n. 4192, in cuius dubio asseritur, neque a S. C. denegatur, eiusmodi principium.

III. Attamen eodem die non dicentur preces ad Primam et Completorium, id enim iuris retineri debet, nulla obstante ex novis S. Sedis dispositionibus.

IV. Feria IV Cinerum, in Vesperis de sequenti nequit commemoratio feriae praecedere aliam commemorationem de duplici vel semiduplici, quia feria numquam concurrit, etsi in Quadragesima fiat etiam in Vesperis commemoratio illius, id est ob continuationem, non vero ob ius aliquod ad primas vel secundas Vesperas.

V. Patroni minus principales, etiamsi sub ritu duplici II classis recolantur, nequeunt gaudere *Credo* in Missa, non enim qualitas Patroni secundarii, non ritus illud admittunt.

VI. Dies libera ad Missam resumendam Dominicae praecedentis impeditae, est prima feria hebdomadae, in qua non occurrat Officium festivum, neque simplicis ritus.

E Gravina in Apulia — Vi coactae, Sorores Theresianae, in monasterium Sororibus a S. Dominico pertinens translatae sunt. Utraque Communitas in choro Officium persolvit, horis quidem diversis, sed in eodem loco unius ecclesiae. Missam conventualem unaquaeque celebrare facit iuxta proprium Calendarium, ac insuper, Communitas Theresiana, aliquo recurrente festo proprii Ordinis, Missas alias plures de eodem festo, etiamsi altera Communitas aliud festum celebret. Id non solum irregulare aliqui iudicarunt, sed praetendunt quod Sorores Theresianae neque Missam unam respondentem proprio Officio, quod non sit conforme Calendario Sororum S. Dominici, habere valeant. Quid iuris?

Resp. Quatenus reipsa fieri nequeat, ut Sorores The-

resianae saltem oratorium sibi proprium, legitime approbatum ad satisfaciendum chorali oneri, possideant, et cogantur in aliena ecclesia Officium et Missam persolvere, hoc tantummodo ius et onus illis inest et incumbit, ut Missam conventualem Officio sibi proprio conformem, diverso autem ab illo quod persolvunt Sorores S. Dominici, celebrare faciant, non autem alias Missas, quocumque die. Est ius, quod ex lege universali procedit, est onus a quo nequeunt ullo modo dispensari. Alias vero Missas, diversas a Calendario Sororum S. Dominici, nullo titulo requirere valent.

Pro Neapolitana archidioecesi. — I. Festa in aliquibus locis penitus abolita, ita consideranda sunt, tamquam si numquam fuerint in Calendario illorum proprio introducta. Hinc, si, recurrente die natali alicuius Sancti iam nunc a Calendario expuncti, velit quis, permittente ritu, illius Missam votivam celebrare, nequiret id peragere, nisi agatur de Sancto in Martyrologio rite descripto, et quidem non cum Missa de veteri proprio, quod relate ad illum Sanctum nullam amplius habet auctoritatem, sed cum Missa de Communi, in qua dicetur *Gloria,* ratione festi; est nimirum Missa votivo-festiva. Notetur, quod sub appellatione *Proprium* intelligenda est etiam pars Missalis, quae in editionibus hucusque existentibus invenitur generatim pro aliquibus locis; non enim, etiam prius, poterat quis illa parte uti, nisi quatenus concessio legitime facta fuerit dioecesi, instituto, ecclesiae.

II. Si intra Missam conferuntur Ordines minores tantummodo, Collecta pro ordinandis recitanda est, prout eruitur e Pontificali Romano, dicente, in ordinatione Diaconi, generaliter: « cum oratione pro ordinatis (usque ad subdiaconatum) et pro ordinandis (Diaconis etc.) ».

III. Si Episcopus primam Tonsuram conferat seu Ordines Minores extra Missam, stola utetur albi coloris, ita disponente rubrica additamenti ad Pontificale, etiamsi in Missa Ordinationis uteretur paramentis violaceis in quatuor

temporibus, coloris autem diei, quando Missa celebraretur extra tempora.

Pro dioecesi Nanceiensi. — I. Die 1 maii 1916 in Vesperis SS. Apostolorum Philippi et Iacobi facienda est commemoratio sequentis, S. Marci, et non a capitulo, quia SS. Apostoli gaudent iure feriationis, quamvis sit suppressa.

II. Die 2 maii 1916, Vesperae integrae sunt de festo Inventionis S. Crucis, cum commemoratione S. Marci, eo quod Inventio S. Crucis sit festum antiqua feriatione gaudens.

III. Die 13 aprilis 1916, si celebretur Missa de S. Hermenegildo, quamvis sit tempus Passionis, in cuius temporis Missis habentur duae tantum orationes, tamen tres orationes sunt dicendae, quia Missa eiusmodi votiva profecto non est de tempore, et celebrari debet iuxta rubricas generales Missalis.

IV. Die 11 novembris, festo patronali S. Martini in plurimis locis, etiamsi occurrat dies anniversaria Dedicationis ecclesiae cathedralis, agendum est de S. Martino, si tamen cum feriatione consueverit, ante suppressionem festorum, celebrari; quia feriatio, etiam suppressa, est titulus praelationis supra dignitatem personalem; secus autem, faciendum de anniversario Dedicationis, utpote digniori, non obstante relativa maiori proprietate festi patronalis non feriati.

V. Circa solemnitatem S. Ioannis Baptistae, videatur solutio data in fasciculo mensis septembris, pagg. 556-559.

VI. Standum Calendario novissime approbato et legitime vulgato, circa festa Sanctorum, qui sub unico Officio nunc sunt recolendi, etiamsi desiderentur adhuc lectiones et orationes propriae; quo in casu, sequendae sunt regulae ab auctoribus traditae, ut nempe recurratur ad Commune respectivum, quatenus opus sit, etiam convertendo in pluralem numerum eas orationes, quae sunt in unico Communi unius Sancti. Lectiones vero legantur, si habeantur propriae de singulis, prout melius congruens erit. Nequiret

prorsus ignorantia affectari Calendarii, et ut prius de singulis festis separatim peragi, hoc nimiam deordinationem induceret, et arbitrium nulla excusatione sustinendum.

M.

BREVIORA RESPONSA

Pro Gallia. — Apud « Acta Apostolicae Sedis », in numero edito die 23 aprilis 1914, pag. 193, referente Officium et Missam SS. Reliquiarnm, approbata a S. R. C. sub die 4 aprilis, eodem anno, in lectionibus II Nocturni de tractatu S. Ioannis Damasceni depromptis, verba: *ad sedandam Samsoni sitim,* in quarta lectione, non sunt habenda uti errata, quamvis in aliis editionibus, v. gr. lectionibus, quae in antiquis Breviariis aderant pro aliquibus locis, legantur ita: *ad sedandam Samsonis sitim*; quia in editione typica Vaticana Proprii pro clero romano habentur uti in « Acta ». Secus autem dicendum de verbis: *et honor, quo Sanctos suos efficit;* error adest in postrema hac voce, quae legenda est: *afficit,* prout in citata typica editione Proprii romani.

Pro Parisiis et aliis locis. — I. In Ordine, Romae apud Pustet edito, iuxta Kalendarium Ecclesiae Universalis, legitur, pro Vesperis Sabbati, die 18 novembris anni proximi 1916: « In Dedicatione Basilicarum Ss. Petri et Pauli App.: Vesp. de seq. Dom., com. praec., S. Elisabeth Vid. ac S. Pontiani P. M. « Haec indicatio videbatur falsa, et reipsa: *a)* Festum Dedicationis cuiuslibet ecclesiae est festum Domini (Rubr. nov., tit. IX, n. 1). — *b)* Dominicae minores cedunt (in concurrentia) omnibus Festis Domini (Rubr. nov., tit. VI, n. 2). Item (Notanda in Tabellis occurr. et concurr., n. 10), Festa Domini in concurrentia, Dominicae minori praeferuntur; unde Officium, in supradictis Vesperis, ita ordinandum erat: « In Vesp. com. seq., S. Elisabeth ac S. Pontiani ».

In Kalendario *Ephemeridum Liturgicarum*, edito die 15 aprilis 1915, quod in favorem sententiae huius licet interpretari, pag. 234, aliquod irrepsit mendum: « In Vesp. com. Dom., praec., S. Elisabeth Vid. ac S. Pontiani P. M. ». Mentio « in Vesp. » indicat de more Vesperas esse ipsiusmet festi, in casu, Dedicationis Basilica-

rum Ss. App. Petri et Pauli: et mendum adest post com. Dom. (i. e. seq.), illa « com. praec. », quod est ipsum festum Dedicationis, de quo Vesperae ordinantur integrae. Ut rite omnia fiant, et aequivocationes arceantur haec voluminus notata.

II. In Kalendarii specimine pro anno 1916 *Ephemerides Liturgicae* in II Vesperis Transfigurationis D. N. I. C. praescribunt commemorationem S. Donati; hoc etiam est mendum, ex antiquis Kalendariis, quando dictum festum colebatur sub ritu duplici maiori, ex inadvertentia mutuatum.

Pro dioecesi Veronensi. — I. In processionibus Litaniarum maiorum et minorum mos est ut per viam cantentur Litaniae Sanctorum (quae duplicantur) usque ad ℣. *Omnes Sancti et Sanctae Dei, intercedite pro nobis.* Et si adhuc longior sit via, denuo incipiantur a ℣. *Sancta Maria,* et repetantur. Quum vero processio pervenerit ad ecclesiam in qua finis fiet, clero genuflexo in infimo altaris gradu, recitantur ceteri versus: *Propitius esto* etc. cum precibus usque ad finem. Num recte?

Resp. Consuetudines peculiares servari possunt, quando sunt rationabiles et legitime praescriptae. Nunc vero, quaenam potuit esse laudabilis ratio consuetudinis in casu? Maior devotio, seu severior spiritus poenitentiae, ut dicantur invocationes *Propitius esto* etc. flexis genibus? Si haec est ratio, nobis non videtur rationabilis neque laudabilis, quia, cum in Rituali Romano Rubrica (tit. IX c. 4, n. 4) habeat: « Si Processio sit longior, vel repetantur Litaniae, vel Litaniis absolutis, usque ad preces exclusive, dicantur aliqui psalmi ex poenitentialibus, seu gradualibus, hymni vero vel cantica laetitiae in iis (Litaniis maioribus) vel in Rogationibus, aut aliis poenitentiae causa institutis processionibus, non dicantur », non est putandum quod sit melius Litanias complere intra ecclesiam et extra processionem. Quomodo posset dici ita perfici processionem Litaniarum, dum processio interrumpitur ibi praecise, ubi incipiunt variae invocationes, varios sensus exprimentes, iuxta diversas necessitates vitae? Invocatio Sanctorum quasi diceretur praevia fini quem sibi proponit Ecclesia in hisce Litaniis, historia s. Liturgiae teste, et non obiectum saltem praecipuum earum.

II. In Officio defunctorum, quod in ecclesia ad instantiam fidelium decantatur, viget consuetudo ut post Nocturnum, loco Laudum, recitentur Litaniae Sanctorum usque ad ℣. *Omnes Sancti et Sanctae Dei, intercedite* etc. Quaeritur, utrum post Nocturnum

vel post Litanias dicendae sint Preces *(Pater noster* et versus*)* cum Oratione convenienti, ut praescribitur in Officio defunctorum ad finem Vesperarum?

Resp. Ita agendum in casu, ut Litaniae videantur et sint omnino separatae a Nocturno defunctorum, quia secus appareret novus ritus arbitrio creatus. Hinc, cum semper liberum sit recitare unicum Nocturnum, etiam in depositione defuncti, nisi aliqua ex parte exsurgat obligatio de ceteris adiiciendis, cum vel sine Laudibus, Nocturnum concludatur ut praescribitur in Breviario romano, scilicet, post Responsorium tertium dicantur *Pater noster* et preces, ut notatur post Vesperas, cum convenienti oratione, ℣. *Requiem aeternam,* alioque *Requiescant in pace.*

Pro dioecesi Imolensi. — In aliquo oratorio publico, quod est et sacellum sepulchreti cuiusdam nobilis gentis, quotannis celebratur anniversarium fundatum pro defunctis illius familiae, quod non habet sedem fixam, nam testator statuit mensem, non diem, pro illius celebratione. Cum autem singulis annis exoriatur quaestio circa modum ordinandi Officium et Missas, hodiernus Rector oratorii petit a viris Liturgiae peritis certam huius dubii solutionem.

Resp. Anniversarium huiusmodi neque verum neque late sumptum est anniversarium, neque proinde ullo gaudet privilegio circa eligendos dies, qui non admittunt Missas privatas de requie. Unde fit ut, si dies libera inveniatur, determinato mense, celebrari possit, secus negative, et in hoc casu, amandari debeat in proximam diem liberam. Attamen, si statueretur, semel pro semper, aliquo fixo die mensis celebrari, posset etiam in duplici maiori constitui; quia si id valet pro defunctis designatis in decreto S. R. C., n. 3213, V, non est cur denegari debeat in casu.

Pro dioecesi Salutiarum. — I. Dominica III post Pascha, prout Dominica I Octobris, privilegium celebrandi Missas de externa solemnitate, estne *limitatum* ad *ecclesiam in qua celebratur externa solemnitas?*

Resp. Decretum S. R. C., diei 28 octobris 1913, habet: « Ubi solemnitas externa festorum... in ipsa Dominica celebratur », non distinguens dioeceses, instituta, nationes, civitates, oppida, paroecias, ecclesias. Concludere inde licet, privilegium, de hac solemnitate celebranda, esse locale, quantumvis tandem pateat locus in quo exercetur, vel sit limitatus. Si solemnitas indicitur in tota dioecesi, singulae ecclesiae dioecesis privilegio potientur; si indicitur

apud institutum, singulae ecclesiae et oratoria instituti privilegium in actum deducent; si apud unam vel aliquot determinatas ecclesias, ibi applicabitur decretum.

II. Salutiis celebrabatur festum S. Chiuffridi, Patroni Civitatis et Dioecesis, sub ritu duplici I cl. cum octava, prima Dominica septembris; nunc defixum est primae diei mensis eiusdem. Verum, extra cathedralem, paucis in ecclesiis festivitate exteriori celebrabatur; imo tantum fere in publicis sacellis, prout nunc, locum habebat, non vero in ecclesiis parochialibus. Quaeritur: Privilegium celebrandi omnes Missas, exceptis Conventuali et Parochiali, ad cathedralem restringendum est, et ad illa oratoria, an extendi potest ad universam dioecesim?

Resp. Nulla facta distinctione, num prius solemnitas externa Patroni haberetur in hac vel illa ecclesia, nova lex applicari potest, et poterit semper in posterum, quando in praxim deducitur conditio decreti 28 octobris 1913, quod nempe aliquo in loco, regione, ecclesia, illa Dominica, cui olim affixum erat festum S. Patroni, reipsa externa illius solemnitas celebratur.

III. Capitulum cathedrale, si recitet ex integro, sine cantu, Officium iuxta Calendarium, potestne canere primas et secundas Vesperas S. Chiuffridi, Patroni, in solemnitate externa, cum rubris paramentis etc.?

Resp. Omissa quaestione de cantu quoad Officium diei, qua de re videat Capitulum, respondemus de cetero affirmative, iuxta decreta S. R. C., nn. 3365, X; 3441; 3450; 3624, XII. Conditio autem, de non omittendis Vesperis iuxta Calendarium, omnes et singulos tangit; ita ut, sive in choro, sive extra chorum pro iis qui ad illum non tenentur, omnino persolvi debeant.

Pro Lucana archidioecesi. — I. Contra solutionem XII in *Ephemeridibus Liturgicis,* anno 1915, pag. 566 — Nisi abrogata dicere velimus, Decreto n. 4059, III, opponuntur Decreta nn. 2974, I; 3365, IV. Praeterea haud falli mihi videtur qui dicere malit, Decretum n. 4059, III dixisse de sola Commemoratione Officii currentis, quia de hoc tantum quaesitum erat a S. Congregatione.

Resp. Videamus quid dicant decreta in oppositum citata. Decretum n. 2974, *Tornacen.*, ad I, loquitur de Missis cum cantu praescriptis ex indulto Cardinalis Caprara, ubi alia non canitur Missa de Dominica vel festo, et respondet, *in casu,* addendas esse commemorationes; nihil porro dicit de numero et qualitate earum,

et quia in dubii expositione petebatur, an addenda esset commemoratio Dominicae vel festi occurrentis, pronum est ut responsio intelligatur iuxta petitionem. Animadverte igitur, nequire decretum huiusmodi applicari casui nostro, quia datum est pro solo *casu particulari*, de quo erat quaestio, et quia, cum responsio referatur ad commemorationem Officii Dominicae vel festi, redit difficultas circa *reliquas* commemorationes. Decretum n. 3365, *Clodien.*, ad IV, quaestione tertia, an scilicet, quando obtentum fuit ab aliqua ecclesia privilegium vel canendi Missam vel omnes Missas recitandi, quae non concordant cum Officio illius ecclesiae, si non cantatur Missa de Officio, debeant in Missa solemni adiungi oratio de Officio et aliae orationes praescriptae? respondet: « Orationem Officii diei et aliorum occurrentium, in Missis privatis, addendas esse, et etiam in illa cum cantu, si de festo currenti prius alia Missa non celebretur, nisi aliter constet ex speciali indulto ». Quomodo decretum hocce casui nostro solvendo inservire queat, non videmus, hic quoque non fit quaestio de ritu festi quod translatum est quoad solemnitatem, et, e contrario, haec est quaestio quae nos implicat; fit in eo differentia inter Missam cum cantu et lectas, necnon de alia Missa celebranda vel non, et ut in alia solutione diximus haec omnia nos reddunt ancipites, ac rursus concludimus, nil melius fieri posse, quam S. Congregationi rem subiicere.

II. In nonnullis ecclesiis ruralibus, ubi Ss. Eucharistia habitualiter asservatur in altari maiori, saepe accidit ut occasione novendialium, mensis marialis etc. ad aliquod altare secundarium, ubi fiunt fuctiones, deferatur, ibiqui relinquatur per omnes novem dies aut per totum mensem etc. Id ne opponitur ullis liturgicis legibus, aut saltem officit *privilegio* altaris maioris, quod eatenus *privilegiatum* declaratur, quatenus in eo Ss. Eucharistia asservatur?

Resp. Prohibitio facta per decretum S. R. C., n. 3104, XIII, videtur ita intelligenda, ut non liceat, occasione novendialis aut alicuius festivitatis, transferre SS.mam Eucharistiam ad aliud altare, remanente eadem Eucharistia in aliis altaribus eiusdem ecclesiae; liceat vero, si pluribus in altaribus eodem tempore non asservetur. Haec enim est praxis communissima, etiam Romae, et in observantioribus ecclesiis retenta. Satis ergo erit si servetur decretum n. 1946, III: « Sanctissimam Eucharistiam servandam esse in uno tantum altari, designando ab Episcopo ». Hinc, accedente Episcopi assensu, nihil vetat quominus aliquando varietur residentia SS.mi Sacramenti. Quod spectat autem privilegium altaris, stetur

indulto; ita ut. si in eo dicatur v. gr. « ubi habitualiter servatur SS.mum Sacramentum », privilegium non faveat nisi altari ordinariae residentiae, si vero dicatur: « altare SS.mi Sacramenti », vel « altare in quo SS.ma Eucharistia asservatur », faveat cuilibet altari pro quo vera est locutio. Excludenda semper est, ut patet, residentia omnino precaria, seu occasionalis.

III. Solutio n. V in *Ephemeridibus Liturgicis*, anno 1915, pag. 563 haud satis arridet. Procul dubio si sermo sit de feria II, feriae III et V erunt *insequentes*. At quando agitur de feria V, quomodo feriae II et III iam praeteritae dici possunt *insequentes?* Optime si vox *insequentium* afficeret ferias in quas Lectiones transferendae sunt; at contra afficit ferias, quarum Lectiones transferri debent.

Resp. Satis est si vel semel locutio vera sit, ideo enim dictum est « quatenus opus sit ». Impedita feria II, nulla difficultas, assentiente rev. Inquirente; impeditis II et III, similiter transferuntur lectiones feriae II, prout et III et V, quae sunt item sequentes. Igitur non semel tantum, quod erat sufficiens ad iustam reddendam locutionem, sed bis redditur vera.

IV. Adhuc de Missis lectis defunctorum in die aut pro die obitus infra octavas Paschatis et Pentecostes. — *Ephemerides Liturgicae* eas licere asseruerunt anno currenti, pag. 115, et iterum 252, ea ductae ratione quod non sit supponendum S. Congregationem sub locutione *feriae* intelligere voluisse *dies infra octavas*. Quidquid sit de mente S. Congregationis, hoc certum est quod in Rubricis generalibus Missalis, tit. VI, legitur: *Dominica Pentecostes cum* **duabus sequentibus Feriis.** Nonne eiusmodi locutio in Missali argumentum ab *Ephemeridibus* allatum destruit?

Resp. Locutio *feriae,* in rubricis generalibus, loco citato, stat ad indicandum *diem,* quin aliquid implicet circa Officium ipsius diei. Feria vero in sensu novae legis, circa Missas pro defunctis in die aut pro die obitus, est in sensu Officii; et praesertim instamus in comparatione locutionis ordinariae, quae distinguit, quando S. Sedes voluit, ferias a diebus infra octavas, dicens: « exceptis feriis, vigiliis et octavis privilegiatis ».

V. Contra solutionem n. VIII, anno 1915, pag. 564 — Libenter concedo, mentem S. Congregationis fuisse ut diebus enumeratis in novo Psalterio, tit. X, Missae votivae quae non sint pro defunctis etiam in cantu prohibeantur. At nego, verba prima vice esse diversa:

« *Prohibentur Missae votivae* **privatae,** *aut* **privatae** *pro defunctis* ». Ubi diversitas? Si pro defunctis vox *privatae* idem est ac *lectae*, quare non pro aliis? Potius mihi dicendum videtur, n. 5, S. Congregatio amovere voluisse non parvam obscuritatem, quae n. 2 invenitur, seu melius dicta n. 2 aliquatenus temperare et quasi emendare.

Resp. Plane convenimus cum rev. Inquirente, si bene res consideretur, in solutione citata: quod obscurum est in locutione n. 2, elucidatur in altera n. 5. Quod prius lex non distinxit, sed consueta locutione descripsit, postea distinxit, ut aequivocatio omnis arceretur. Non diximus verbum « privatae » in: *privatae, pro defunctis*, esse diversum ab alio « privatae » in: *privatae votivae*, sed diximus, verba, *in citatis locis*, scilicet, prius n. 2, et postea n. 5.

M.

THEOLOGIA LITURGICA

(Continuatio: V. n. 8 curr. an., pagg. 509-512).

90. « *Tres sunt de paradiso*, notat S. Augustinus, *generales sententiae; una eorum qui tantummodo corporaliter paradisum intelligi volunt; alia eorum qui spiritualiter tantum; tertia eorum qui utroque modo paradisum accipiunt, quam mihi fateor placere sententiam* » (1). Super quae verba angelicus Doctor addit: « quae commode dici possunt de intelligendo spiritualiter paradiso, nomine prohibente dicantur: dum tamen et illius historiae fidelissima veritas rerum gestarum narratione commendata tradatur. Ea enim quae de paradiso in scriptura dicuntur, per modum narrationis historiae proponuntur; in omnibus autem quam scriptura sic tradit est pro fundamento tenenda veritas historiae; et insuper spirituales expositiones fabricandae » (2). Quod hic dicitur de paradiso in genere applican-

(1) Super Gen. ad lit. Lib. 8.
(2) I. Quaest. CII, art. 1.

dum est in particulari argumento de quo agimus, idest praecepto abstinentiae ab esu de fructu ligni scientiae boni et mali. Ideo retinenda veritas historica 1° existentiae huius ligni; 2° praecepti divini de non concedendo fructu illius; 3° transgressionis illius praecepti: hinc peccatum progenitorum humani generis.

91. Veritatis historicae huius narrationis biblicae innititur definitio concilii tridentini de peccato originali, his verbis expressa: « *Si quis non confitetur primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressum statim sanctitatem et iustitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse, etc. anathema sit* » (1). Certum est transgressionem mandati Dei a progenitoribus factam fuisse peccatum grave, ut aperte innuunt verba Tridentini « *statim sanctitatem et iustitiam in qua constitutus fuerat amisisse* », quae significant ipsos amisisse gratiam sanctificantem, quae non amittitur nisi per mortale peccatum.

92. Clarius autem hoc patet ex verbis quae sequuntur in citata definitione: « *incurrisseque per offensam praevaricationis huiusmodi iram et indignationem Dei, atque mortem quam antea illi comminatus fuerat Deus, et cum morte captivitatem sub eius potestate qui mortis deinde habuit imperium hoc est diaboli, totumque Adam per illam praevaricationis offensam secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse...* » (2) Quinque ergo sunt mala derivata in homine per suum peccatum: 1° amissio gratiae sanctificantis et donorum supernaturalium quae oriuntur ex gratia; 2° ira et indignatio Dei; 3° subiectio legi mortis; 4° captivitas sub potestate diaboli; 5° commutatio in deterius secundum animam et corpus. De his omnibus agemus in quinque paragraphis distinctis.

§ 1. *Amissio sanctitatis et iustitiae in qua homo constitutus fuerat.*

93. Utrum primus homo creatus fuerit in gratia sanctificante, nec ne, disputant theologi. Concilium tridentinum declinavit quaestionem definiendo hominem constitutum fuisse in sanctitate et iustitia antequam peccaret, et hanc sanctitatem et iustitiam amisisse per peccatum, et huiusmodi amissio fuit primus effectus peccati.

Status iustitiae et sanctitatis in quo constitutus fuerat homo situs erat in gratia sanctificante, quae perficiebat eius naturam et

(1) Sess. V. Decretum de peccato originali, 1.

(2) Loc. cit.

personam, elevans hominem ad consortium divinae naturae, et informans illum perfecta iustitia tam naturali, quam supernaturali. Gratiam sanctificantem sequuntur virtutes supernaturales infusae, charitas Dei in corde diffusa per Spiritum sanctum qui datus est homini iusto, nec non Spiritus Sancti dona et fructus. Tunc autem Adam fuit sicut homo qui incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt, et plagis impositis abierunt semivivo relicto (1). Etenim per peccatum despoliatus fuit bonis supernaturalibus gratiae, et praeterea vulneratus in naturalibus, quatuor vulnera notantur a theologis, scilicet 1° ignorantia in mente, 2° malitia in voluntate, 3° concupiscentiae deordinatio in appetitu, 4° infirmitas in voluntate (2).

94. Dicendo autem hominem vulneratum in naturalibus intelligi nequit illum amississe datum aliquod naturale, scilicet elementum aliquod humanae naturae constitutivum, ex. gr. liberum arbitrium, quod est fundamentum totius moralitatis, ut docuerunt lutherani, calvinistae et alii haeretici, ex peccato originali; contra quos Concilium tridentinum definivit: « *Si quis liberum hominis arbitrium post Adae peccatum amissum et extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo ipso, titulo sine re; figmentum denique a Satana invectum in Ecclesiam, anathema sit* » (3). Etsi autem per peccatum non fuerit extinctum liberum arbitrium mansit tamen debilitatum relate ad bonum morale: est vulnus quod dicitur infirmitas in irascibili.

95. Quoad intellectum vero aliquod detrimentum homo per peccatum passus est; non ita tamen ut rationis lumen obscuratum manserit. Hoc enim cum sit forma obiectiva intellectus est constitutivum essentiale naturae humanae, quod ideo numquam in homine deesse potest. Quod si peccatum detrimentum aliquod homini attulit quoad intellectum hoc non fuit ex parte luminis intellectivi, sed tantum ex parte subiecti, qui propter peccatum defecit ab amore veritatis, quae in rationis lumine splendet.

96. Diximus per peccatum hominem amisisse gratiam sanctificantem et alia dona supernaturalia quae gratiam comitantur, ut sunt inter alia virtutes infusae. Hoc autem intelligi nequit de omni-

(1) Luc. X, 31.

(2) Quod in locutione scholastica dicitur infirmitas in irascibili refertur ad bonum morale; propter hoc locutio scholastica videtur significare moralem infirmitatem.

(3) Sess. VI. Can. V. — Etiam Ianseniani erraverunt circa libertatem arbitrii, tenentes eam stare posse cum necessitate, ut videre est apud theologos.

bus virtutibus infusis, etiam theologicis. Etenim si amisit charitatem quae conciliari nequit cum peccato mortali, non amisit fidem, neque spem; imo fide et spe erecti progenitores nostri adierunt ad thronum gratiae ut misericordiam consequerentur, et per poenitentiam veniam et gratiam obtinuerunt (1).

§ 2. *Ira et indignatio Dei.*

97. Saepissime scriptura sacra loquitur de ira et indignatione Domini, frequentissime etiam nominat furorem Domini; absit autem ut credamus Deum irasci ut homo, scilicet per passionem irae ut est in homine; « ira et huiusmodi, dicit S. Thomas, attribuuntur Deo per similitudinem effectus; quia enim proprium est irati punire punitio eius ira metaphorice vocatur » (2). Sicut ergo peccatum punitionem meretur; et Deus per suam iustitiam reddit unicuique iuxta opera sua, et ideo punire vult peccata, haec voluntatis dispositio in Deo metaphorice vocatur ira, et indignatio, et furor, iuxta maiorem gravitatem culpae, et maiorem manifestationem voluntatis Dei ad puniendum. Hinc patet ratio qua tam saepe in lege veteri legatur ira Domini in furorem versa contra populum Israel, qui propter duritiam cordis non nisi per minas et flagella ad Deum convertebatur; dum e contra numquam fit sermo de furore Domini in lege nova, quae est lex gratiae et misericordiae.

98. Ira autem et indignatio Dei in progenitores perduravit quoadusque per poenitentiam macula peccati deleta non fuerit. Nam ex peccato actuali sequitur in anima macula, quae dicitur peccatum habituale (3), et manet in anima post actum peccati, reddens eam impuram, et Deo aversabilem. Pro huius rei intelligentia notandum est cum Ven. Bellarmino quod peccatum dupliciter sumitur: uno modo pro libera transgressione praecepti; alio modo pro eo quod, post actum transgressionis praecepti manet in anima. Quamvis autem quod remanet in anima post actionem sit aliquomodo effectus

(1) Cf. Corso di Scienza Liturgica. Libro primo, n. 75 e segg.

(2) 1. Quaest. III, art. II, ad 2m.

(3) Hic advertendum est quod dicendo *peccatum habituale* non debet intelligi habitus peccandi, ut facile evenire posset alicui locutionibus scholasticis non assueto. Quod hic dicitur peccatum habituale est id quod S. Thomas et alii antiqui appellabant maculam, causatam a peccato, et manet in anima post peccatum donec deleatur per gratiam.

eiusdem actionis, tamen est etiam aliquo modo idem cum ipsa actione; et ideo non per figuram metonymiae, sed proprie, dicitur peccatum; et duplex illa significatio peccati non est significatio duarum rerum, sed unius et eiusdem, alio atque alio modo se habentis (1). Quapropter non inepte quod remanet post actum considerari potest veluti continuatio eiusdem, scilicet continuatio peccati; et hac ratione retinet nomen peccati.

99. Quid est autem quod remanet in anima peccatoris post actum peccati? Remanet macula. Sed macula quid importat? Iuxta S. Thomam « macula importat quemdam defectum nitoris propter recessum a lumine rationis, vel divinae legis, et ideo quamdiu homo manet extra huiusmodi lumen manet in eo macula peccati » (2). Praeterea in peccato duo sunt distinguenda, scilicet actus et reatus: peccatum transit actu, sed manet reatus. Reatus vero duplex est: 1° debitum reparationis seu satisfactionis pro honore divino dempto per peccatum; 2° reatus poenae. Peccare est Deum exhonorare, seu auferre illi honorem debitum; hinc debitum, seu reatus satisfactionis. Et huic duplici reatui obstricti manserunt progenitores humani generis donec per condignam poenitentiam divinae iustitiae non satisfacerint. Quod fecerunt: nam de primo parente scriptura testatur quod sapientia eduxit illum a delicto suo (3); et traditio comuniter a Patribus accepta tenet quod progenitores per poenitentiam consecuti sunt vitam aeternam.

§ 3. *Mors.*

100. « *Deus creavit hominem inexterminabilem* » (4), idest immortalem, ut legitur in sapientià, et definitum est in Concilio milevitano his verbis: « *Quicumque dixerit Adam primum hominem mortalem factum, ita ut, sive peccaret, sive non peccaret moreretur in corpore, non peccati merito, sed necessitate naturae, anathema sit* » (5). Immortalitas autem primi hominis non erat conditio naturae, ut tenuit Baius, cuius sententia damnata fuit sub S. Pio V (6);

(1) De amissione gratiae et statu peccati. Lib. V. Cap. XVII.
(2) 1. 2ae Quaest. LXXXVI. Art. 1.
(3) Sap. X, 2.
(4) Ib. II, 23.
(5) Conc. Mil. Cont.
(6) Constit. *Ex omnibus*. An. 1567.

sed beneficium gratiae ratione status innocentiae. Deus hominem fecit, dicit S. Augustinus, qui quamdiu non peccaret immortalitate vigeret, ut ipse sibi auctor esset aut ad vitam, aut ad mortem. Non enim corpus eius erat indissolubile per aliquem immortalitatis vigorem in eo existentem, sed inerat animae vis quaedam supernaturaliter divinitus data, per quam poterat corpus ab omni corruptione praeservare, quamdiu ipsi Deo subiecta mansisset (1). Erat ergo originalis iustitia fons incorruptibilitatis, seu immortalitatis corporis humani in sua prima institutione; quia in illo statu non solum inferiores animae vires continebantur sub ratione absque omni deordinatione, sed totum corpus continebatur sub anima absque omni defectu (2).

101. Praeterea tuitioni vitae in statu innocentiae proderat optima complexio corporis habita in creatione, esus ligni vitae quod plantaverat Deus in medio paradisi, quod in sententia S. Augustini virtutem habebat impediendi quod senectus dissolveret corpus hominis, dum alii cibi restaurarent deperdita. Haec autem virtus animae divinitus homini innocenti data, per quam poterat corpus ab omni corruptione praeservare illud praeservare poterat etiam ab infirmitatibus et doloribus et malis omnibus corporalibus, quibus tam saepe angitur homo in praesenti vita.

102. Sed donum incorruptionis et immortalitatis homini concessum in statu iustitiae originalis, cessante hoc statu, ablatum est; et homo incurrit in damnationem mortis, quam illi Deus antea comminatus fuerat. Unde illud Apostoli « *per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors* » (3); et « *stipendia enim peccati mors* » (4). Sed quod formidabilius est: non tantum mortem corporis peccatum attulit homini, attulit etiam mortem ani-

(1) Cf. S. Thom. 1. Quaest. XCVII. Art. 1.

(2) Id. 1. 2ae Quaest. LXXXV. Art. V. Quoad potestatem, seu virtutem spiritus in corpus, sive matariam in genere, digna sunt consideratione plura quae narrantur de quibusdam sanctis: ex. gr. S. Iosephus a Cupertino pluries volavit in aera, manebat in aere suspensus, super cereos altaris accensos absque laesione vestium; similia narrantur de aliis sanctis. Haec facta sunt signa virtutis animae sanctorum illorum in sua corpora per suspensionem gravitatis et combustionis. In sessionibus spiritismi, per virtutem spirituum aliqua corpora levissima fiunt ponderosissima, et viceversa, emittuntur soni cuiuscumque speciei absque instrumentis, pariter scripta variis linguis ac characteribus ad libitum circumstantium, et alia facta huius generis ostendunt in spiritibus virtutem agendi super materiam et a legibus materiae independenter. Haec autem certis limitibus coarctata est absque dubio, ut omnis virtus creata.

(3) Rom. V, 12.

(4) Ib. VI, 23.

mae; de qua morte loquitur Iacobus in sua epistola canonica, scribens: « peccatum cum consummatum fuit generat mortem » (1). Ceterum, sicut anima unita corpori dat corpori vitam, et corpus vitam amittit cum ab eo separatur anima; ita anima vitam habet ex unione cum Deo per gratiam et charitatem; dempta autem per peccatum hac unione, dempta etiam est vita; ita peccatum dat mortem animae.

103. Attamen notanda est differentia inter mortem a peccato illatam corpori hominis, et mortem illatam animae in hoc quod non statim post peccatum poena mortis corporis homini inflicta fuit; vixit enim pluribus annis post peccatum; sed mortem animae subiit statim post peccatum. Est et alia differentia: quod mors corporis irreparabilis fuit; morti autem animae reparare potuit per poenitentiam. Ita morti animae, in quam incurrerunt per peccatum progenitores nostri, reparaverunt per poenitentiam, et vitam gratiae recuperaverunt (2).

104. Denique in aliam mortem incurrit homo per peccatum, scilicet in mortem aeternam, quam meretur omne peccatum mortale, quod fuit praevaricatio progenitorum, quam ipsi non effugissent nisi poenitentiam egissent.

§ 4. *Captivitas sub potestate diaboli.*

105. « *Qui facit peccatum servus est peccati* » (3), ait Dominus, et fit servus diaboli: qui enim peccat adhaeret diabolo, quoniam ab initio diabolus peccat: peccatum est vexillum regni eius, unde qui facit peccatum sub vexillo diaboli militat. Progenitores autem praevaricati sunt, quia crediderunt serpenti, et adhaeserunt tentationi eius, comedendo de fructu ligni a Deo vetiti, et ideo serpenti, idest diabolo, adhaeserunt et obedierunt, Apostolus ad romanos scripsit: « *Nescitis quoniam cui exhibetis vos servus ad obediendum servi estis eius cui obeditis?* » (4); et hoc fuerunt progenitores assentiendo tentationi diaboli, et verbis eius praestando fidem contra praeceptum Domini. Praeterea: « *a quo quis superatus est, et huius*

(1) Iacob. I, 15.
(2) Ib. VI. 23.
(3) Ioan. VIII, 34.
(4) Tom. VI, 16.

servus effectus est » (1). Hoc est autem quod factum est in paradiso, quando progenitores nostri peccaverunt: ipsi superati sunt a serpente astutia sua; ac propterea serpens vicit eos, et sub ditione sua redegit; scilicet eos sub potestate sua captivos fecit.

106. Quamvis autem diabolus iniuste invaserit hominem, et sua fraude deceptum eum sub potestate et servitute teneret, tamen homo propter peccatum iuste fuit sub diaboli potestate a Deo derelictus. Ad huius rei clariorem intelligentiam notandum est cum S. Thoma quod homo peccando obligationem duplicem contraxit; cum Deo, scilicet, et cum diabolo; cum Deo propter culpam, qua illum offenderat, et in diaboli servitutem incurrerat, Deo hoc permittente propter offensam in se commissam, idest propter culpam. Servitus autem diaboli fuit a Deo permissa in poenam culpae, et quantum ad hanc homo obligatus erat diabolo, tamquam tortori, seu executori iustae sententiae Dei in punitionem peccati.

(Continuabitur).

---

(1) 2. Pet. II, 19 — Hic notandum est quod peccatum progenitorum, fuit superbia, non tantum quia initium omnis peccati superbia est, sed etiam quia, ut docet S. Thomas (2ª 2ª Quaest. CLXIII. Art. II), appetiit similitudinem Dei quantum ad scientiam boni et mali, sicut serpens suggesserat, et secundario appetiit similitudinem Dei, ut virtute propriae naturae beatitudinem consequi valerent, quasi dii.

PROPRIETAS LITERARIA

IMPRIMATUR

Fr. ALBERTUS LEPIDI O. P., S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

† IOSEPH CEPPETELLI, Patr. Constantinop., *Vicesgerens*.

AUGUSTUS ZUCCONI, Director Domus editricis Desclée et Soc., Romae, *Sponsor*.

Ex Officina Polygraphica Latiali, Fratrum Tempesta, Via Boccaccio, 7 - Roma

Acta Sanctae Sedis
sacram Liturgiam spectantia.

S. CONGREGATIO CONCILII

DUBIA

Circa trium Missarum celebrationem in die Solemnis Commemorationis omnium fidelium defunctorum.

Quum in Constitutione Apostolica *Incruentum altaris* diei x augusti huius anni sub num. I data fuerit facultas « omnibus in Ecclesia universa sacerdotibus, quo die agitur Solemnis Commemoratio omnium fidelium defunctorum, ter Sacrum facere; ea tamen lege, ut unam e tribus Missis cuicumque maluerint applicare et stipem percipere queant; teneantur vero, nulla stipe percepta, applicare alteram Missam in suffragium omnium fidelium defunctorum, tertiam ad mentem Summi Pontificis, quam satis superque declaravimus », sequentium dubiorum solutio a S. Congregatione Concilii expostulata fuit, nimirum:

I. Ad normam praefatae Constitutionis, in die Solemnis Commemorationis omnium fidelium defunctorum, possunt sacerdotes unam e tribus Missis, quae magis eis placet, cui maluerint applicare et stipem inde percipere, vel primam tantum exclusive?

II. Pro unica Missa quam illa die sacerdotes possunt cui maluerint applicare et stipem inde percipere possuntne maiorem exigere eleemosynam, vel contenti esse debent eleemosyna ex constitutione synodali, vel consuetudine locali statuta?

III. Potestne sacerdos pro aliis duabus Missis, quas illa die celebrat pro omnibus fidelibus defunctis et ad mentem Pontificis, aliquid accipere ratione laboris, seu incommodi extrinseci, puta si ad aliorum commodum illas celebrare debeat hora vel loco satis incommodo, puta in aurora vel circa meridiem, in ecclesia vel oratorio rurali, aut coemeterii; vel ne hoc titulo quidem valeat aliquid percipere?

IV. Potestne sacerdos, etiam remoto quovis motivo lucri, alias duas Missas illa die pro suo arbitrio applicare et stipem percipere, et insequentibus diebus applicare per se vel per alium duas Missas, unam pro fidelibus defunctis, alteram ad mentem Pontificis?

Et quatenus negative:

V. Potestne Episcopus poenam suspensionis, etiam latae sententiae, et non faciendi suum stipendium, irrogare in eos qui ita agerent?

Sacra autem Congregatio Concilii ad proposita dubia respondendum censuit prout respondit:

Ad I. *Affirmative* ad primam partem, *negative* ad secundam.

Ad II. *Negative* ad primam partem; *affirmative* ad secundam, excepto casu ultroneae oblationis, vetita tamen non solum petitione, sed etiam quacumque insinuatione ut eleemosyna maior ordinaria a fidelibus offeratur.

Ad III. *Negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam.

Ad IV. *Negative.*

Ad V. *Affirmative.*

Datum Romae, die 15 octobris 1915.

F. Card. Cassetta, *Praefectus.*

L. ✠ S.

O. Giorgi, *Secretarius.*

Commentarium.

Ad I. Fuerunt aliqui, ut innuit hoc ipsum Decretum, qui putarunt, quod ordo applicationum trium missarum in die Commemorationis Oo. Fid. Def. stricte determinata esset in Pontificia Constitutione; scilicet, quod prima tantummodo libere applicari posset cum stipendio ad libitum celebrantis; secunda vero pro omnibus defunctis sine ulla eleemosyna, et tertia demum, pariter absque stipendio, ad mentem Pontificis. Videtur quod hoc ipsum senserat solutor Consultationum in praecedenti num. nostr. Ephem. Liturg. pag. 617. Nos in nostro commentario (Cf. *Ephem. Lit.* num. Aug. pag. 456) expresse scripsimus, quod sacerdos pro lubito suo bene poterat quamlibet ex tribus missis applicare cum accepto stipendio, dummodo reliquas applicaret, unam pro Oo. Def. et aliam ad mentem Pontificis.

Hoc aperte declaratur a Congreg. Concilii per decretum istud suum; ratio est, quia quaelibet ex tribus missis, orationes habet in suffragium pro omnibus animabus in Purgatorio detentis, et in nulla extat specialis formula, quae conveniat particulari applicationi ad libitum celebrantis, vel intentioni Pontificis reservatae; igitur quaelibet ex illis bene potest applicari a sacerdote pro libitu suo, etiam accepto stipendio, dummodo alias duas applicet iuxta Constitutionem pontificiam.

Ad II. In Constitutione Ss. D. N. Benedicti XV nulla clausula invenitur, ex qua arguere quis poterat adesse prohibitionem excipiendi eleemosynam, quae excedat taxam synodalem,

prout expresse prohibuerat Benedictus XIV pro regnis Hispaniae et Lusitaniae.

Ad rem nostrum commentarium conclusimus (ibid. p. 464) « Quidquid sit de huiusmodi quaestione (utrum prohibita sit acceptio maioris stipendii) cum Ss. D. N. Benedictus XV in sua Constitutione ad rem nihil disponat, dicendum est quod omnes sacerdotes in toto Orbe, etiam in Hispania, unam ex tribus cum stipendio sine limitatione ulla, celebrare possunt, dicit enim simpliciter: *stipem percipere queant* »..

Congregatio Concilii hoc idem statuit pro sua auctoritate, et declarat quod pro unica missa, quam illa die sacerdotes possunt cui maluerint applicare et stipem inde percipere, non possunt maiorem *exigere* eleemosynam, sed contenti esse debent eleemosyna ex constitutione synodali, vel consuetudine locali statuta, *excepto casu ultroneae oblationis*.

Porro ego *exigere* nequeo maiorem eleemosynam, quacumque ex causa, sed si fideles mihi libere offerunt stipendium superiorem taxae synodali, bene illud accipere possum.

Sed in decreto additur: *Vetita tamen non solum petitione, sed etiam quacumque insinuatione ut eleemosyna maior ordinaria a fidelibus offeratur.* Quod sane dignum et iustum est, numquam enim licet sacerdoti cuilibet petere et exigere eleemosynam pro missis celebrandis, superiorem taxae synodali; in casu autem missae in die Commemorationis Oo. Fid. Def. prohibita manet etiam quaecumque insinuatio, scilicet quaevis ars expressa verbis, vel aliter demonstrata, qua alliciantur fideles, ut maiorem tribuant eleemosynam.

Ad III. In eodem commentario ad Constitutionem *Incruentum Altaris Sacrificium*, applicandam esse diximus dispositionem pro missis binatis, datam a S. Congreg. Concilii in *Treviren.* 23 mart. 1861, ut scilicet ratione *maioris laboris et incommodi,* sacerdos unam ex tribus missis in Commemoratione Oo. Fid. Def. celebrare posset accepto stipendio, non pro applicatione, sed pro maiore labore puta itineris, vel tardae horae.

Hanc autem nostram sententiam, quae non uni theologo arriserat, exposuimus cum clausula: *sub censura et salvo meliori iudicio.*

Nunc vero, cum S. Congreg. Concilii per hoc suum decretum

nullum prorsus stipendium accipere posse declaraverit, etiam intuitu *maioris laboris etc.*, dicta sententia nostra non amplius sustinenda est, et consequenter eamdem retractamus.

Ad IV et V. Iuxta huiusmodi dispositionem, ego nequeo in die Commemorationis Oo. Fid. Def. applicare alias duas missas, iuxta intentionem offerentium eleemosynam, applicando postea duas missas sequentibus diebus, unam pro Oo. Def. et aliam ad mentem Pontificis; quia, licet videretur quod in casu salva esset applicatio *quoad substantiam*, nihilominus Apostolica Sedes iubet et vult omnino quod duae missae concessae in dicta die, revera applicentur prout ordinat Constitutio pontificia, ideoque prohibet quominus alia die diferrantur huiusmodi applicationes.

Huiusmodi autem praeceptum ita solemne est ac rigorose accipiendum, ut sequatur declaratio, quod episcopus potest poenam suspensionis, etiam latae sententiae, irrogare in sacerdotes qui ita agerent; imo et poenam non faciendi suum stipendium pro dictis missis acceptum.

Clarissime apparet ratio huius severissimae dispositionis; quia licet substantialiter scopus Constitutionis, tres missas concedentis obtineatur etiam cum applicatione missarum pro Oo. Def. et ad mentem Pontificis die sequenti, nihilominus, concessio pontificia taxtative et sub conditionibus, sine quibus non, indulta fuit, nempe quod secunda et tertia missa specificam et bene determinatam haberent intentionem seu applicationem. Aliis verbis; ego optime valeo unam tantum missam celebrare, in die Commemorationis Oo. Fid. Def., sed si indulto trium missarum uti velim, duas missas absolute applicare debeo prout disponit Constitutio.

Quaeri autem hic potest, an ego accipiens a fidelibus tres eleemosynas pro applicationne trium missarum in die Commemorationis Oo. Def. possim differre earum celebrationem ad proximos dies.

Respondendum esse credimus, quod bene possum; sub tamen conditione, quod monere debeam offerentes, de dilata celebratione. Ratio est, quia, sicut possunt accipi plures applicationes Missarum ab unico sacerdote, et populus scit quod missas ipsas sequentibus diebus celebrabit, ita et in casu nostro. Quod si aliquis stipendium dat sub conditione explicita quod

missa celebretur ipsa die Commemorationis Oo. Fid. Def. si unica missa, quam applicare possum pro lubito meo, iam sit destinata cum alia intentione, dictum oblatum stipendium accipere nequeo, nisi offerens dilationem admittat et concedat. In hoc consentiunt unanimes omnes theologi.

Commentario huic finem imponere non possumus, quin nonnullas alias declarationes addamus, ad ea quae in citato commentario ad Constitutionem pontificiam scripsimus.

a) In dicto nostro commentario docuimus quod, si aliqua in ecclesia occurrat funus alicuius defuncti in die obitus, parochus, iuxta decreta S. R. C. 14 apr. 1646, n. 893, et 20 sept. 1687, n. 1788, bene poterit celebrare unam ex tribus missis pro defuncto, non tantum illi applicando sacrificium (dummodo alias duas missas applicet iuxta constitutionem pontificiam), sed etiam missam, ut in die obitus, legendo.

Huiusmodi doctrina nostra conformis erat citatis decretis, et communi sententiae Liturgistarum; cum enim neque pontificia Constitutio, neque S. R. C. decretum subsequens diei 11 aug. 1915 ad rem aliquid novi disposuerint, *ex iure constituto* nos antiquam sententiam adhuc sustineri posse putavimus.

Attamen aliud dicendum nunc est, eo quod, editio trium missarum per extensum disposita a Typographia Vaticana, et a Secreteria Congregationis Rituum adprobata die 7 sept. 1915, habet post primam missam, sequentem rubricam:

Si hodie agatur funus alicuius defuncti, prima missa legatur, addita tamen in hac missa exequiali, sub unica conclusione, Oratione pro eodem defuncto, ut in die obitus.

Quia vero huiusmodi dispositio data fuit postquam nostrum commentarium evulgatum fuerat, et quia rubrica citata nondum publicata est inter Acta Apostolicae Sedis, nobis innotescere non poterat, ideoque iuxta antiqua decreta sententiam nostram exposuimus.

Nunc ergo, iuxta mentem S. R. C., dicta rubrica posita post primam missam in die Commemorationis Oo. Fid. Def. tamquam lex est omnino observanda; et ex ea magis emergit intentio s. matris Ecclesiae, quod scilicet dies Commemorationis Oo. Fid. Def. dicata sit memoriae omnium animarum quae in purgatorio detinentur; officiumque eius gaudet ritu duplici quodammodo I classis, ideoque de particulari defuncto preces expia-

toriae in missa prius funduntur simul cum ceteris defunctis, et postea sub unica conclusione (quod est signum duplicis 1 classis) de eo fit commemoratio particularis.

Si ex una parte consideramus diligentias apostolicae Sedis ut magis foveatur suffragium pro defunctis, quae sub Pio X indulgentiam ad instar Portiunculae pro die Commemorationis Oo. Fid. Def. concessit, et officium pro defunctis ea die factum fuit Officium diei, et hodie sub Ss. D. N. Benedicto XV tres missas indulsit, et ex alia consideremus auctam devotionem Christianae plebis erga sanctissimas animas, quae in flammis piacularibus purgantur, clare patet, quod nostris temporibus Commemoratio Oo. Fid. Def. evaserit quasi festum solemne in earum suffragium. Valde ergo interest quod per totum orbem omnes Christi fideles unanimes sint in celebranda commemoratione huiusmodi generali, atque istam ob rationem etiamsi die 2 (vel 3) nov. occurrat funus alicuius defuncti, missa pro omnibus celebrari debet cum commemoratione defuncti.

In casu etiam advertendum est, quod anima defuncti, non solum nihil deperdit de liturgibus precibus, nam Introitus, Epistola, Tractus, Evangelium, Offertorium et Communio non variantur; imo, ut iam innuimus, preces pro ea aliquod augumentum capiunt, eo quod pro ea oratur in orationibus pro omnibus defunctis, et dein oratur adhuc particulariter in commemoratione, quae fit sub unica conclusione.

b) Sacerdos qui duas paroecias regit, et missas solemnes cantat in utraque ecclesia, debetne bis missam primam decantare, an primam in una, et secundam, vel tertiam in altera ecclesia? In utraque missa debetne servare intentiones a Summo Pontifice in sua Constitutione expositas?

Sacerdos in casu debet omnino in utraque ecclesia canere primam missam, eo quod ipsa est pars officii divini illius diei. Supposito enim quod populus cum suo parocho officium cantat eo die pro defunctis, missa quae sequitur, est missa conventualis, cuius oratio eadem est quae dicitur in officio. In casu enim parochus, non celebrat missam privatam, quae nullam relationem habeat cum officio diei, sed missam ut diximus conventualem, quae necessario cum publico officio concordare debet.

Nec valet opponere quod bis eadem missa a sacerdote celebretur; primo quidem, quia et in festis, quando binat, eamdem

missam bis celebrat; secundo autem, quia sicut sacerdos qui in Nativitate Domini iam duas missas celebraverit, si fortuito uti Canonicus missam choralem in Aurora cantare debeat, secundam missam iterum dicet, uti patet, ita et in casu proposito. Tertia vero missa, quam celebrabit Parochus, erit secunda vel tertia, pro lubito suo.

Huiusmodi porro nostra responsio comprobatur etiam per articulum III ipsius Constitutionis, in quo legitur:

Qui unam tantummodo missam celebrare velit, eam legat quae in missali inscribitur legenda in Commemoratione Oo. Fid. Def.; *eamdem adhibeat qui missam cum cantu celebraturus sit.* Ergo.....

Quod autem attinet ad intentionem pro secunda missa decantata a parocho in altera ecclesia paroeciali, procul dubio ipsa esse debet illa, quae a Summo Pontifice exprimitur, scilicet, nulla accepta eleemosyna, pro omnibus fidelibus defunctis. Quod si Parochiani stipendium dant pro missa post officium defunctorum decantanda, monito populo, eam applicare debet die sequenti, ut supra ad V innuimus.

c) In aliquibus ecclesiis et Ordinibus (v. g. Mediolanen. et Cistercien), numquam admittitur Sequentia *Dies irae*, et orationes non habentur in missali quae, ex Romano excerptae, proponuntur a S. R. C. decreto. Quid agendum iis in ecclesiis et Ordinibus?

Cum decretum S. R. C. aperte in fine declaret concessas esse missas cum orationibus in eo decreto relatis: *Servatis de cetero rubricis nec non peculiaribus Ritibus Ordinum propriis;* procul dubio in ecclesiis ed Ordinibus, de quibus agitur, Sequentia *Dies irae*, dici non debet, ne natura et indoles specialis ritus aliquod detrimentum patiatur.

Quoad vero orationes in decreto propositae, quae non sunt nisi orationes in missali romano contentae, cum aliqua verborum moderatione, ii qui utuntur missali particulari, a romano diverso, si aliquid in orationibus mutari occurrat, ad S. Congregationem Rituum recursum facere debent.

d) Quaeri etiam potest utrum concessio trium missarum, valeat tantum pro sacerdotibus latini ritus, aut etiam pro sacerdotibus qui ritus orientales sequuntur.

Procul dubio indultum valet quoque pro sacerdotibus orien-

talibus, Constitutio enim aperte dicit: *Liceat omnibus in Ecclesia universa Sacerdotibus*, atque allatum decretum ponit clausulam: *servatis peculiaribus ritibus*. Cum enim sacerdotes Orientalis ritus, Sedis Apostolicae communione gaudentes, sint et ipsi de gremio Catholicae Ecclesiae, nulla ratio apparet cur ab usu novissimi indulti trium missarum in die Commemorationis Oo. Fid. Def. excludi debeant. Quod si propter celebrationem trium missarum aliqua mutatio inducenda esset in formulas liturgicas, ad Apostolicam Sedem adeundum est pro adprobatione mutationum in casu.

e) In multis dioecesibus Italiae inferioris habentur nonnullae paroeciae ritus graeci, in quibus celebratur commemoratio Oo. Fid. Def. in sabbato ante Dominicam Septuagesimae; sacerdotes graeci in illis paroeciis deservientes poteruntne celebrare tres missas in ipso sabbato praedicto, vel, pro usu novi indulti trium missarum, commemorationem Oo. Def. celebrare debebunt die 2 novembris?

Nostro iudicio, et salvo semper meliori, censemus quod dicti sacerdotes graeci, debeant continuare celebrationem Commemorationis Oo. Def. in sabbato ante dictam Dominicam, et in eo uti novissimo indulto trium missarum. Ratio est, quia tres missae concessae per constitutionem Pontificiam, affixae non sunt diei 2 (vel 3) novembris, ex se, sed quatenus dies illa dicata est ad commemorandas animas Oo. Fid. Def.; atqui apud graecos commemoratio huiusmodi affixa est praedicto sabbato ante Dominicam Septuagesimae, ergo.

Dr. P. Piacenza.

Acta Academiae Liturgicae Romanae.

Animadversiones aliquae ad solutionem quaestionis liturgicae habitam in Academia Liturgica Romana, die 7 iulii 1915, in *Ephemerides Liturgicae* editam (v. num. praec. pagg. 588-93).

Nobis impeditis quominus conventui academico diei 7 iulii elapsi, interesse possemus, non tantum solutio data a rev. E. Boganelli, sed et animadversiones Censorum innotescere non potuerunt; cum autem solutio ipsa in nonnullis peccare nobis videatur, hic animadversiones nostras publicamus, quas certo certius in ipsa aeademia fecissemus.

Quod ecclesia diruta amittat consecrationem, est sententia communis, et undequaque rationabilis; ecclesia diruta non amplius est aedes apta ad colligendum plebem christianam et ad celebrandas ecclesiasticas functiones, ergo non potest amplius esse locus sacer; sicut enim calix si obrumpatur, casula si in partes dividatur, amittunt respective, consecrationem, vel benedictionem, ita de templo est dicendum. In hoc ergo convenimus cum solutore.

In omnibus tamen admittere non possumus ea quae sequuntur, nimirum: « Si igitur ecclesia consecrationem amisit, satis non apparet cur Titularis immutari nequeat. Dubium ne hoc modo fieret iniuria antiquo Titulari facile solvitur; nam ecclesia non consecrata Titularem non habet, unde eo modo quo nulli fit iniuria quando prima vice unum Titularem prae alio eligimus, sic et in casu ».

Miramur quod solutor egregius talia scripserit; aliud est enim novam ecclesiam extruere in loco, quo alia prius

non extiterit, aliud est ecclesiam novam moliri in loco, in quo diruta est antiqua.

In hoc casu, Titularis antiquae ecclesiae, maxime si agatur de ecclesia parochiali, deseri nequit sine aliquali iniuria. Et sane, supponamus quod Titularis dirutae ecclesiae fuerit s. Albanus martyr, cuius festum neque in calendario universali est inscriptum, neque in dioecesano; parochus cum suis parochianis solemnitatem eius quotannis celebravit in sua die 21 iunii, ritu duplici 1 cl. cum octava; et fideles ad hunc sanctum, quasi ad patronum, preces effundebant. Norunt enim omnes, quod sancti Titulares ecclesiarum parochialium, recoluntur peculiariter ad instar patronorum; et solutor citat S. R. C. decretum 21 apr. 1873, in quo vox *Patroni*, tenet locum *Titularis;* quomodo ergo oblivisci poterit, absque aliquali iniuria, populus et parochus antiqui Titularis, de quo in posterum nec officium nec missa recitari fas erit?

Ad rem applicari potest quod iustissime docet Guyet de Sancto, cuius celebratum est officium ratione reliquiae, quando incendio vel furto, casuve alio, deperditae fuerint; quia vero aliqui docebant, quod deperdita reliquia cessare debet officium, Guyet scribit (Heortol. I, ix, 7): « Si post eiusmodi casum (consumptionis vel furti reliquiarum) minime destitutum fuit ab officio, quod fiebat alias, neque etiam ab eo deinceps videri destituendum, cum et valeat ipsa saltem consuetudo nondum usu abrogata, ne par sit credere Sanctos idcirco desistere a patrocinio quod susceperant »; et citat Caeremoniale monasticum (lib. 4, c. 16) in quo legitur: « De Sanctis, quorum habebantur reliquiae, sed iuiuria temporum, vel malitia haereticorum perierunt, fiet officium, sicut solebat alias fieri dum extabant eorum reliquiae ».

Huiusmodi rationabilissima dispositio, eo magis valet pro Titulari dirutae ecclesiae; ideoque novum templum parochiale bene poterit dedicari sub nomine alterius Titularis, eo tamen pacto, ut etiam antiquo Titulari dedicetur; aliis verbis, huic antiquo adiungatur novus.

Ita optime respondetur tertiae quaestioni in casu propositae: quid consulendum Parocho, ut devotioni suae erga S. Cor Iesu cui novam ecclesiam dicare intendit; scilicet consulendum est illi, ut novum templum parochiale dedicet et s. Laurentio antiquo Titulari, et Ss. Cordi.

Solutor vero eidem quaestioni simpliciter respondit: « Vidimus nihil in praesenti casu obstare quominus antiquus Titularis relinquatur atque substituatur a novo..... hoc autem fieri posse absque ulla iniuria..... proin si Parochus in constructione novae ecclesiae eam vult dicare. non amplius s. Laurentio, verum Ss. Cordi Iesu, cum Episcopo de re colloquatur ». Minime gentium, solutor egregie, plura obstant; obstat solemnis cultus exhibitus antiquo Titulari s. Laurentio per saecula; obstat patrocinium ex parte ipsius Sancti super populum suum tot tempore latum; obstat quod Titularis ecclesiae est etiam titulus beneficii parochialis; obstat consuetudo ipsa, ex qua iuxta s. Pii v rubricas servari debet *ritus solemnior* alicuius festi, licet non inscribatur in calendario Breviarii.

Quibus ex causis hanc resolutionem nullimode acceptare possumus; quia vero de ista reprobatione locuti sumus cum nonnullis Censoribus Academiae, rationes nostras, maxime illam a Guyeto depromptam, summopere adprobaverunt; hi sunt R.mi viri Philippus Di Fava S. R. C. substitutus, Io. Bapt. Menghini Caeremoniarius pontificius (1), Aristides Gasparri S. R. C. studii adiutor, nec non Angelus Martorelli Academiae Moderator.

Sed et in alia parte solutio, de qua agimus bene non currit; supponitur enim in ea posse haberi de eadem ec-

(1) Hic animadvertit: 1° locum ipsum (cum casus sit de ecclesia reaedificata in loco antiquae) esse positum sub iure ac *tutela* (unde Titularis) Sancti cui primitus fuerat dicata; 2° primarium lapidem benedici sub nomine invocatione ipsius Sancti (v. Pontificale rom. respect. loco), neque supponi in casu novam molitionem a fundamentis exurgere, ita ut novus lapis primarius depositus fuerit; 3° neque Indulgentias perire si nova ecclesia aedificetur *fere in loco*, ubi

clesia, Titularis principalis et Titulares secundarii, prout dicitur de locorum Patronis, quod est error non exiguus, uti notavimus in nostris *Praelectionibus de s. Liturgia* (Romae, Forzani 1909), pag. 247.

Scimus haberi S. R. C. duo decreta sub nn. 3041 et 3417, quae huiusmodi Titularium distinctioni favere videntur, nihilominus, in eis distinctio ipsa, si res bene attendatur, supponitur potius a proponentibus quaestiones, quam declaretur in responsis Congregationis.

Et sane, ex notione Titularis ecclesiae plane evincitur, quod si aliqua ecclesia pluribus Sanctis dicata fuerit in actu dedicationis, omnes iisdem iuribus gaudent, neque dici potest ipsam ecclesiam magis esse dicatam uni quam alteri. Episcopus enim in ritu consecrationis nomen Titularis, si unus est, et nomina Titularium, si plures, in litaniis pariter invocat, et in precibus sequentibus, atque in unctionibus utriusque Titularis nomen pluries exprimit, quapropter concipi nequit aliquam ecclesiam habere plures Titulares cum iuribus diversis. Esto quod populus aliquando unum ex Titularibus maiori externa festivitate concelebret, ac proinde videatur alius Titularis in inferiori conditione esse, et quodammodo secundarius; sed aliud est consideratio populi, ex qua pluries Sancti, qui in calendario ritu vel simplici (ut s. Blasius) vel semiduplici (ut s. Georgius)

---

vetus existebat (Decr. authentica S. C. Indulg. 9 aug. 1843, n. 323). Ex his confirmatur, sine iniuria non posse antiquum Titularem repudiari. 4° Concessit reipsa Ss. Rituum Congregatio aliquando imminutionem cultus antiqui Titularis, v. gr. ad S. Ioannis Bapt. Florentinorum de Urbe, cuius ecclesiae, prius Ss. Cosmae et Damiano dicatae, antiquis Titularibus dempsit octavam, et recentissime imminuit ritum ad duplicem maiorem: sed hoc ipsum probat, nisi suprema Auctoritas aliter disponat, iniuriam esse mutare Titularem. 5° Si tamen *de facto* in nova ecclesiae dedicatione nulla facta est mentio antiqui Titularis, nequit postea ille rursus assumi non audita S. Congregatione, quia ius novam ecclesiam aedificantium et Episcopi cessavit ipso actu consecrationis.

vel duplici (ut s. Antonius) inscribuntur, solemnius recoluntur, quam alii qui ritu gaudent duplici 2 vel 1 classis; aliud est dispositio liturgica, de qua hic agimus, cuius vi Titulares, si tales sunt, ritu suo sunt celebrandi (1).

Igitur ex hoc quoque capite errata dicenda est data solutio, opus porro supervacaneum non esse censuimus, lectoribus *Ephemeridum Liturgicarum*, has nostras animadversiones exhibere.

Ad quaestiones itaque propositas in casu rectius respondendum est:

Ad I. Electio Titularis novae ecclesiae spectat ad personam, vel ad coetum personarum, qui novam construit ecclesiam, audito Episcopo, et in casu illicitum est deserere antiquum Titularem.

Ad II. Plures esse possunt Titulares unius ecclesiae, qui paribus potiuntur iuribus, omnesque sub ritu duplici 1 classis cum octava celebrari debent.

Ad III. Aloisio in casu consulendum est ut novam ecclesiam parochialem, super antiquam extructam, consecrare faciat in honorem antiqui Titularis s. Laurentii, et Ss. Cordis Iesu.

Dr. Petrus Piacenza.

---

(1) Fautores contrariae sententiae solent suam thesim confortare exemplo Archibasilicae Lateranensis, cathedralis romanae, cuius Contitularis, S. Ioannes Evangelista, a clero Urbis non colitur sub ritu duplici I classis neque cum octava communi, sed secundae cum octava simplici, ut in Ecclesia universali. Hoc tamen minime suffragatur istiusmodi sententiae, quia rectius dicendum est, clerum Urbis dispensatione gaudere a lege communi, quanam de causa nescimus; et adeo verum est S. Ioannem Ev. esse contitularem illius ecclesiae aeque principalem, ut apud clerum ipsius Archibasilicae reipsa colatur sub ritu Titularibus proprie dictis conveniente, duplici I classis cum octava communi (M.).

Consuetudines in functionibus liturgicis

(Continuatio, V. n. 10 curr. anni, pagg. 594-603)

Quaer. Quoties in oratione Sacramenti *Deus, qui nobis etc.* pronuntiantur verba *Corporis et Sanguinis tui*, debetne fieri capitis inclinatio, iuxta praxim Romae passim vigentem? Ipsa autem oratio Sacramenti, occasione benedictionis, dicenda ne erit unica, etiamsi antea haud aliae dictae sint preces?

Resp. Ad I, negative. Nec speciales, nec regulae generales quae inclinationes capitis moderantur, in casu comprobantur. Recole, quae diximus in *Ephemeridum* V anno, numero 4, pag. 169; et circa secundam, quam tradimus normam, sequentia animadverte. Docuimus, agendam capitis inclinationem *cum quaedam pronuntiantur verba...., quae peculiari veneratione digna sunt;* sed ita hoc intelligendum, ut talia verba venerationis, laudis, glorificationis, adorationis causa pronuntientur, secus capitis inclinatio non habet locum. Hinc si Patrem, Filium et Spiritum sanctum nominamus, haud inclinamus caput, inclinamus tamen cum dicimus in psalmis *Gloria Patri,* et *Benedicamus Patrem et Filium, etc.* in cantico *Trium puerorum:* in psalmo 92 dicimus, *Adorate eum, omnes angeli eius,* et caput non inclinamus; sed inclinamus in hymno angelico ad *Adoramus te, Gratias agimus etc.* In casu autem verba *Corporis et Sanguinis tui* haud adorationis causa proferuntur, sed ad exorandum, ut eiusmodi sacra mysteria semper venerare possimus. Insuper hoc super negotio legi et consuetudini standum potius, quam omnimodae vi rationis. Hinc quibusdam in ecclesiis caput inclinatur cum dicitur in cantico Zachariae: *Per viscera misericordiae Dei nostri:* alibi,

cum in psalmo 110 verba pronuntiantur: *Sanctum et terribile nomen eius:* quae profecto improbare non audemus, cum consuetudo sit dignissima laudis. In casu autem nec lex habetur nec consuetudo in omnibus ecclesiis. Neque nimis facienda ratio, quae affertur in dubio, videlicet romanae praxis; eodem enim quo praxis romana asseritur, iure negatur. Et sane in pluribus ecclesiis hanc audivimus orationem a celebrante decantatam, sed inclinationem capitis non vidimus. In nostra quoque S. Apollinaris ecclesia eiusmodi capitis inclinatio non viget. Non ergo credimus tenendum, hanc esse praxim Romae, sed nonnullorum potius sacerdotum, esto romanorum, qui profecto legem nec constituunt, nec valent constituere. Ad rem ultro quaeri potest: Devotionis saltem causa, ista capitis inclinatio, ad praefata verba, ubi viget, non videretur laudabilis, ideoque satis retinenda digna? Respondemus: Privata devotio valere aliquid potest in privatis, haud vero in publicis cultus actibus, in quibus ratio uniformitatis praevalere debet, et devotionis excessus non est omnino probandus.

Ad II. Sacra Rituum Congregatio ad dubium « An in functione benedictionis sanctissimi Sacramenti, praeter orationem de eodem, alia cantari possit? »; cum decreto sub die 23 novembris 1906 respondit: « Affirmative, priusquam cantetur *Tantum ergo,* quando aliae dicendae sint preces. Negative in casu opposito, nec non in festo et infra octavam ss. Corporis Christi ». Quod decretum *Ephemerides Liturgicae* sequenti commentario illustrarunt:

In antiqua collectione decretorum S. R. C. alterum habebatur, non admittens alias orationes sive collectas post illam quae est de ss. Sacramento, cantato *Tantum ergo,* si aliae preces praemitterentur; ita ut, ante *Tantum ergo,* preces effunderentur iuxta finem ob quem habebatur eo die functio devota, quibus persolutis, orationes convenientes a sacerdote dicebantur, cum collectis imperatis. Hinc decantato *Tantum ergo,* unica dicenda erat oratio ss. Sacramenti.

Huiusmodi lex renovata hodie fuit a S. R. C., ideoque ex. gr. si novenarias preces instituis in tua ecclesia in ho-

norem B. M. V., preces easdem novenarias recitabis cum oratione de B. M., cui adiicies et collectas imperatas, aut aliam orationem, puta pro infirmo, si ratio ferat: quibus recitatis, *Tantum ergo,* cantabis more solito, et postea unicam orationem dices de ss. Sacramento.

Quod si benedictio eucharistica danda sit nullis precibus specialibus praemissis, tunc, post orationem ss. Sacramenti, bene poteris orationes opportunas et collectas, si quas Ordinarius praeceperit, recitare sub unica conclusione, quae debet esse brevis et concordare cum ultima oratione, iuxta rubricas (S. R. C., 8 apr. 1865, n. 9134). Locutio enim praesentis decreti « *Negative in casu opposito* » hunc habet sensum: Negative, postquam cantatum sit *Tantum ergo,* quando aliae dicendae sint preces ante hunc hymnum. Alia est ratio sequenda tum in festo, tum per octavam ss. Corporis Christi; quia, iuxta antiquas leges, S. R. C. voluit, ut ante expositum ss. Sacramentum in festo et per octavam Corporis Christi, una tantum dici debeat oratio, nempe de ss. Sacramento, ne mens ad alia, in tanta solemnitate, vel parum divagetur (Cfr. decr. 23 sept. 1837, n. 4815, antiq. collect. ad VI).

Quinimo ad mentem huius decreti, si occurrat infra octavam praedictam, fieri ex. gr. triduanas supplicationes ad s. Antonium de Padua, cum benedictione Sanctissimi, preces ad Sanctum persolvendae erunt cum sua oratione et collectis, si quae fuerint addendae, antequam ss. Sacramentum e tabernaculo educatur, et post ipsas, exposito Sanctissimo, ac decantato *Tantum ergo,* unica dicetur semper oratio ss. Sacramenti. Itaque antiqua lex a S. R. C. restituta opportunissime fuit, et fusius declarata (Tom. XXI, pag. 73).

Expositum commentarium post correctionem decretorum ab anno 1900 n. 4052, ad annum 1911, n. 4284, videtur non amplius sustinendum, cum responsio ad allatum dubium, scilicet « An in functione benedictionis ss. Sacramenti, praeter orationem de eodem, alia cantari possit » in ista mutata fuit: « Affirmative, priusquam cantetur *Tantum ergo,* si tunc

aliae dictae sint preces; secus, negative, nisi aliter Apostolica Auctoritate statutum fuerit ». Ex allata responsione liquido patet, si benedictio eucharistica danda sit nullis precibus specialibus praemissis, post orationem ss. Sacramenti nulla alia oratio neque collecta in posterum canere licet, **nisi aliter Apostolica Auctoritate statutum fuerit,** ad quod auctoritativum responsum toto corde et animo inconditionaliter nostrum subiciimus iudicium.

Quaer. In nonnullis ecclesiis numquam adhibitur conopaeum ad tabernaculum ss. Sacramenti tegendum. Ratio forsitan esse posset, tum quia tabernaculum affabre confectum ex marmore sit satis pulchrum, et ab eo cooperiri nefas esse iudicant; tum quia, propter magnitudinem, difficultatem inveniunt ad conopaeum aptandum. Potestne tolerari talis usus propter allatas similesque rationes?; et in casu negativo, sufficeretne si apponatur, loco conopaei, quaedam cortina ante ostiolum ipsius tabernaculi; et ista, ut est in more apud non paucas Galliae ecclesias, translucida?

Resp. I. De hac quaestione nos ipsi in Ephemeridibus liturgicis alias scripsimus, sed cum in optatis habeamus sub eodem quaestionario praecipuas consuetudines pertractare, visum est ad nonnullas ex ipsis reverti illasque fusius illustrare, ut recentioribus sociis nostris satis fiat.

Ad 1^{am} partem quaesiti: Rituale Romanum (Tit. IV, cap. 2, n. 6) ait: « Tabernaculum conopaeo decenter opertum sit ». Vocabulum *Conopaeum* graece idem sonat ac tentorium, et est tegumentum ad instar tentorii, in parte superiori contractum seu crispatum, in fimbriis vero ita dilatatum et extentum ut totum tabernaculum tegat. Tentorium istud originem habet ex baldachino, vel potius ex cortinis quae olim baldachinum et altare tegebant, et quarum usus desiit cum coeptum fuit altaria muro seu parieti admovere. Conopaei usus practicus simul et symbolicus est: practicus, ut tabernaculum nitidum a pulvere custodiatur; symbolicus, cum memoriam de tentorio Arcae veteris testamenti faciat, et ad maiorem Sacramenti reverentiam adhibeatur. Finis, alibi diximus, non est

praecise ut tabernaculum sit coopertum, sed ut ponatur super illud, quod thronum repraesentat divini amoris, tamquam tentorium, illud magis adornans, ut regi convenit.

De usu conopaei habentur sequentiae S. R, Cong.nis decreta: — I. « *a)* Num Tabernaculum, in quo reconditur ss. Sacramentum, conopaeo cooperiri debeat, ut fert Rituale, et quatenus affirmative; *b)* Num conopaeum istud confici possit ex panno, sive gossypio, sive lana, sive cannaba contexto? *c)* Cuisnam coloris esse debeat? Aliis opinantibus, ut Baruffaldus, conopaeum debere esse coloris albi, utpote convenientis ss. Sacramento, aliis autem, ut Gavantus, eiusdem coloris, cuius sunt pallium altaris et cetera paramenta pro temporis festique ratione, praeter colorem nigrum, qui mutatur in colorem violaceum in exequiis defunctorum ». S. Rituum Congregatio respondendum censuit: « Quoad primam quaestionem, affirmative; quoad secundam, pariter affirmative; quoad tertiam utramque sententiam posse in praxim deduci, maxime vero sententiam Gavanti, quae pro se habet usum ecclesiarum Urbis (D. 21 iulii 1855, n. 3035[10]) ». — II. « R.mus D. Archiep. N., exponens, in ecclesiis suae archidioeceseos usum ab antiquo tempore vigere, non cooperiendi conopaeo tabernaculum, in quo asservatur ss. Eucharistiae sacramentum, sed intus tantum velo pulchriori serico, saepe etiam argento aut auro intexto, ornari, a S. Rituum Congregatione humillime declarari petiit: Num talis usus tolerandus sit vel potius exigendum, ut conopaeum, ultra praedictum velum, vel sine eo, apponatur, iuxta praescriptum in Rituali Romano? ». Sacra vero eadem Congregatio... respondendum censuit: « Usum veli praedicti tolerari posse; sed tabernaculum tegendum est conopaeo, iuxta praescriptum Ritualis Romani (D. 28 april. 1866, n. 3150) ». — III. « Utrum tabernaculum ss. Sacramenti, argento, auro, vel alia pretiosa materia confectum, eo ipso a generali obligatione illud tegendi conopaeo sit immune? ». S. Rituum Congregatio rescribendum censuit: « Servetur praescriptum Ritualis Romani (D. 7 aug. 1880, n. 3520) ».

— IV. « Ex antiquissimo usu in plerisque ecclesiis... loco conopaei apponitur ad ostium tabernaculi, in quo ss. Eucharistia asservatur, tabula quandoque ex metallo, quandoque ex teta acu picta, vel etiam ex moderni temporis charta dicta oleographica, in qua apparent symbola ss. Eucharistiae vel ss. Nomen Iesu aut alia huiusmodi, immo aliquando imago beatae Mariae Virginis ». Hinc ab ipsa Sacra Congregatione enixe postulatum fuit: « An tolerari possit in casu usus praedictae tabulae ad ostium tabernaculi, loco conopaei? ». Et S. Rituum Congregatio, rescribendum censuit: « Negative; seu non convenire (D. 10 septemb. 1898, n. 4000) ». — V. Expostulatum fuit: « An servari possit consuetudo non adhibendi conopaeum, quo tegi debet tabernaculum, ubi asservatur ss. Eucharistiae sacramentum? ». Et S. Rituum Congregatio respondendum censuit: « Negative, et servetur Rituale Romanum et decreta (nn. 4000 ad 1 et 4137) ». — Ex allatis decretis concludendum est: Conopaeum, de quo est sermo, etiamsi tabernaculum auro, argento, vel alia pretiosa materia confectum, quacumque contraria consuetudine non obstante, a generali obligatione non est immune.

Neminem latet, legem quamcumque semper obligationem gignere, etiam haud obstante eius in observantia, si legislator voluntate sua resistit, et consuetudinem contra legem reclamando impediat. Consuetudo enim contra legem, lex fieri numquam potest, nisi legislatoris voluntas tacito quodam assensu eam saltem toleret. Notum satis est, quod Benedictus XIV solemniter proclamat: « Quod consuetudo praevaleat contra legem Superioris, id oritur ex ipsomet Superioris consensu, qui etiam suae legi obviantem, cum rationabilis et diuturna sit, statuit tolerandam (*De Synodo Dioec.,* 12, c. 8, n. 8) ». At, in casu, de conopaeo superimponendo tabernaculo, legem habemus, et decreta, quae illud omnino exigunt, nihil vero quod consuetudinem contrariam confirmet, vel saltem toleret.

2. Specialis forma conopaei haud praescribitur, sed ex

forma tabernaculi dependet; conopaeum enim cooperire tabernaculum debet exterius, unde huius formam necessario sequitur. Rituale Romanum (Tit. 4, c. 2, n. 6), uti supra diximus, mandat ut tabernaculum conopaeo sit *opertum;* quae praescriptio innovata fuit a S. R. C. (DD. 5221[12], 5368). Hoc autem conopaeum necessario et ex natura sua ad instar tentorii conficitur, quod anteriorem partem tabernaculi totum contegat. Iuxta vero s. Carolum (loc. cit. lib. 2 *de Conopaeo*): « Ample undique pateat pro tabernaculi maioris amplitudine; ita ut a summa parte crispatum, in fimbriis etiam non anguste, sed longe latius decenter respondeat. Habeat vero, ut moris est, ab extremis partibus ornatum laciniarum decore contextarum ». Cl. Gavantus (Pars V, de mensuris propriis sacrae suppell.), fere ipsis verbis ait: « Conopaeum tabernaculi ss. Eucharistiae... a summa parte crispatum in fimbriis non anguste, sed longe latius respondeat, totum tabernaculum tegat, in extremis oris habeat de more ornatum laciniarum decore contextarum ».

3. Conopaeum decet summpere ut sit pretiosa materia confectum, sive ex panno argenteo aut auro contexto; sive sericum, imo sericum esse plures synodi dioecesanae decernunt; itaque, licet S. R. C. (D. 5251) permittit ut sit ex panno, gossypio, lana, vel cannabe aut lino contextum, nihilominus hoc est intelligendum de ecclesiis pauperrimis. Dedecet insuper omnino conopaeum translucidum ante tabernaculum Sanctissimi apponere, ut est noviter in more apud non paucas Galliae ecclesias.

Quoad responsionem primi quaesiti, pretium est operis animadvertere: *Factum* quod in aliquibus basilicis tabernaculum magnae molis et affabre eloboratum absque conopaeo extat, *legem,* quam supra exposuimus, haud frangit, quinimmo minime infirmat. Si autem legitima auctoritas talem usum videt et tacet, mirum non est, si et nos cum ipsa nullam de hoc sententiam dicimus, et potius silere putamus.

Sed obiicitur: Nonne barbariem saperet, opus marmorem praenobile, statuis, columellis, variisque excellentibus

ornamentis decoratum, panno contegere, qui, lege inspecta, esse potest vulgare gossypium et rudis lana?!!! Catholica ecclesia altrix semper fuit et custos bonarium artium; nonne satis cunctis providetur, quae per conopaeum praestantur, tabernaculo rite nobiliterque extructo? Imo, dicimus, longe magis profecto meliusque!

Facile hisce obiectionibus respondemus: Sicut calices aut pyxides excellentibus ac pretiosissimis nec non artisticis ornamentis decorantur, nihilominus velo et parvo conopaeo tegi debet, iuxta rubricas, ita et tabernaculum ss. Sacramenti, duabus ex rationibus: 1° quia lex, ratione tabernaculi pretiositatis haud dispensat (ut aperte supra allatum decretum n. 4137 tradit) a conopaei appositione; 2° quia conopaeum est etiam signum quod in tabernaculo ss. Sacramentum adservatur; nam tabernacula quae aliis in altaribus extant, tempore quo vacant, conopaeo nullo modo cooperiri debent. Ut ergo praedictum signum non deficiat, oportet ut tabernacnlum, licet pretiositate insigne, tum ratione materiae tum artis, si in eo ss. Eucharistia adservatur, conopaeo sive ad instar tentorii, sive, ex necessitate tabernaculi structurae, ad instar cortinae, omnino cooperiatur.

Si autem alicubi tabernaculum tholum praealtum haberet, variis cuspidibus columellis exornatum, sufficit in casu quod conopaeum tantummodo a coronide apte pendeat, et totam partem anteriorem tegat. Quando enim legem universam observare nequimus, saltem eiusdem parti obtemperare debemus.

Brevi: quae contra conopaeum critices dicunt prorsus in nullo pretio habenda sunt; et *Ephemerides liturgicae,* cum competens auctoritas conopaeum exigat, legi ipsae adhaerent, hortanturque omnes, quorum interest, ut ei adhaereant. Tabernaculum non est institutum, ut videatur, sed ut recondat ss. Eucharistiam, conopaeum autem est ut diximus veluti tentorium, quo ex lege thronus amoris cooperiri debet. Haec nostra sententia, a qua non recedimus, nisi et ipsa S. R. C. recedat.

Quaer. Stupore vehementer haud raro affecti fuimus, observando nonnullis in ecclesiis etiam observantioribus clericorum saecularium et regularium, fideles indiscriminatim, mares scilicet et feminas, communionem recipere inter septa presbyterii, et, quod deterius, ad ipsos altaris gradus: circa hanc praxim habetur ne aliqua temperatio, speciatim ob consuetudinem aliquam fere immemorabilem legi oppositam?

Resp. Quoad hanc rem, opus est ante omnia doctrinam in *Caerem. Paroch.* (tom. I, part. I, sect. I, cap. I, art. XIII) a nobis prius exposita huc referre. Extrema pars templi infra absidem, in qua altare maius existit, dicitur presbyterium, quia in eo conveniant presbyteri et alii clerici ad sacra officia obeunda, ideoque tum ipsis sacerdotibus tum clericis reservatur. Presbyterium undique claudi balaustrio marmoreo vel clathris ferreis aut etiam ligneis, eleganter extructis, deberet. Cum sacra officia peraguntur, interdicitur sociis cuiuslibet confraternitatis, etiamsi sint sacco induti, ne absque superpellico in presbyterium ingrediantur, etiamsi parochus consentiat (D. 2536); quod intelligendum est et de sacerdotibus, etiam praelatis. Sed si sacco ac superpelliceo sint induti *quoad ministerium inferioris ordinis tolerari possunt*. Non idem dicendum de Tertiariis saecularibus habitum talarem gestantibus, quia cum hic sit vere habitus religionis, valet, etiam ab ecclesiasticis, ad similitudinem regularium, assistendo sacris functionibus, non tamen ad altare ministrando, nisi cum superpelliceo, ut diximus de sociis confraternitatum adhiberi. Secluso peculiarissimo privilegio, de quo constare certo debet, etiam custodes (guardiani), priores etc. confraternitatum, excludendi sunt a presbyterio. Haec prohibitio complectitur etiam ecclesiasticos ac familiares episcopi, si in nigris tantum incedunt (9. 3549^3), non tamen familiares episcopi, qui ei actu famulantur, ut v. gr. ut lotionem ministrent, et custodiant res quae eis committuntur. Haec prae oculis habenda sunt praesertim a visitatore, qui prohibere omnino debet, ne laici occupent loca sacerdotum. Si contraria vigeat consuetudo, prudenter quidem agendum

est, ne scandala et dicteria in populo nascantur, sed efficaciter providendum. Si ergo, ut diximus, laici, aliqua induti specie vestis, similitudinem ecclesiasticae habentis, quam *sacco, camice* vocant a presbyterio arcentur, a fortiori arcendi sunt mere laicali veste induti. E Concilii Romani statuto hoc ad rem habetur: « Alias generali s. Sedis decreto, in ecclesiis etiam regularium, intra presbyteriorum et altarium septa, dum missae ibi celebrantur, aliave divina officia persolvuntur, saecularium personarum cuiuscumque conditionis et sexus assistentiam prohibitam fuisse non ignoratur. Veruntamen, cum adhuc laici quidam in vetita temere nitantur, et ibidem aut stare, aut scamna habere, vel genuflexoria sibi arrogare praesumant, id iterum, iuxta Sacrorum Canonum, eiusdemque Apostolicae Sedis mentem, sub ecclesiarum, regularium etiam, et quomodocumque exemptarum, interdicti poena, ipso facta incurrenda, et Romano Pontifici reservata, inhibemus (Tit. XXVIII, cap. IV) ». Prae oculis habeatur decretum generale Sacrae Rituum Congregationis diei 13 martii 1688, n. 1792, quo praeceptum est: « Decreta prohibentia personis saecularibus... assistentiam in presbyterio renoventur,.. et in casu transgressionis, procedant (archiepisc. et episc.) etiam contra regulares, auctoritate eiusdem S. C., *ad poenam interdicti* ». Inter decreta poenas comminantia pretium est operis ad notitiam afferre decretum ad *Senogallien.* die 15 martii, n. 1288: « E.mi S. R. praepositi, ea qua possunt sollicitudine summopere studentes tollere scandala, utque ecclesiae, quae decet reverentia et devotione, venerentur: *Committunt ac, expresse praecipiendo, mandant Episcopo Senogalliensi, ut omnino et sub poenis eius arbitrio exequi faciat et curet decreta eiusdem S. C. edita sub die 28 aprilis prox. praet., quibus declaratur non licuisse neque licere saecularibus ascendere chorum et presbyterium* ». Neque laicis cuiuscumque congregationis id licet, iuxta decretum in *Oriolen.*, die 22 ian. 1876, n. 3388 ad III et IV, tam exposito Sacramento, quam tempore quo *celebretur divinum officium*. Uno verbo, nemini, praeter personas regias, detur locus in pre-

sbyterio; de toto rigore, tempore alicuius functionis aut solius expositionis divinissimi Sacramenti, de omnimoda convenientia, etiam reliquo tempore (Cfr. Caerem. Episc. *lib. I. c. XI, n. 12*, et *ib. c. XIII, n. 13*). Graviter ergo, ait cl. Menghini, animadvertant in transgressores, qui decori divinorum mysteriorum praeesse debent, ac praesertim episcopi: atque, etiam extra divinorum officiorum tempus, caveant, ne quid indecorum in ecclesiis admittatur. Utinam altare unumquodque septum esset transennis; plurimae impedirentur profanationes, dum saepe altare ipsum fit fulcrum desidum, aut mensa vestiaria (De Orat. XL horarum in Instr. Clement. § XXIV, n. 78). Ad rem pretium est operis advertere quod tam presbyterium proprie dictum, quam locus intra septa aliorum altarium, ad excipiendos tantum ministros sacros reservantur. Providendum igitur ut et ipsa altaria secundaria seu cappellae instruantur transennis, seu balaustris, aditu solummodo patefacto ad sacra obeunda, ne laici, et praecipuae feminae, super eorum gradus sedeant, aut maneant, aut tempore missae, ut infra dicemus, ss. Eucharistiam accipere audeant vel, quod peius foret, praesumant.

Hisce praemissis, quaesito adeo exorbitanti, an liceat laicis utriusque sexus accessus in presbyterium ad ss. Eucharistiam recipiendam, clausis quoque oculis, citra omnem controversiam, uti ex se patet, nonnisi negativa responsio dari potest. Et sane presbyterium, ut fusius diximus, nemo nescit, locus sacer est, sacrisque functionibus destinatus, ut soli clerici eo accedere et ibi stare possint. Et ubi consuetudo contraria invenitur, sensim sine sensu, uti abusus legibus et Ecclesiae spiritui prorsus oppositans, e medio auferatur. Laici ergo utriusque sexus ss. Eucharistiam accepturi, quocumque gradu et conditione praediti, ad balaustrium, non autem intra septum presbyterii accedant et angelico Pane reficiantur. Unica ad allatam regulam exceptio in favorem laici missam privatam inservientis habetur, cui administrari potest intra presbyterium et in ora suppedanei altaris, etiamsi

habitu clericali haud induto (S. R. C. decr. die 8 iunii 1911, n. 4271 ad 1). Tolerantia enim qua laicus minister sine habitu clericali missae privatae seu lectae inservit facit ut laicus in presbyterium ingrediatur et ministret; semel autem admissus, ea omnia ibi peragere potest quae ministerium sequuntur, inter quae s. Communionis perceptio.

Antequam huiusmodi quaestioni finem ponamus, opus est et praxim aliquibus in ecclesiis inventam referre. Occasione magni concursus fidelium, ad communionem accedentium, vidimus viros peculiaris comitatus aut ecclesiae fabricae sacram Eucharistiam intra presbyterium, non apud altare, sed prope balaustrium recipere, ut inter alios fideles praecipuo quodam honore ipsi afficiantur. Circa hanc praxim, praesertim occasione magni concursus, quamvis aliqua consuetudine roboratam, si aliqui arguere aut reprehendere nihil ullo modo audent, nos tamen, literae et spiritui legis tenaciter insistentes, eam probare prorsus non possumus.

Quaer. Quibusdam in ecclesiis duas consuetudines a lege dissonantes comperimus, scilicet collocatio genuflexorii in presbyterio tempore adorationis Sanctissimi ad usum clericorum, et sedes camerales pro celebrante et sacris ministris occasione missae solemnis in cornu evangelii, loco scamni in cornu epistolae; quid ad haec?

Resp. Quoad I, opus est Instructionem clementinam consulere, quae (§ IX) sic absolute loquitur: Per vices unus aut alter sacerdos, vel saltem aliqui in alio sacro ordine constituti, superpelliceo vestiti, si fieri potest (etsi regulares sint), continuo adsint genuflexi, non super genuflexoria, sed ad aliquod scamnum, tapete pannove rubro, aut alterius coloris et decentis qualitatis coopertum, prope infimum altaris gradum, orantes die ac nocte. Deinde Instructio iubet, ut aliud scamnum panno viridi alteriusve decentis coloris coopertum, collocetur extra presbyterium, et in quo confratres suis vicibus pariter orent, ubi existit aliqua confraternitas. Iubet ergo Instructio ut scamnum vulgo dictum *banco* ponatur intra presbyterium loco genuflexorii; iubet ergo distin-

cte mandans, quod omnes ante scamnum, non in genuflexorio, orare debeant. Cl. Gardellini haec addit, § IX, n. 15. « Quae regula in Urbe servanda omnino est: in aliis vero dioecesium ecclesiis, censet Cavalerius parari posse genuflexorium pro clero. Veruntamen, etsi posse non inficiar, nihilominus ex decentia ab eo parando abstinendum puto, et scamnum potius decenti ornatum tapete adhibendum, ad differentiam Episcopi, qui, si veniat ad Sacramentum venerandum, utitur genuflexorio ».

« Ut autem scamnum pro laicis extra presbyterium paratur, ita illud pro ecclesiasticis locandum est - *vicino all'infimo gradino dell'altare* - hoc est in plano presbyterii; quamobrem contra legem illi faciunt, qui illud apponunt in altaris gradibus, nisi tanta esset presbyterii angustia, ut secus fieri nequiret ».

Ergo uti genuflexoriis, loco simplicis scamni, in casu, est prorsus agere contra legem absolutam, eique contradicere; ergo ita genuflexoria sunt prorsus removenda a presbyterio in casu, et in eo ponendum solum scamnum decenter ornatum iuxta legem. Ne dicas haberi privilegium utendi genuflexorio, loco scamni, in casu, in constitutionibus vel in consuetudine; nam amplius sustineri nequit iuxta decretum S. R. C. 7 dec. 1888 ad 1, n. 3697, iuxta principia posita ad III, ad *primum* et in aliis etiam quaesitis. Fortassis dicas: Vi constitutionum, sacerdotes stare debent in genuflexorio panno rubro cooperto, alii vero in genuflexorio tapete viridi coperto (quod quidem comperimus propriis oculis in inspectionibus nostris), sed frustra; nam Instructio iubet nedum sacerdotibus, verum etiam omnibus in sacris ordinibus constitutis, orare ad idem scamnum. Lex, ut optime notat cl. Gardellini (loc. cit. n. 14), non prohibet quominus laici regulares presbyterium ingrediantur ac orent genuflexi in dicto scamno: « nam hi, deficientibus sacerdotibus et clericis, et cum ex privilegio in clero computentur induantque superpelliceum, licite possunt presbyterium ingredi, et orare ad scamnum pro ecclesiasticis assignatum ». — Paulo ante,

sub n. 3, loquens de iis qui intra presbyterium orare debent, dicit: « ... Lex tamen aliquam modificationem admittit quoad numerum et gradum clericorum, qui huic adorationi vacare debent. Instructio equidem exigit unum vel duos sacerdotes, aut saltem clericos in sacro ordine constitutos; adiicit tamen conditionem, quatenus haberi possint. Quod si hi desint, vel pro singulis locis haberi nequeant, substitui poterunt clerici ad minores gradus promoti, vel etiam regularium ordinum laici, et qui monachi conversi dicuntur ». Idem dicit in n. 1.

Facimus has animadversiones pro omnibus ecclesiis sive regularibus sive saecularibus. In casu oportet sapere ad sobrietatem, ne inveniatur sapientior quam ipse legislator. Ergo nobis concludendum est: Non licet in oratione pro expositione XL horarum, intra presbyterium uti genuflexoriis; insuper cavendum est ne contradicatur praxi Urbis ecclesiarum in casu. Et iuxta eamdem praxim foret valde conveniens collocare ante altare expositionis, extra presbyterium, scamnum decenter ornatum ibique semper permansurum, et inserviens adorationi pro episcopis.

Oportet ad rem doctrinam cl. Menghini textualiter huc referre: « ... Genuflexoria nominatim in Instructione excluduntur. Genuflexorio uti in ecclesia ad orandum specialis magnatum praerogativa est, praecipue si strato, seu tapeto et pulvinaribus instruatur. Quaesitum fuit a S. R. C., *Dubiorum,* 10: An permittenda sint in Urbe genuflexoria cum stratis et pulvinis in ecclesiis pro personis cuiuslibet conditionis; vel potius reprobanda, praeterquam regali vel cardinalitia dignitate fulgentibus? » Et die 17 sept. 1822, responsum fuit: " Negative ad primam partem. Affirmative ad secundam (n. 2621) ". Hoc autem responsum innititur S. C. Caeremonialis decretis, 30 maii 1701, et 11 aug. 1705. Insuper, ex Caeremonialis Episcoporum dispositione, genuflexorium panno coopertum, appositis pulvinaribus superius et inferius, Episcopo ordinario debetur (*Lib. 1, c. 12, n. 8*). Unde concludendum est, genuflexorio, in casu, nullimode

utendum (De Orat. Quadr. Hor. in Instr. Clem. ad § IX, n. 26) ».

Quoad II, scilicet quoad sedes camerales pro celebrante et sacris ministris, occasione missae solemnis in cornu evangelii, loco scamni in cornu epistolae, respondemus negative. Patet manifeste; nam Instructio mandat, ut celebrans non utatur sede camerali, sed scamno (brachia non habente), cuius ornetur pars posterior rubri alteriusve coloris panno, et in quo simul cum ministris sedeat. Pariter iubet Caerem. Episc. Lib. 1, cap. XII, n. 23: « Scamnum oblongum coopertum aliquo tapete, aut panno aptari a latere epistolae, in quo sedeat sacerdos celebrans, cum diacono et subdiacono ». Caeremoniale nec formam praescribit, nec ornatum, quae duo accidentalia sunt, et varia esse possunt iuxta, diversas ecclesiarum consuetudines; dummodo certos intra fines coerceantur. Scamni nomen genericum est, et aeque potest intelligi tam de scabello oblongo, quam de lignea pariter oblonga sede cum suo postergali; excludit vero sedes camerales. Qui tamen sit Caeremonialis sensus, num velit scamnum cum vel sine postergali, incertum est. Quoad decreta S. R. C. hac in re, sunt innumera; sufficiat nobis citare ultimum in una *Dubiorum,* die 17 sept. 1882 ad 7, n. 2621, in quo Sacra eadem Congregatio mandavit stricteque praecepit locorum Ordinariis, ut omnimodam illius observantiam urgerent, et in quo declaratur, ut *abusus reprobandus, atque damnandus,* usus adhibendi in missis solemnibus pro celebrante, sedes camerales serico damasceno ornatas, loco scamni tapete cooperti, et similia scabella pro ministris. Quinimo, die 8 aug. 1835, n. 2734 ad 2 in *Alben.* declaratum est, praecedens decretum comprehendere etiam *ritum dominicanum.* Est usus omnino oppositus unanimi consensui auctorum probatorum, praxi ecclesiarum, speciatimque ecclesiarum Urbis.

Quod auctores, audiamus cl. Martinucci lib. II, c. IV. n. 7. *de Missa solemni:* « In cornu epistolae statuetur scamnum cum modico dorsuali seu postergali, quo celebrans cum ministris consedebit: scamnum instruetur aulaeo laneo,

quod conveniat solemnitati: oportet ut scamnum sit aequale, sine fulcris, sine prominentia, aut discrepantia ulla pro celebrante: nullus celebranti quidem, supponatur pulvinus. Licebit tamen uti exiguo suppedali ligneo, quod exiguo etiam contegetur tapeto viridis coloris. Interdicitur usus sedium cameralium et celebranti et ministris, itemque sedes ut aiunt camerales pro celebrante, ac duo scabella pro ministris »; et alibi passim. Audiamus cl. Gardellini in suo commentario in Instruct. Clem. § XXV, n. 3. Postquam retulerit sanctionem Instr. Clem. dispositionemque Caerem. Episc., ac plura S. R. C. decreta, haec addit: « 3. Quae cum ita sint, consequitur, nedum in solemnibus missis pro Oratione quadraginta horarum sedes camerales vetitas esse, verum etiam in aliis omnibus expositionibus, et numquam adhibendas vel in missis, vel in vesperis et matutinis horis, quae in celebrioribus festivitatibus solemniter cantantur, cum festivo apparatu a sacerdote cum ministris pluvialibus indutis. Nam *Instructio* hac in parte sequitur legem universalem. Cavenda hinc esset Praesidum auctoritate illorum licentia, qui in aliquibus ecclesiis adhiberi praesumunt sedem cameralem pro celebrante cum scabellis pro ministris. Scamno utendum omnino est cum postergali cooperto panno rubei vel alterius decentis coloris. Huiusmodi vero tegumentum potest esse sericum, et differre debet ab altero pro laicis posito extra presbyterium, tegendo panno serico, sed vilioris materiae ». Verbis expressioribus uti non poterat.

Scamnum, de quo est sermo, potest tamen esse cum vel sine postergali (S. R. C. die 27 mart. 1824 in *Tiburtina*, n. 2631 ad 3). Utique plura decreta sedem cum postergali prohibent, quod tamen intelligi debet de sede stricte dicta, ita ut celebrans et ministri seorsim sedem occupent, non autem de sede scamni formam habente.

Quod autem usum locandi scamnum in cornu evangelii satis est dicere: Scamnum pro sacris ministris, collocandum non est in cornu evangelii, sed tantum in cornu epistolae, quia ita praecipit Caeremoniale Episcoporum et rubrica ge-

neralis missalis (Tit. 17, n. 6), etiamsi celebrans altiori dignitate praestet, ex gr. protonotarius, canonicus, superior provincialis vel generalis ordinis etc. Cfr. Catalanum, hoc loco n. 7; De Herdt. *Praxis Sacr. liturg.* n. 145.

Quaer. In solemni functione Sabbati Sancti in aliquibus ecclesis sequens praxis notatur: Praeconium decantatur ab alio diacono, diverso ab illo qui missae inservit, adeo ut duo sint diaconi, alter missae, alter vero praeconii; quid dicendum? Abolendane est praxis praefata, an potius toleranda?

Resp. Eruditissimus Meratus hac de re agens (P. 4, tit. 10, de Sabbato Sancto, rubric. 4, n. XI), notat quod « Dioconus debet esse ille idem, qui in missa et officio inservire debet, et non alius ad hanc solam functionem et ad cantandum tantummodo praeconium *Exultet* etc. », ut male multi faciunt: hoc enim repugnat omnino rubricae missalis, neque in ullo habetur caeremoniali, cum sit quiddam addere, quod est contra Bullam Pii V, et maxime notandum cum Corsetto (cap. 8, n. 3), et Hippolyto a Portu (rubr. 4, in adnotat. n. 7) ». Haec profecto est generalis regula in rubricae praescripto fundata; quae tamen tanto cum rigore accipienda non est, ut et praeceptivis adnumeranda sit, et nullus detur casus, qui aliquam in quibusdam circumstantiis exigat moderationem. Quamobrem Sacra Congregatio, regulae insistens, primum proposito dubio respondit *Negative;* veruntamen omnia considerans, quae in casu concurrunt, et indulgentiae dans locum, rem supremo Pastori definiendam remisit, addens rescripto: « Consulendum Sanctissimo iuxta Votum », quod erat « pro indulto servandae consuetudinis, attentis peculiaribus circumstantiis, in casu de quo agitur ». Et Sanctitas Sua adprobado et confirmando eiusdem Sacrae Congregationis Votum, *benigne annuit* (D. 27 martii 1824, numero 2631[2]). Eamdem S. Rit. Congregationem, die 2 aprilis 1875, Rev.mus D. Pelagius Antonius Labastida, archiepiscopus dioecesis Mexicanae adivit, et quia « Ex immemorabili tempore in metropolitana Mexici mos inolevit ut praeconium paschale non per diaconum, qui missae inservit, de-

cantetur, sed per subcantorem aut aliquem ex clericis chori qui cantum calleat. Quum autem morem hunc immutare ad mirationi dare posset locum, praefati usus continuationem humiliter imploravit ». Sacra vero Rituum Congregatio, audita relatione huiusmodi instantiae per eiusdem secretarium facta, rescribere rata est: « Pro gratia; dummodo cantor sit in ordine diaconatus, facto verbo cum SS.mo. » Facta autem de praedictis SS.mo D. Pio Papae IX fideli relatione per Secretarium, Sanctitas Sua benigne annuere dignata est pro gratia ad tramitem rescripti Sacrae Congregationis. Die 8 eiusdem mensis et anni. Hisce praemissis, cum auctore adnotationis ad allatum decretum n. 2631, dicimus. Quum ad praeconium canendum diaconus seligendus sit, qui bene calleat cantum gregorianum, ne asperitate vocis et dissonantia notarum adstantibus offensioni et scandalo sit, multosque ad risum potius commoveat, quam ad devotionem alliciat: cumque alicubi ad officium diaconi pro sacris actionibus et missa, specialiter aliquis teneatur, qui tamen ad modulandum vocemque notis aptandam habilis non sit; satius esse videtur alium substinere ad canendum praeconium, quod multum requirit idoneitatis. Hinc novum non est, quod in permultis ecclesiis mos invaluerit ad unum praeconium canendum alium seligere diaconum, ab eo diversum, qui celebranti assistere debet. Huiusmodi autem mos, qui praesidum vigilantiam ut fugiat, haud credi potest, nihilominus tacite toleratur; sed tolerantia locum non haberet, si rubrica aliquam quandoque moderationem, aut dispensationem, aut benignam interpretationem non admitteret. In nostra facti specie rationabilis causa dispensationis non deerat, siquidem episcopus ipse fatebatur in Tiburtino clero perpaucos esse ad huiusmodi officium aptos, praesertim quia in cathedrali diaconus, qui celebranti tenetur assistere, unus est ex duobus, qui ex fundatione Card. Marescotti praebenda fruuntur cum onere inserviendi in officio diaconi et subdiaconi, canonicis celebrantibus. Plerumque idcirco fit, ut ex illis nullus sit aptus ad cantum praeconii: en necessitas alterum ad hoc munus suf-

ficiendi. Aderat igitur in casu proposito congruus ac rationabilis titulus, quo Tiburtinae cathedralis capitulum servandae consuetudinis indultum obtineret. Ex dictis, sententiam nostram si fas est pandere, cum sapienti scriptore adnotationis super decreto n. 2684 ad *Pisanam*, dicemus: Praxis super allata revera contraria est rubricae missalis, iuxta quam unus idemque debet esse diaconus, et advertit Meratus et Corsettus supra adducti, et alii auctores melioris notae. Et sane etiam S. Rituum Congregatio, cuius munus est vigilare rubricarum observationi, contrariam consuetudinem noluit admittere, et si attentis peculiaribus circumstantiis inclinasse videtur, tamen eodem tempore noluit eam propria auctoritate aut adprobare aut confirmare, utpote rubricae dispositioni non apprime conformem, et, si qua indulgentia hac in re possit concedi, a Supremo Pastore concederetur, quemadmodum revera factum est. Quapropter peculiaris haec Tiburtinae et Mexicanae cathedralibus ecclesiis, ob speciales rationes, concessa indulgentia, generalem non constituit dispensationem; adeo ut liberum cuique sit ea uti. Si enim eadem non adsint rerum adiuncta, fortasse nec alteri ecclesiae concederetur, eoque minus poterit aliqua ecclesia per se hanc sequi praxim, persaepe enim evenit ut diaconus praeconii diversus sit a diacono missae, non ex necessitate, non ex vocis defectu, vel ex voce aut nimis aspera, aut ad modulationem inepta; sed ex quadam vocis ipsius ostentationis specie alius seligatur diaconus qui adstantium concinna nimis vocis modulatione alliciendo aures, plausus captare velit ac laudes. Nisi igitur necessitas adsit, unus idemque esse debet diaconus praeconii et qui in missa ministrat; sine enim necessitate aut rationabili causa rubrica accuratissime servanda est, nec ab ea declinandum, et omnis illius interpretatio, si quae in tam clara illius dispositione esse potest, excludenda est.

Quaestiones Liturgicae.

De discrimine inter rubricam ritualis et instructionis clementinam quoad operimentum ostensorii post communionem celebrantis in missa, occasione processionis ss. Sacramenti; de tempore incedendi, et de usu umbellae:

Quaer. Occasione processionis ss. Sacramenti, nonnulla in ecclesiis etiam observantioribus adnotantur, quae non omnino consentanea communi praxi legique liturgicae videntur. Et 1° post communionem in missis, exponitur Santissimum absque veli operimento, contra praescriptum Ritualis Romani (Tit. IX, c. 5, n. 2); 2° dum celebrans cum ostensorio ad populum versus est, chorales hymnum *Pange, lingua,* intonant, et expleta prima stropha, inceptaque secunda, tandem movetur processio; 3° umbella super celebrantem ostensorium ferentem non extenditur ab altari usque ad balaustrium, iuxta communem liturgicorum sententiam. Quid de allatis praxibus?

Resp. Valde gaudemus super expositas quaestiones aliquantulum immorari, cum praxis inter ecclesias et ecclesias prorsus dissentire videatur, non sine fidelium admiratione.

Quoad primam thesim, Rituale Romanum (loc. super cit.) praescribit: « Sacerdos primum missam celebret, in qua duas hostias consecret, et sumpta una, alteram in tabernaculum in processione deferendam ita reponat, ut per vitrum seu crystallum, quo ipsum tabernaculum circumseptum esse debet, exterius adorantibus appareat, veloque operiatur, donec auferatur ab altari ». Haec expositio Ritualis ostensorium cooperiendi occasione solemnitatis Corporis Christi habuit strenuos propugnatores Cavalerium et

Baruffaldum, qui nituntur hanc peculiarem Ritualis legem extendere similibus casibus, etiam quadraginta horarum. Verba Cavalerii afferimus, unde rationes patent, quibus ille suam de Sacramento velando opinionem tuetur. Ait enim (§ 20 Instructionis Clementinae n. 3): « Dum perficitur missa, an ostensorium sit velandum, novissime Romae consultus extitit quidam in sacris ritibus peritissimus, qui non esse velandum ex eo censuit, quod de hoc velo ne minimum quidem habetur verbum in praedicta Instructione. Pusilla nobis apparet ratio huiusmodi, ut ex eadem nos magis eruamus oppositum; quae enim Instructio particulariter non notat, rubricarum dispositioni relicta censentur; quare cum Rituale Romanum tit. de Processione in festo ss. Corporis Christi, in casu omnino simili de ostensorio habeat: **Veloque operiatur, donec auferatur ab altari,** velandum nos esse credimus cum Baruffaldo, qui rationem affert, *ne dum reliquae missae peraguntur, Sacramentum indebite appareat collocatum extra baldachinum* ». Verum, si recte omnia pensentur, apparebit Romanum in sacris ritibus peritissimum bene respondisse quaesito; Cavalerium autem nimis propriae opinionis fuisse tenacem; et perperam petiisse decidendi rationem a Rituali Romano, quod vix, ac ne vix quidem locum habet in processione Corporis Christi.

Equidem non inficior, ait illustrator Instructionis, claram esse eiusdem *Ritualis rubricam* praecipientem velo cooperiri ostensorium donec auferatur ab altari. Cohaerenter ad eam idem docent Bauldry (Manual. sacr. caerem. part. 4, cap. 16, art. 3, nn. 1, 2); Catalanus (ad dictum Ritualis titul., § 2, n. 5), ac, ut ceteros praeteream, Baruffaldus a Cavalerio laudatus. Sed rubrica haec loquitur de solemni missa celebranda in die festo ss. Corporis Christi, in qua consecratur hostia collocanda in ostensorio pro instruenda processione (1); et ad hanc digitum intendunt scriptores omnes,

(1) In missa, aiunt nonnulli auctores, quae celebratur in festo ss. Corporis Christi, sacra consecratur hostia ad finem tantummodo eam processionaliter circumferendi, quae functio cum benedictione

qui de hac re pertractarunt. Verum iidem ne memorant quidem expositionem XL horarum, neque erat ibi locus de ea agendi: quod si fecissent, longe secus existimassent. Et revera P. Meratus opportune distinguit a processione in festo Corporis Christi, ab expositione XL horarum. Cur autem et unde discrimen? Quia sacrae actiones etsi ad idem tendant obiectum, sunt tamen diversae: idcirco quod in una iubet *Rubrica,* in altera non exigit particularis *Instructio.* Quamobrem si aliqua est discriminis ratio, haec sola attendi posse videtur.

Quatenus vero, prosequitur laudatus illustrator, non esset omnino posthabenda ea pars *Rubricae Ritualis,* etiam quoad missam pro expositione XL horarum, vix ea concedenda foret vis directiva, quae nullum infert praeiudicium consuetudinibus laudabilibus et rationabilibus contrariis. Certum tamen est, quod *Caeremoniale Episcoporum* (lib. II, c. 33, n. 24), licet caeremonias omnes enumeret in sacra illa actione servandas, ne verbum quidem habet de velo, quo tegatur ostensorium, priusquam de altari removeatur: imo facile consequitur iure id praetermissum. Magis propterea patet *Rubricam Ritualis* utpote directivam contraria consuetudine penitus obsolevisse; doctrinam vero Baruffaldi et Cavalerii nihili pendendam esse.

Nec mirum est, si *Rituale Romanum* eam posuerit rubricam, etiam in nova editione typica, a Pio X Pp. castigatum et auctum. De tempore enim, quo fuit ordinatum, forte plures ecclesiae erant, quae eum servabant ritum velandi ostensorium, donec tempus instaret deferendi Sacramentum in solemni processione. Nam sub finem saeculi XVI et sequentis initium, quando dispositi fuere ri-

---

finem habet; expositio vero, si post processionem alicubi fiat, est accessoria: contra vero finis principalis pro oratione XL horarum est expositio, quae per triduum diu noctuque durat, et processio instruitur non ad necessitatem, sed ad celebritatem, ideoque est accessoria.

tuales libri, adhuc reliquiae supererant antiqui moris. Paulo ante prodierat Instructio s. Caroli Borromaei pro Oratione XL horarum, quae datam habet 27 iunii 1577, et inter alias servandas regulas, hanc habet: « *Per far questa Orazione il ss. Sacramento si collochi sopra l'altare maggiore e fuori del tabernacolo maggiore con un velo di seta, che copra il tabernacolo piccolo, che ha dentro il ss. Sacramento; e sia tanto lungo, che faccia due ali dalle parti fino alli due corni dell'altare, l'uno dall'evangelo e l'altro dall'epistola* ».

Eo igitur aevo disciplinam ecclesiarum fuisse, haec regula ostendit, collocandi Sacramentum in publicis expositionibus non in eminentiori loco sub umbella, sed in medio altaris extra tabernaculum maius: aequum igitur erat, ut velum ad illud tegendum adhiberetur loco umbellae. *Ritualis Romani* extensor, praefatam regulam prae oculis habens, eam sequi opportunum duxit, ratus non decere vel ad breve tempus permanere Sacramentum in altari sine velo. Quamobrem ex varietate, quae inter *Caeremoniale Episcoporum* et *Rituale Romanum* intercedit; argumentum sumimus, quo statui posse videtur sub saeculi XVI finem et sequentis initium, antiquum morem immutari coepisse, sed non universaliter.

Quamobrem *Caeremonialis Liber,* qui maioribus ecclesiis inservire debet, velum, quo tegatur ostensorium, non memorat, quia in cathedralibus et collegiatis alia iam consuetudo inducta fuerat: *Rituale* vero pro parochialibus aliisque minoribus ecclesiis adornatum, secus habet, quia hae adhuc vestigium aliquod retinebant antiqui moris. Atque haec expeditior via mihi videtur conciliandi simul *Caeremoniale* cum *Rituale,* quamquam in utroque non de expositionibus res sit, sed de processione in solemni festo ss. Corporis Christi. Temporis tamen successu universalis evasit praxis *Caeremoniali* conformis; et modo numquam Sacramentum velo tegitur, nisi in expositionibus illis, quae fiunt ex causa privata, scilicet pro infimo, vel particulari aliqua necessitate.

Quaecumque tamen sit *Rubricae Ritualis* vis, ea limitatur ad unum festum ss. Corporis Christi, neque extendi debet ad solemnem expositionem faciendam pro Oratione XL horarum, aut alias, quae fiunt, praecedente missa, qua consecratur hostia in ostensorio collocanda. In his tenenda est *Clementina Instructio,* quae concordat cum *Caeremoniali Episcoporum,* nec ullum relinquit dubitandi locum, dummodo integer contextus consideretur et omnia simul conferantur. Liberum igitur mihi est contra Cavalerii opinionem existimare, quod standum sit Instructionis dispositioni, quin servari debeat regula *Ritualis* de festo Corporis Christi, quam eadem *Instructio* non praescribit. Quod si aliquis sit, qui adhuc dubitet, optimam legum interpretem consuetudinem consulat, et prae oculis habeat. Porro haec conformis est *Caeremoniali Episcoporum* et *Instructioni,* non autem *Ritualis Rubricae.* Siquidem in omnibus Patriarchalibus aliisque maioribus Urbis ecclesiis nullo velo tegitur ostensorium; sed posteaquam a diacono in medio altaris fuit collocatum, apertum ibi manet usque ad finem missae, in qua propterea servatur ritus conveniens Sacramento exposito.

Quoad secundam thesim, ante omnia citare oportet praescriptum Instructionis Clementinae: « *Principiandosi poi dai cantori l'inno Pange, lingua,* etc. (*il celebrante*) *s'incamminerà sotto il baldacchino, recitando,* etc. ». Recte Cavalerius ad hunc locum, n. 8, verbis allatis insistens, carpit usum nonnullarum ecclesiarum, in quibus celebrans stat in suppedaneo altaris per totam stropham praedicti hymni, et nonnisi, eadem terminata, descendit, supponens se baldachino. Processio autem, ne eius dispositio moram iniiciat, *si principierà anticipatamente, fatta l'elevazione del Santissimo, o prima, secondo che sarà più o meno numerosa.* Decet ut instruatur processio, priusquam celebrans, accepto e manibus diaconi Sacramento, se ad populum convertat ad supplicationem claudendam processurus, ne cogatur diu in altaris suppedaneo immorari. Instructio regulam decerpsit ex *Caeremoniali Episcoporum* (lib. II, c. 33, n. 16), ubi legitur: « Ele-

vato ss. Sacramento, vel etiam ante, si opus erit, iunior magister Caeremoniarium curabit, ut processio secundum ordinem..... dirigatur et procedat ». Quae tamen Caeremonialis regula pro solemnissima supplicatione in festo ss. Corporis Christi necessaria omnino est, in qua magna est diversorum ordinum interessentium copia. In aliis ecclesiis, ubi pauci processionem componunt satis est ut fiat prope missae finem, vel etiam ea expleta. Non debet, ait cl. Menghini, celebrans expectare, prout multi faciunt, donec cantetur tota prima strophe hymni *Pange, lingua,* sed procedere debet vix hymno incepto, quod clare explicatur a *Rituali Romano* (loc. cit.). Dum vero sacerdos discedit ab altari, clerus vel sacerdos (in casu nostro cantores) **incipit** hymnum (De Orat. Quadr. Hor. § XIX, n. 56).

Ad praecavendam non laudabilem cunctationem celebrantis in suppedaneo altaris, fas est chorales dum sacri ministri ad scamnum post missam recedunt, ex ordine e stallis discedant et disponantur genuflexi inter presbyterium et ecclesiae navim; et statim ac hymnus *Pange, lingua,* a cantoribus intonatur, componentes clerum, praemissa genuflexione utroque genu, iuxta aliquos scriptores, vel *unico genu,* quia adhuc praesentes in eiusdem actu functionis, vel tantum capitis inclinatione profunda, iuxta alios, surgant et procedant.

Tandem quoad tertiam thesim explanandam, visum nobis est sapientem doctrinam cl. collaboratis nostri Menghini ex integro huc referre: « Baldachinum subeunt sacri ministri extra septa presbyterii, praesertim si a confraternitatis sodalibus aut a laicis deferatur. Solent nonnulli ab altari ad cancellos, sive balaustrium, super Sacramentum deferre umbellam; imo plerique, stante adhuc sacerdote super suppedaneo, illam aperiunt et Sacramento superponunt; hoc porro praestat alicubi aliquis confraternitatis sodalis, sacco tantummodo indutus. Rem inutilem admittunt primi, cum infra septa presbyterii, quid unum cum altari efficientis, ss. Sacramentum, etiam omnino discoopertum, ut

in communione distribuenda, absque umbella, nulla lege eam praecipiente, deferatur; magis autem inutilem et incommodam admittunt alii, cum minus quam in primo casu id requiratur, et tres sacri ministri adsint supra suppedaneum, et locus non supersit retro celebrantem; contra legem apertissime refragantem agunt prostremi, cum nemini, etiam Priori, *Guardiano,* etc. aut sacerdoti, sacco tantum induto, locus dari queat, vel ad momentum, in presbyterio, multoque minus super gradus altaris et circa almum Sacramentum.

Si baldachinum non habeatur, satis est umbella, quam, extra presbyterium, deferre valet etiam aliquis sodalis sacco indutus; possunt enim hastas baldachini deferre confratres eiusmodi, atque idem declaravit S. R. C. decr., n. 2830[2] in *Corcyren.,* die 22 maii 1841, in favorem Prioris sodalitatis ss. Sacramenti, in cathedrali ecclesia Corcyrensi erectae, occasione processionis tum feriae V in Coena Domini, tum festi ss. Corporis Christi: *extra presbyterium, et solum arbitrio R.mi Archiepiscopi.*

Nullibi insinuatur utriusque obiecti usus, baldachini nempe et umbellae, quinimo unum vocabulum pro altero plerumque usurpatur indiscriminatim, liturgico sermone: sed verum est hodie inter utrumque reipsa differentiam inesse, ita ut primum inserviat pro solemnioribus functionibus, uti in processionibus, viatici nobiliori delatione, etc.; altera pro minoribus, v. gr. translatione Sanctissimi ab uno ad alterum altare, viatici privata delatione, etc., vel etiam si in casibus praecedentibus per angusta locorum transeundum sit.

Equidem Caeremoniale (loc. cit. n. 23), cum loquitur de reditu episcopi processionaliter Sacramentum deferentis, habet: *Sub baldachino ibit usque ad cancellos, vel presbyterium, vel ad gradus altaris, iuxta ecclesiae structuram et situationem;* ex quo loquendi modo argumentantur nonnulli cum Gardellino (in h. loc.), si nequit baldachinum introduci in presbyterium, ob accessus angustiam, tunc prorsus *umbella erit ad-*

hibenda. At nos non videmus id debere admitti, 1° quia umbella a baldachino distincta a Caeremoniali non consideratur; 2° quia presbyterium consideratur, ut superius diximus, quid unum cum cum altari, ita ut Caeremoniale tertio loco dicat *ad gradus altaris*, si videlicet non sit ita constructa ecclesia, ut habeat *cancellos*, aut *presbyterium* distinctum; tunc enim certo inconveniens esset auferre baldachinum longius a sanctuario, seu, in casu, gradibus altaris; 3° quia verba *descendit sub umbella*, quae citat Gardellini, ut sensum a se admissum defendat, intelligenda sunt et de *baldachino*, si loco umbellae habeatur, ipsomet auctore ita prius fatente, quod loco congruo profecto statuetur.

Attento Caeremonialis et Instructionis silentio, excusat Cavalieri eos qui umbellam intra presbyterium non deferunt. Sed nos instamus, potius quam excusationem insinuamus omnimodam exclusionem: unice admisso usu umbellae, *si*, ut ait ipse Gardellini, *prae loci angustia* (adde: extra presbyterium) deserendum est baldachinum (De Orat. Quadrag. Horar. § XIX, n. 56). Nemo sit igitur qui obiiciat distinguendum esse inter presbyterium arctorum latiorumque limitum, quia haec distinctio nihil ad allatum principium infert, nempe quod presbyterium quid unum morale cum altari censetur. Sit ergo presbyterium parvum sitque peramplum, inter eius septa sine exceptione ss. Sacramentum absque umbraculo defertur, sive in actu expositionis, cum ministro opus sit illud transferre post altare, sive in actu generalis communionis. Non infrequenter, occasione indulgentiarum vel simili, fideles magna cum frequentia ad ss. Eucharistiam accedere solent; tunc plura scamna linteo mundo contecta hinc inde a cancellis circulatim seu in quadrum intra ecclesiam ordinentur, et in extremis interiecti spatii duo saltem candelabra cum cereis disponantur, quae perpetuo colluceant, dum fidelibus circum genuflexis sacra communio distribuitur (D. 3086[2]), nisi duo acolythi cum funalibus accensis sacerdotem Eucharistiam distribuentem comitentur, vel eo loci genuflexi maneant. In hoc casu, non est necesse

baldachinum super, Sanctissimum adhibere, quinimo rectius videtur agere sacerdos qui a nobis allato principio prorsus obtemperat. Concludendum est cum cl. Martinucci: « Donec celebrans Sacramentum apud altare et in presbyterio sustinet, non oportet eum comitari parvo umbraculo; quod si adhibendum esset, multo aequius ad balaustrium in communione laicorum esset sustinendum » (Libr. II, cap. VI, art. XIV, *de feria V in Coena Domini*, n. 47, in nota).

P. M[a]. D. A.

Archaeologia Liturgica.

Quaedam monumenta osculum pedis Romani Pontificis plenius illustrantia.

Ad pleniorem de osculo pedis R. Pontificis tractationem, uberioremque argumenti confirmationem et illustrationem, liceat quaedam alia addere ex variis monumentis deducta; quae in superioribus articulis vel nobis exciderunt, vel locum habere aliis de rationibus non potuerunt. Agemus: 1° De osculo pedum Christo et Apostolo Petro exhibito, prout in monumentis archeaologicis repraesentatur. 2° De osculo pedis, quod a fidelibus aeneae imagini B. Petri in Basilica Vaticana exhibetur. 3° De quibusdam SS. Martyrum Actis huc spectanctibus. 4° De formulis « cum osculo pedum » vel similibus in epistolis ad Rom. Pontificem directis.

§ 1.

De osculo pedum Christo et Apostolo Petro exhibito, prout in monumentis archaeologicis repraesentatur.

Eo sensu quo superius (1) osculum pedum Romano Pontifici exhibitum, in sacris Scripturis fundari affirmavimus, eodem sensu a christianae Archaeologiae monumentis illustrari et confirmari asserere possumus. Primi enim fideles, ea maxime quae enarrant Evangelia, liberalibus artibus varie expresserunt, inter quae non infimum locum tenent historiae, osculum pedum Christo exhibitum, narrantes.

---

(1) *Ephemerides*, anni curr., pag. 6.

Frequentior huiusmodi historiarum repraesentatio, ea est quae, unam a Lazari sororibus ad pedes Domini provolutam exhibet. Ad propriam fidem in futuram mortuorum resurrectionem exprimendam, consueverunt primi fideles in cubiculis funerariis, et maxime in sarcophagis Christum repraesentare, Lazarum a mortuis revocantem. In picturis coemeteriorum, quamvis tot vicibus miraculum hoc repetitum reperiatur, tamen una vice tantum ad pedes Christi Maria Magdalena, aut Martha, genuflexa et ad pedes Domini inclinata conspicitur, quae pictura extat in Coemeterio Priscillae in cubiculo, quod *clarum* appellatur (1).

In sarcophagis vero saepissime una e Lazari sororibus ante Dominum procumbens ad eius pedes intenta cernitur. Cl. Garrucci in sua Artis Christianae Historia triginta circiter huiusmodi repraesentationes ex sarcophagis depromit (2).

Aliae in monumentis archaeologicis exhibentur piae mulieres ad pedes Domini provolutae, uti: Haemorrhoissa, Mulier Cananea, Mater filiae Iairi, etc. Viri quoque, quamvis non ita frequenter, ad pedes Domini, quasi eos deosculantes, inclinati occurrunt.

Sed non est sub silentio praetereunda repraesentatia in sarcophagis potissimum expressa, in qua Christus cernitur vel super montem stans, ex quo quatuor flumina scaturiunt, vel super cathedram sedens, et ante eum genuflexi vir et mulier conspiciuntur, manus ad pedes extensas habentes, quasi eos ori admovere et osculari intendant. Non una est Archaeologorum sententia in determinando horum duorum adoratorum personam. Quidam putant in eis, duos coniu-

(1) WILPERT, *Le Pitture*, Roma 1903, pag. 288. En huius Cl.mi Scriptoris verba: « Inusitata è la figura di una sorella di Lazzaro, che sta in ginocchio a lato del Salvatore ».

(2) GARRUCCI, *Storia dell'Arte Cristiana*, Vol. V passim. — Cf. Alias huiusmodi imagines videsis in CABROL-LECLERQ. *Dictionnaire d'Archoléogie Chrétienne*, passim, et maxime, vol. II, pag. 1549, vol. III, pag. 1115, etc. — HAUFMAN, *Manuale di Archeologia Cristiana*. Roma 1908, pag. 340.

ges indicari, pro quibus sarcophagus exstructus fuit: alii autem autumant, in illo viro et muliere totum humanum genus repraesentari, quod talis adorationis actu, propriam fidem et gratum animum in Christum Redemptorem profitetur (1).

Qualiscumque sit harum repraesentationum sensus, certum est, primos fideles ope etiam illius magisterii, quod ars, natura sua exercet, didicissse, osculum pedis, utpote quod in Evangeliis probatur, inter religionis actus recensendum esse.

Cum autem ipsi non amplius possent Christo Domino *immediate* et *directe* illud exhibere, *mediate* et *indirecte* illud praestiterunt. Christus commiserat Petro, ut vices suas in terris ageret; agnos et oves sui gregis pasceret, confirmaret fratres, pro merito solveret vel ligaret.

Intellexerunt illum, cui tanta participata fuerat divina auctoritas, honoribus quoque singularibus prosequendum esse. Sicut igitur Christum, ita et Petrum primi fideles osculo pedis honorarunt.

Cornelius Centurio praeivit exemplo suo, cum primo obviaret Petro, uti iam superius etiam innuimus, « occurrens ei, procidit ad pedes eius et adoravit » (2).

Quam B. Petri adorationem in monumentis quoque archaeologicis expressam reperimus. Quosdam sarcophagos indicare placet, in quibus manifeste osculum pedis Petro exhibitum repraesentatur. Eum ordinem in his dandis sequimur, quem in iis referendis secutus est cl. Garrucci, ad quem pro luculentiori notione lectores mittimus:

a) Archaeologi, iuxta praefatum sensum, sarcophagum interpretantur, qui in Musaeo Lateranensi prostat. Petrus repraesentatur, dum a militibus ad carcerem vel ad supplicum ducitur. Duo iuvenes prostrati, eius pedes manibus apprehendunt eosque osculantur. Praecitatus Garrucci hanc

(1) Cfr. GARRUCCI, *Storia*, ecc., Vol. I (Textus), pag. 127 et ss. — Vol. V passim, et maxime, pag. 52 explanatio ad Tab. 319.

(2) Act. X, 25.

repraesentationem exponens, dicit: « Sulla via percorsa dall'Apostolo si gettano boccone due giovani in tunica discinta, cercando di toccargli per riverenza i piedi e baciarglieli » (1). Sixtus Scaglia bene notat, quod hi iuvenes provoluti iidem esse videntur, qui ad proximum fontem biberunt, apud quem alii tres bibentes conspiciuntur. Aqua autem salutari iam recreati illi ad Petri pedes sunt prostrati, quasi, ne auferretur, impedirent, et interim illius pedes tenent et eos osculantur (2).

b) In Musaeo Arelatensi sarcophagus asservatur, in quo osculum pedis Petro exhibitum, est plane manifestum. Petrus sedet et prae manibus tenet librum cum monogrammate Pax-Christi; ei adstat Christus, qui volumen eidem praesentat. Ad pedes autem Petri miles genuflexus et inclinatus, manus tendit ad pedes Petri, eos ori admovens (3).

c) Manifesta B. Petri adoratio in sarcophago Cadurci reperto conspicitur. Notum est, primos fideles Petrum veluti Moysen Novae Legis exhibuisse, ac proinde illum ad instar Moysis rupem percutientis repraesentasse. Hoc modo Petrus in isto sarcophago exprimitur. « Dum, scribit de eo Sixtus Scaglia, Petrus aquam manantem commonstrat, vir cernitur quidam ad eius pedes provolutus, eodem prorsus modo quo fideles ac defuncti ad Christi pedes venerabundi ac prostrati conspiciuntur » (4).

Recensitis monumentis, ille forsan sarcophagus addi potest, in quo Tabithae resurrectio a Petro in Ioppe peracta, repraesentatur. Hic etiam mulier ante Petrum genuflexa conspicitur: una ex illis viduis esse putatur, quae *circumsteterunt illum, flentes* (5), et resuscitationis gratiam a B. Petro implorarunt (6).

(1) Garrucci, Vol. V, Tav. 307-1.

(2) Scaglia, *Notiones*, etc. Vol. II, Part. III, pag. 135,

(3) Garrucci, Vol. V, Tav. 378. — Cfr. etiam textus, Vol. I, pagg. 400-401.

(4) Scaglia, *Notiones*, etc. Vol. II, part. III, pag. 155.

(5) Act. IX, 39.

(6) Scaglia, l. c. — Garrucci, Vol. V, Tav. 310.

§ 2.

De osculo pedis aeneae statuae S. Petri in Basilica Vaticana expositae.

Monumenta, quae paulo ante de B. Petro breviter recensuimus, evidens profecto suppeditant argumentum ad magnam primorum fidelium fidem et devotionem erga Apostolorum Principem demonstrandam. Quae fides et devotio, uti plura alia ostendunt indubia argumenta (1), continuata fuit per saecula et ad nos usque perducta. Cui etiam adscribendum videtur, quod S. Sebastianus post martyrium suum Lucinae matronae apparens, ei significaverit, ut corpus suum e cloaca levaret, et « circa ora cryptae *ad vestigia Apostolorum* » sepeliret (2).

Sancti Petri memoriam in urbe Roma tanto honore semper prosecuti sunt Christiani, ut etiam suo tempore S. Augustinus ad hanc provocaret, dicens: « Ostendatur mihi Romae in honore tanto templum Romuli, in quanto ibi ostendo memoriam Petri » (3). Et ad quosdam paganos ad eorum conversionem urgendam, inter alia scripsit: « Videtis certe simulacrorum templa partim sine reparatione collapsa, partim diruta, partim clausa, partim in alios usus commutata... atque ipsas huius saeculi potestates, victas et domitas... et imperii nobilissimi eminentissimum culmen ad sepulchrum piscatoris Petri, submisso diademate, supplicare » (4).

Procul dubio ad hanc venerationem de generatione in generationem transmissam, ille devotus cultus pertinet, quo

---

(1) Plura argumenta huc spectantia colligit et exponit Sixtus SCAGLIA, *Notiones*, etc. Vol. II, Part. III, pagg. 139-182, et etiam GRISAR, *Roma alla fine del mondo antico*, Roma 1908, pag. 444.

(2) De horum verborum sensu novissime etiam controversia mota est, de qua videsis: *Civiltà Cattolica*, a. 1915, 15 maggio, pag. 459.

(3) S. AUGUSTINUS, Enarr. in Ps. 44. — MIGNE, XXXVI, 509.

(4) S. AUGUSTINUS, Epist. 232. — MIGNE, P. L. XXX, 1028.

etiam hisce nostris temporibus aeneam B. Petri imaginem in Basilica Vaticana expositam, maxime prosequuntur fideles, eiusdem pedem osculando.

Huius imaginis origo in saeculorum tenebris deperditur: multi multa dicunt (1). Nobis perplacent, quae arguendo tradit cl. H. Grisar S. I. Veneranda imago ad antiquitatem christianam pertinere videtur, eiusque aetas circa quintum vel sextum saeculum est ponenda (2).

Authenticum testimonium, quod nobis fidem facit de magna populi devotione erga praefatam sanctam imaginem est satis recens, et illud nobis exhibet Maphaeus Vegius anno 1457 defunctus. Is, qui fuit canonicus Basilicae Vaticanae, scribit de oratorio S. Martini, ubi veneranda imago colebatur: « Erat sane Oratorium ipsum summae apud omnes devotionis, maxime quod esset posita in eo imago aenea S. Petri, transportata postmodum ad aliud Oratorium Ss. Processi et Martiniani; neque in tota Basilica, post altare maius, nullus locus erat, ad quem maior prae devotione fieret concursus populorum, maioraque oblatae etiam stipis commoda susciperentur » (3).

Quae a Maphaeo Vegio referuntur, revocant, quae a Thoma de Celano narrantur de Patriarcha S. Francisco Assisiensi, qui postquam in paradiso ante Ecclesiam S. Petri resederat et manducaverat, ipsam Ecclesiam intravit: « Miratus, cum ad altare principis Apostolorum, tam modicas oblationes ibidem ab adventantibus fieri, plena manu pecuniam iactat in loco, honorandum ab omnibus specialius indicans, quem Deus supra ceteros honoravit » (4).

---

(1) Cfr. Grisar, *Analecta Romana*, Roma 1899, pag. 627; et Christianae Archaeologiae *Manualia* passim.

(2) Grisar, Ibi, pag. 653. — Cfr. etiam eiusdem Scriptoris opus cui titulus: *Roma alla fine del mondo antico*, ecc. Roma 1908, pag. 420 et sequentes.

(3) Apud *Acta SS.* Mense Iunio, T. VII, App., pag. 73. — Cancellieri, *De Secretariis novae Basilicae Vaticanae*, Roma 1736, pag. 1505.

(4) Thoma de Celano, *S. Francisci Assisiensis Vita et Miracula*, edita a P. Eduardo Alenconiensi. Romae 1906, pag. 174.

Populi devotus concursus a Vegio memoratus arguitur ex ratione, qua pes venerandae imaginis ex repetitis osculis fere consumptus cernitur. Positio quoque, qua statua pedem protensum tenet, suspicari sinit, hoc modo ideo fuisse confectam, ut Sanctus Apostolus ad pedis osculum excipiendum, intentus videretur (1). De hac pedis positione sequentia habet Mignanti: « Sporgente alquanto è il piede destro, non solo per dar agio ai fedeli di baciarlo, ma anche per poter sottoporre a quello il proprio capo in segno verace di sincera soggezione ed ubbedienza alla Santa Chiesa ed al Sommo Pontefice Romano *pro tempore* » (2).

Pro coronide statuae descriptionem exhibemus, quam habet Torrigio, rerum vaticanarum scriptor egregius: En eius verba nativo idiomate expressa: « Sta con un piede sporto in fuori, con la scarpa all'apostolica, detta *Sandalio*, cioè colla suola solamente sotto e alcune fibbie di sopra, e nel mezzo vi è una pietra nera per ornamento ed il popolo pietoso gli va a baciare il piede, costume antichissimo di baciare il piede al papa in segno di obbedienza, riverenza, soggezione alla S. Madre Chiesa e Vicario di Cristo » (3).

Fr. IOSEPHUS ANT. O. M. Cap.

---

(1) Cfr. CANCELLIERI, l. c., pag. 1509. — Dicimus *suspicari sinit*, quia id nulla probandi vi gaudet, cum et aliae plures statuae reperiantur, quae simili modo pedem dexterum protensum habent. — Cfr. Archaeologi passim, et in primis GARRUCCI, Tav. 429–430, et GRISAR, l. c., pag. 639.

(2) MIGNANTI, *Istoria della Sacrosanta Patriarcale Basilica Vaticana*, Roma 1867, Vol. I, pag. 295.

(3) TORRIGGIO, *Le Sacre Grotte Vaticane*, Roma 1675, Parte I, pag. 73-74. — Osculum pedis aeneae imaginis S. Petri in Basilica Vaticana extantis, indulgentia quinquaginta dierum a Summo Pontifice Pio IX ditatum fuit. Eadem indulgentia concessa est iis, qui eiusdem S. Petri statuae exemplar apud se habent, a Summo Pontifice benedictum. Cfr. *Raccolta di orazioni e pie opere per le quali sono state concesse dai Sommi Pontefici Indulgenze*. Roma 1898, pag. 424.

Consultationes.

I. Iterum de praestantia inter festum Circumcisioni Domini et SS. Nomen Iesu.
II. De praestantia inter diem octavam titularis, Dominicam minorem et Dedicationem Basilicarum SS. Apostolorum Petri et Pauli.
III. De natalizio et translatione S. Remigii in Gallia, quoad Regulares proprium Kalendarium habentes.

E Gallia. — I. Circa solutionem datam in *Ephemeridibus Liturgicis* mense augusto, pag. 508, ad II^{um}, de praestantia festi Circumcisionis supra festum SS. Nominis Iesu, veniam peto, et et insto quaestione clariori et praecisa magis. Casus est: In dato *Instituto*, Festum Circumcisionis est festum Patronale, et quidem principale: ergo duplex I^{ae} cl. primarium; sed I^{ae} cl. non universalis Ecclesiae. In certa domo eiusdem Instituti, festum SS. Nominis Iesu est Titulare Ecclesiae propriae: ergo etiam dupl. I^{ae} cl., non tamen universalis Ecclesiae, qua tale. Concurrit utrumque festum, die 1^{a} ian., anno proximo 1916. Concedo de alterutro nihil esse agendum, propter identitatem Mysterii. At utrum utri praestet, non clare perspicio.

Resp. Ratio data de praestantia Circumcisionis non adeo rev. Inquirentem convincit: quod sit scilicet Circumcisio festum universalis Ecclesiae, quod nulli cedit; nam et festum SS. Nominis est festum universalis Ecclesiae, et arguit: quid inde? Titulus praestantiae idem ab utroque respective inde habetur. At nos negamus, quia festum Circumcisionis aequiparatur non utcumque festis primariis I cl. universalis Ecclesiae, sed *solemnioribus* inter ea.

Ex eo quod festum Circumcisionis est primarium, festum vero SS. Nominis secundarium, in tota Ecclesia, quaestio inde dirimitur: Vesperae sunt integrae de Circumcisione, et de SS. Nomine omnino siletur. At in casu, res aliter omnino se habet: Utrumque festum fit primarium: Festum quidem Circumcisionis, quia tale per se in

Ecclesia universali; et insuper in ipso Instituto, quia Titulare principale dicti Instituti. Ipsum vero festum SS. Nominis, quod in Ecclesia universali secundarium habetur, in dicta domo fit primarium, qua Titulare Ecclesiae propriae. Unde utrumque festum, in dicto casu, fit primarium, et non amplius, pro dignoscenda praestantia valet ratio primarii aut secundarii. Exinde concludit rev. Inquirens: Quodnam per se praestet e duobus alteri, scilicet, e festo *Titulari principali* totius Instituti, aut e festo *Titulari* Ecclesiae propriae in domo certa eiusdem Instituti, non adeo clare patet. At, ex enumeratione data in novis rubricis, Tit. II, de festorum praestantia, n. 1, ordo enumerandi talis est, ut praestantia detur Titulo totius Instituti. Taliter enim enuntiatur ordo praestantiae, eodem in Titulo II: « ...Cauto quod festa duplicia I^{ae} cl. primaria universalis Ecclesiae praeferuntur, et quod festa: *a*) Dedicationis; *b*) Tituli Ecclesiae propriae; *c*) Patroni principalis loci; *d*) Tituli Ordinis; *e*) Fundatoris Ordinis ». Unde Titulus Ecclesiae propriae praeferri debet Titulo totius Ordinis: ideoque, in casu, festum SS. Nominis praeferri festo Circumcisionis, de quo esset omnino silendum in 2^{is} Vesperis die 1^{a} ianuarii ».

Sed falso asseritur, non patere quodnam festum praestet, in casu, namque, omnibus compertum est, festum Circumcisionis praevalere cunctis aliis, quantumvis solemnibus locorum. Hinc in elencho festorum a Titulo II novarum rubricarum dato, festum Circumcisionis locum sumit, ex paritate iuris, sub praeliminari: « Cauto quod etc. ». Et consequens est, hoc festum praevalere festo titulari Instituti.

II. In permultis ecclesiis Galliarum S. Martinus Patronus est locorum multorum et Titularis principalis plurium ecclesiarum. Proinde, in his locis, de eius festo agitur sub ritu dupl. 1^{ae} cl. cum octava communi. Eius octava dies, 18^{a} novembris, occurrit cum Dedicatione Basilicarum Ss. Petri et Pauli. Utrum utri praestat?

Resp. Adeamus, in primis, novissimas rubricas:

1° Tit. IV, n. 2: « De Dominicis minoribus semper fieri debet Officium, nisi occurrat quodvis festum novem lectionum Domini ». Igitur praestat festum Domini quodvis Dominicae minori;

2° Tit. IV idem, n. 5: Si occurrat Officium duplex in Dominicis minoribus « fit de Dominica cum commemoratione Officii occurrentis omissa IX lectione... nisi in eis occurrat festum quodcumque Domini... quo in casu » fit de festo, cum commemoratione

et IX lectione Dominicae... Ergo, rursus, quodcumque festum Domini praestat Dominicae minori;

3° In « Notanda in Tabellis » occurrentiae n. 10, sic habetur: « Festa Domini... in occurrentia accidentali... Dominicae minori praeferuntur ». Haec tria sibi optime consonant. At, in observationibus quae praecedunt Tabellas occurrentiae et concurrentiae;

4° Definiuntur octavae communes, quae... praeferuntur in die octava omnibus duplicibus quae non sint 1ae aut 2ae cl. Item, in ipsa Tabella occurrentiae accidentalis, octava communis, praefertur omni duplici maiori.

Ex ultimo citata rubrica, n. 4), et Tabella occurrentiae, procul dubio, octava S. Martini praestare debet Dedicationi Basilicasum Ss. Petri et Pauli. Nulla, ut videtur, difficultas. At suppone — res ita periodice habebitur — dies 11 novembris festum S. Martini Ep., ac proinde dies 18a eius octava incidunt in Dominicam minorem, subito oritur difficultas, et ut videtur, supradictarum rubricarum contradictio.

Triplex ergo habetur occurrentia, et quidem accidentalis: 1° Dies octava (communis) S.ti Martini; 2° Festum (*Domini:* cf. Tit. IX, n. 1, nov. rubric) Dedicationis Basilicarum Ss. Petri et Pauli; 3° Dominica minor. Iamvero, quodnam, e tribus, aliis duobus praestet? Respondebitur: Dies octava S.ti Martini, ut videtur; nam, ex definitione, dies octava communis praestat omnibus duplicibus, quae non sint 1ae aut 2ae cl. Porro, festum Dedicationis Basilicar. Ss. Apostolorum: *a*) non est 1ae aut 2ae cl.; *b*) aliunde, ex tribus primis rubricis, utpote festum Domini, praestat Dominicae. Ergo octava S. Martini, eo quod praestet Dedicatio, festum Domini, Dominicae, praestat et ipsa Dominicae. Recte, ut videtur: At, ex primis supra citatis rubricis, Dominica minor non cedit, nisi festo Domini. Porro octava S. Martini non est festum Domini. Ergo Dominica minor non cedit octavae S. Martini, sed ei praestat. Eo magis quod in ipsa 1a rubrica de Dominica minori expresse dicitur, quod si cedat festis duplicibus 1ae aut 2ae cl., non cedit eorum diei octavae. Ergo haec habetur contradictoria conclusio: In occurrentia accidentali octavae S. Martini, Dedicationis Basilicar. Ss. Apostolorum, Dominicae: 1° Praestare debet octava S. Martini, quae praestat Dedicationi, quae praestat Dominicae minori; 2° Praestare debet Dominica minor, quia non cedit octavis festorum 1ae aut 2ae cl., et ideo praestat octavae S. Martini, quae Dedicationi praestat; 3° Tandem,

praestare debet festum (utpote Domini) Dedicationis, quia festum Domini Dominicae praestat quae, praestat octavae S. Martini. Unde, ex iisdem rubricis, e triplici Officio occurrenti, unumquodque sua vice aliis praestare videtur.

Sed res aliquo modo componi debet, et reipsa componitur. Festum Dedicationis Basilicarum Ss. Apostolorum non occurrit accidentaliter, sed perpetuo, cum die octava S. Martini (18 nov.); ergo festum Dedicationis, ubi S. Martinus gaudet octava communi, non est festum novem lectionum, sed festum commemoratum: cum vero rubrica novissima, Tit. IV, n. 2, dicat, de Dominicis minoribus fieri non debere Officium, si habeatur festum Domini, novem lectionum; concludendum est, argumento a contrariis, de Dedicatione non posse fieri Officium. Restat ergo in accidentali occurrentia octava S. Martini cum Dominica minori, qua de re cum nulla sit controversia, concluditur plane esse in casu agendum de Dominica minori, cum commemoratione diei octavae S. Martini et Anniversarii Dedicationis Basilicarum Ss. Apostolorum Petri et Pauli.

III. Remis, in Gallia, festum S. Remigii, Patroni principalis Dioeceseos, ex ultima Kalendarii recensione, a S. R. C. indicatur, tamquam in sede fixa, die 14 ianuarii, sub ritu dupl. 1^{ae} cl., cum octava communi. A Regularibus ergo proprium habentibus Kalendarium, dictum festum celebrandum est, eadem die et eodem ritu, absque tamen octava. Quid vero fuerit agendum iisdem Regularibus, quotannis, die 1 octobris? Quid poterunt? Quid debebunt?

Resp. Constat quod Remis aliud festum S. Remigii, sub Titulo Translationis celebratur, ritu dupl. 2^{ae} cl., idem vero festum, quasinatale fixum celebratur: *a*) in Ecclesia universali sub ritu simplici; *b*) in Gallia, sub ritu duplici maiori. Et quaeritur: Possuntne, debentne Regulares supradicti, Remis, die 1 octobris, agere de S. Remigio secunda vice? Et quatenus *affirmative* responderetur, plures aliae exsurgerent quaestiones: Quo Officio, et quo ritu? Si cum Officio Remensi *Translationis*, *a*) ritu dupl. 2^{ae} cl., ut in Proprio dioecesano? *b*) ritu duplici, aut duplici maiori, ut in Gallia? *c*) certo non ritu simplici, ut in Ecclesia universali, nisi tamen tres lectiones in Proprio dioecesano descriptae, in unam contrahantur? Si vero cum Officio Breviarii Romani: *a*) ritu duplici 2^{ae} cl., ut in Proprio Remensi? *b*) ritu duplici maiori, ut in Gallia? *c*) ritu simplici, ut in Ecclesia universali? Questionibus huiusmodi ita respondemus:

Cum Regulares Kalendarium proprium habentes teneantur tum ad Officia universalis Ecclesiae, tum ad localia Dedicationis, Titularis cathedralis et solemniora Patronorum principalium, videretur quod Remis ad utrumque festum S. Remigii teneantur. Et sane, de festo praecipuo patronali, die 14 ianuarii, ambigi non potest; de festo universalis Ecclesiae videtur consequi ex natura sua. Si hoc conceditur, profecto sub ritu simplici, uti in Ecclesia universa, Regulares illud celebrabunt; non 2^ae^ cl., quia non ut Remis degentes, sed ut pars cleri Ecclesiae universalis recitant; non duplici maiori, quia non tenentur neque valent Officia Gallicae nationis, uti talis, recolere.

Excludimus omnino Regulares istos posse festum *Translationis* S. Remigii die 1 octobris recitare, quia, ex decreto S. R. C. d. d. 28 februarii 1914: « Ordines... proprio Kalendario gaudentes, amodo celebrare *tantummodo* debent Officia localia Dedicationis, Titularis ecclesiae cathedralis, nec non festa *solemniora* Patronorum principalium ». Cum igitur festum *Translationis* S. Remigii non sit *solemnius*, illud nequeunt assumere. Si vero nequeunt, nullo modo nequeunt; sive sub ritu duplici 2^ae^ cl., sive sub duplici minori, sive sub simplici. Ergo, uti festum locale, *Translatio* excludenda omnino est.

At redeamus ad festum idem, tamquam Ecclesiae universalis. Quid colunt Regulares nostri die 14 ianuarii? Natale S. Remigii. Quid colit Ecclesia universa die 1 octobris? Quasi-natale eiusdem Sancti. Quomodo ergo possunt ipsi Regulares natalitium et quasi-natalitium recolere unius Sancti? Non est de more Ecclesiae. Ergo dicendum, quod, per *natale* S. Remigii, quod recolere debent Regulares Remis degentes, etiamsi proprio Kalendario utantur, cadit, re nata, *quasi-natale*; et concludendum eos debere tantum celebrare festum principale S. Remigii, die 14 ianuarii, cum clero universo dioecesano. Die autem 2 octobris Officium facient de feria.

M.

BREVIORA RESPONSA

Pro Gallia. — I. Utrum festum praeferendum est, occurrente : 1. Dedicatione propriae ecclesiae cum loci Patrono; 2. eadem Dedicatione cum Titulari ?

Resp. 1. Praeferendum est festum Patroni, si cum duplici praecepto consueverit ante abrogationem festorum, vel etiam nunc soleat, ex indulto, celebrari ; secus festum Dedicationis, utpote dignioris;

2. Praeferenda est Dedicatio, ratione potioris dignitatis, si agatur de titulo B. M. Virginis vel alicuius Sancti: ratione mysterii SS. Trinitatis, cui, Deo uni trinoque, ecclesiae dedicantur, etiamsi titulus sit divina Persona.

II. Utra solemnitas item alteri anteponenda est, occurrente solemnitate translata Patroni (quae in Gallia, ex cardinalis Caprara decreto, prima post festum Os. Ss. Dominica celebrari *debet*), cum solemnitate externa Dedicationis propriae ecclesiae (quae, ex novissimis rubricis, die dominica, cui olim eiusdem festum affixum erat, fieri potest)?

Resp. Cum solemnitas Patroni sit praeceptiva, haec praeferri debet.

III. Docuerunt eruditae *Ephemerides Liturgicae* Missae conventualis electionem, quoties vel de feria vel votiva celebrari potest, non solius celebrantis, sed ipsius Capituli esse. 1. Quibusnam innititur decretis ista doctrina? 2. Valetne etiam de 3ae orationis *adlibitum*, in Missis conventualibus electione?

Resp. 1. Res ex natura sua ita procedit, quia Missa est Capitularis, ita ut neque cogitavissemus de quaerendis decretis, si quae data sint. Fere ubique tamen solet Capitulum, expresse vel tacite, se ad Celebrantem remittere.

2. Affirmative, eadem enim est ratio.

IV. Quae est « affinitatis ratio » de qua novissimae rubricae (tit. IX, num. 4) loquuntur? Existitne inter S. Dionysium (vel S. Ianuarium) et eius Socios, ita ut prior, si solus sit Patronus principalis, ab aliis separari possit minime?

Resp. Consanguinitas et affinitas, loco citato, intelligi debent uti solet in humanis, sive dicatur cognatio sive agnatio, vel affinitas aut propinquitas. Ad quem autem usque gradum consideranda sit, nescimus an quisquam ex Liturgistis umquam dixerit. In casibus pro quibus iam res composita est, stetur acceptae interpretationi, pro novis, vel stetur gradibus in Matrimonio consideratis, vel recurratur ad S. Congregationem, quia non una semper fuit ratio et mensura computandi propinquitatem inter homines. Theoria applicetur casui.

V. Cum alicubi primae solemnium festorum Vesperae sine fidelium concursu peragantur, eisdem plerumque non interest Episcopus, in ecclesia sua cathedrali, dum, e contrario, secundas dictarum festivitatum Vesperas, convenientibus quippe fidelibus, pontificaliter ipse celebrat. Hoc autem anno, primae OO. SS. Vesperae in die dominica inciderunt, quibus itaque adfuere, minori quidem quam postridie numero, christifideles. At, quandoquidem secundae eiusdem festi Vesperae solemnissime, prouti in Gallia solet, celebrandae essent, ideo quaeritur: Utrum hoc anno primae OO. SS. Vesperae pontificaliter (quemadmodum et secundae Vesperae) an rectius semipontificaliter tantum, peragendae erant?

Resp. Quum Caeremoniale Episcoporum, lib. II, cap. I, n. 1, dicat: « Sacrae solemnitates *regulariter* a primis Vesperis initium sumunt »; et n. 2: « Si ergo Episcopus erit solemniter Missam sequenti die celebraturus, Vesperae solemnius peraguntur, quam si non esset celebraturus. Quod *praecipue* in his Vigiliis observari *solet*, videlicet... »; et n. 3: « Secundae Vesperae *poterunt* etiam per Episcopum eadem solemnitate celebrari », et cap. II, n. 1: « Episcopus, si... non sit ipsemet solemniter Missam celebraturus, *velit* tamen

Vesperis sive primis, sive secundis interesse et Officium facere »; et n. 4: « Quod si Episcopus *velit* huiusmodi Vesperis interesse cum cappa », apparet esse plene in eius arbitrio rem componere una vel altera ratione, sive quoad interventum ipsum, sive quoad ritum adhibendum.

VI. Cl. Martinucci, silentio innixus Caeremonialis Episcoporum, de Vesperis defunctorum ab Hebdomadario, absente Episcopo, solemniter celebratis, asserit (libro II, cap. IX, n. 21): « ad preces et orationem non assistere acolythos candelabra gestantes ». Quod quidem apud nos iamdudum servatur. Cum autem nonnulli auctores, a prolata cl. Martinucci sententia deflectentes, acolythos ceroferarios tunc Celebranti adstare praescribant, quaeritur: 1. Num Martinucci-Menghini, in novo Manuali Ss. Caeremoniarum pristinam hac de re mutaverit sententiam? 2. Quae sit, eadem de re, Romanarum praxis Basilicarum?

Resp. 1. Negative, cum curator novae editionis (ipse qui haec scribit) teneat eandem sententiam.

2. Praxis romana acolythos in casu non admittit.

Pro Melita insula. — I. In diocesi X, ab antiquo solet R.mus Ordinarius, debita facultate munitus, tempore siccitatis indicere Missam de Requie celebrandum in ecclesia cathedrali et in omnibus collegiatis, parochialibus, in ecclesiis regularium virorum ac mulierum, et in omnibus ecclesiis dioeceseos proprium Rectorem habentibus, etiam diebus quibus fit de festo duplici. Circa ritum et qualitatem huiusmodi Missae Rectores ecclesiarum non conveniunt. Alii non vident quid haec Missam differat a Missa communi quotidiana. Alii vero, considerantes, hanc Missam praeceptam esse a summa Auctoritate dioeceseos, pro causa gravissima, celebrandam etiam in festo duplici, cum sonitu lugubri omnium campanarum cuiuslibet ecclesiae, incipiente a sero praecedente, autumant vix posse dari Missam de Requie solemniorem, ideoque debere cantari cum unica oratione *Fidelium*; et quia inter animas suffragandas adsunt certe quae pontificali decore sint insignitae, Missam sumi debere

primam ex quatuor defunctis assignatis. Quibusnam dissidentium melior ratio favet?

Resp. Nulla difficultas circa Missam de requie celebrandam etiam recurrente duplici, cum habeatur opportuna facultas, cui omnino standum, ut fieri debeat cum cantu, vel possit quoque lecta celebrari. Quod tamen ritum respicit, an sit videlicet duplex vel semiduplex, id non dependet a privilegio eam etiam recurrente duplici celebrandi, sed ab explicita declaratione in privilegio forte contenta, vel a dispositione legitimae auctoritatis, vel a consuetudine, vel a voluntate rectorum, saltem non contradicente Ordinario. Habetur nimirum decretum S. R. C. generale, sub n. 3920, I, quo edicitur: « Unam tantum esse dicendam orationem... etiam in Missis cantatis, vel lectis, permittente ritu (vel, nos addimus, ex privilegio), diebus III, VII, XXX et die anniversaria, nec non *quandocumque* pro defunctis Missa *solemniter* celebratur, nempe sub ritu qui duplici respondeat ». Ubi notanda sunt verba generice expressa et impersonaliter: *quandocumque solemniter celebratur*. Posita igitur solemnitate celebrationis, ex quacumque parte proveniat haec solemnitas, potest adhiberi ritus duplex, cum unica scilicet oratione. Et nota declarationem ab ipso decreto prolatam: « nempe sub ritu qui duplici respondeat », qua significatur libera determinatio ritus, quin ulla habenda sit ratio sive Officii canonici occurrentis, sive Officii fubebris, quod potest non recitari. Uno verbo, quomodocumque constituatur Missa celebranda solemniter, eo ipso potest ritu duplicium proprio celebrari.

Posita autem, in casu, re putata ut gravi, praescindendo a sonitu campanarum, qui fieri potest etiam pro Missis de requie sub ritu semiduplici, vel etiam hoc putato, ex peculiari modo in sonitu adhibito, indicio solemnitatis; item praescindendo a praecepto Superioris, quod dari posset et pro demissiori vel nulla solemnitate; itemque a qualitate Officii occurrentis, dum etiam in duplici, ex privilegio possent haberi Missae de requie sub semiduplici, Missa in casu

est consideranda omnino solemnis, cum unica oratione dicenda, et cum sequentia, etiamsi, favente forsan privilegio, solummodo legatur.

Qualitas porro Missae, seu schematis adhibendi, non dependet a consideratione qualitatis defunctorum, in quorum suffragium celebratur, dicente rubrica, quod possunt in quibuslibet adiunctis variari (vide in Missali post Missas defunctorum); sed vel a voluntate eligentis, vel potius ad normam consuetudinis, aut praecepti, si quod habeatur. Ratio quae adducitur de existentia Pontificum inter defunctos quibus favet suffragium, vel nihil valet, quia datur, ut vidimus, libertas, vel tantum valet quantum ratio adhibendi primam eam ob rationem, quia est quae destinatur omnibus defunctis, in ipso Missali.

Pro S. Francisco in Statibus foederatis Americae. — Die 25 aprilis praesentis anni, occurrente festo S. Marci, dupl. 2 classis, cum III Dominica post Pascha, Missae omnes, praeter parochialem et conventualem, dici poterant de solemnitate S. Ioseph (apud *Ephem. Liturg.*, 1914, p. 559), cum commemoratione S. Marci et Dominicae. Sed quaeritur: 1. Debuitne primo commemorari Dominica, an S. Marcus? 2. Debuitne legi Praefatio Paschae, an Apostolorum?

Ratio dubitandi est, quia, ex una parte, rubrica in novissimis Breviariis, Tit. VII, 5, quando plures fieri debeant commemorationes, primam enumerat de Dominica; itemque pluries S. Rituum Congregatio declaravit, non legendam esse Praefationem festi commemorati in Dominica (paucis festis exceptis), sed SS. Trinitatis aut Temporis; ex alia vero parte, non est evidens, his rubricis et S. Rituum Congregationis declarationibus includi festum duplex 2. classis, siquidem, saltem in Officio, numquam commemoratur in occurrentia festum duplex 2. classis, sed transfertur.

Resp. 1. Primo commemorari debuit S. Marcus, quia ante omnia, iuxta generales regulas, considerandus est ritus. Festum duplex 2 classis, inter commemorationes faciendas in Officio non potuit considerari, quia numquam accidit ut

commemoretur, nisi aliquando in concurrentia; pro hoc autem casu concurrentiae, satis provisum est, in titulo citato novissimae rubricae per verba: « ... cauto quod in Vesperis semper fit prima commemoratio de Officio concurrenti, *cuiusvis ritus et dignitatis*.

2. Praefatio legenda de Apostolis, de illa nempe Missa praefationem propriam habente, quae, nisi celebraretur de S. Ioseph debuerat celebrari, hoc est de S. Marco. Rubrica ex constitutione « Divino afflatu », cui consonat decretum S. R. C. n. 4283, II, non tangit casum nostrum, quia ibi agitur de Missa celebranda de Dominica cum commemoratione duplicis maioris, hic autem de Missa (impedita) duplicis 2 classis cum commemoratione Dominicae.

Pro dioecesi Minoricen. in Hispania. — In dioecesi Minoricen, die 3 iulii, recitatur, ex concessione, Officium Commemorationis Omnium Sanctorum S. R. E. Summorum Pontificum, dupl. mai.; Quaeritur, 1. Ad Matutinum dicendae ne sunt antiphonae cum psalmis de Communi Apostolorum, vel potius de currente die, ut in psalterio? 2. Lectiones I Nocturni eiusdem Officii, dicendae sunt « Laudemus viros gloriosos », de Communi Confessoris Pontificis, cum responsoriis ibidem assignatis, vel potius de Scriptura currenti cum suis responsoriis? 3. Ad Laudes et Vesperas, conservandae antiphonae, quae hucusque recitabantur, vel potius recitandae antiphonae cum psalmis de psalterio?

Resp. Servetur decretum S. R. C. datum die 24 maii 1912, ad IV, ita ut scilicet antiphonae et psalmi ad Matutinum censeantur propria etiamsi ritus non sit classicus; lectiones I Nocturni dicantur propriae, nempe: « Laudemus viros gloriosos », cum responsoriis de Communi Apostolorum. Idem dicatur de Laudibus et Vesperis, ut, videlicet, assumi debeant antiphonae quae prius recitabantur cum psalmis de Dominica primo loco in Laudibus, et mutato ultimo psalmo (n. 131, *Memento*, loco 113, *In exitu*); quamvis, decreto citato de his non fiat mentio, eo quod in dubio nulla mentio. Concordat, ceterum schema, eiusdem Officii in Proprio romano propositum. M.

Pro Calagurris. — Cum Pius vj per litteras in forma brevis d. d. 5 mart. 1776 concesserit toti Hispaniae regno, « ut Officium et Missa Octavae Corporis Christi omnibus et singulis diebus ipsius Octavae omnino recitari debeant tantum exceptis duabus festivitatibus Nativitatis s. Ioannis Baptistae et Ss. Apostolorum Petri et Pauli, dubitatur an huiusmodi privilegium adhuc subsistat, post novissimam rubricam circa diversos ordines octavarum, per quam Octavae Epiphaniae et Corporis Christi sunt secundi ordinis, *quae in diebus infra Octavam festis quibuslibet praeferuntur, praeterquam Duplicibus 1 classis in die autem Octava, etiam Duplicibus 1 classis, quae non sint Ecclesiae universalis ;* et si affirmative, utrum in Hispania, Octava Corporis Christi, habenda sit tamquam Octava primi Ordinis.

Resp. Procul dubio adhuc viget in Hispania privilegium citatum Pii vj, eo quod lex generalis, non tollit particularia privilegia, nisi legislator expresse ea abroget. Quando Pius x s. m. suppressit officia votiva, quia in suppressione comprehendere voluit non tantum ea quae praedecessor eius Leo xiij per generale indultum concesserat, sed et quodvis aliud officium votivum, quandocumque, a quocumque ac cuicumque concessum, expresse voluntatem suam significavit, ac proinde quodlibet officium votivum hodie ubique interdicitur.

In regno ergo Hispaniae Octava Corporis Christi manet cum suo privilegio, duabus ex causis 1. Quia ablatum non fuit neque explicite neque implicite ; 2. quia contrarium non est principiis et spiritui novissimae Rubricarum reformationis, quae huiusmodi Octavae amplificavit privilegia, excludens ex ea Duplicia 2 classis, imo et 1 classis, exceptis Nativitate s. Ioannis et festo Ss. Petri et Pauli, ex die Octava.

Aliis verbis, licet in toto Orbe infra Octavam Corporis Christi agi possit de quolibet duplici 1 classis, in regno Hispaniae fit tantummodo de duobus festis s. Ioannis et ss. Petri et Pauli.

Huiusmodi autem privilegium Hispaniae concessum, non reddit Octavam Corporis Christi privilegiatam 1 ordinis, duabus ex causis: 1. quia Octavae 1 ordinis respuunt quodvis festum duplex 1 classis, etiam Ecclesiae universalis, verbi gr. Annunciationem B. Mariae; 2. quia habent tantum unum nocturnum cum tribus psalmis et lectionibus ad Matutinum. Octava vero Corporis Christi, etiam in Hispania, huiusmodi privilegiis non gaudet; ergo inter Octavas privilegiatas 1 ordinis adscribi nequit.

Scimus quod in Hispania est magis privilegiata quam Octavae 2 ordinis, excludit enim quodvis Duplex 1 classis, exceptis praedictis s. Ioannis et Ss. Petri et Pauli, attamen remanet in suo gradu, et vocari potest: *Octava 2 ordinis magis privilegiata*. P. PIACENZA.

THEOLOGIA LITURGICA

(Continuatio. V. n. 10 curr. an., pagg. 633-640).

107. Circa captivitatem sub potestate diaboli quaedam sunt notanda: et in primis cavendum ne ei attribuantur in ordine malorum proprietates quae soli Deo conveniunt: inter quas notamus ubiquitatem, seu esse ubique. Deus est ubique: hoc est proprium Dei, et solius Dei; ideo potestas diaboli circumscripta est quoad locum. Praeterea solus Deus omnia potest, ideo cavendum ne attribuatur Diabolo omnipotentia in ordine malorum sicut attribuitur Deo in ordine bonorum. Potestas diaboli certis limitibus est circumscripta quos praetergredi nullo modo potest. Sed ad quid se extendit eius potentia? Solus Deus novit. Quoniam vero captivitas hominis sub potestate diaboli fuerit a Deo permissa in poenam suae praevaricationis Deus ipse circumscripsit limites potestatis illius in hominem, quos excedere nullo modo potest. Tandem huiusmodi captivitas non ea est ut captivam faciat voluntatem hominis, adi-

mendo liberum arbitrium (n. 94), sed captivum tenet hominem omnem operam adhibendo ut illum ad peccatum inducat; unde sicut legitur in Apocalypsi, ipse est qui seducit universum orbem (2), sicut seduxit Hevam astutia sua; nec non insidiis utitur ut noceat, unde Apostolus Paulus ad Ephesios scribit: « *Induite vos armaturam Dei ut possitis stare adversus insidias diaboli* » (3) Petrus autem omnes admonet scribendo: « *Sobrii estote et vigilate, quia adversaris vester diabolus, tamquam leo rugiens circuit quaerens, quem devorat, cui resistite fortes in fide* » (4).

108. Monitum resistendi diabolo datam hic ab apostolo probat diabolum posse hominem tentare, aggredi, insidiari, non autem vincere, et ad partes suas attrahere, nisi eum qui voluntate cedit. Hoc autem intelligitur de potestate diaboli in ordine morali et spirituali. Sed eius virtus et potestas non limitatur ad hunc ordinem; extenditur etiam ad ordinem realem, ad entia subsistentia et ad res materiales et corporeas.

Cum daemones habeant naturam angelicam, atque facultates et vires naturales non amiserint, sequitur eos agere posse quae sunt propria naturae angelicae. Et primo quoad homines: Angelicus Doctor quaerit utrum angelus possit immutare voluntatem hominis; et respondet quod voluntas hominis immutari potest duplici modo, ab interiori scilicet, et ab exteriori; ab interiori solus Deus immutare illam potest; ab exteriori angelus illam immutare potest, sive proponendo aliud obiectum appetendum, sive excitando in homine passiones, aut affectus diversos. Hoc ergo facere possunt etiam daemones (5).

109. Quaerit praeterea S. Doctor utrum angelus possit immutare imaginationem hominis; et respondet dicendum quod angelus tam bonus quam malus virtute naturae suae potest movere imaginationem hominis: illa enim quae ex motu locali aliquorum corporum causari possunt, subsunt virtuti naturali angelorum; phoenomena autem quae eveniunt in imaginatione sunt effectus localis

(1) Cf. S. Thom. I. Quaest. VIII per totum.
(2) Apoc. XII, 9.
(3) Ephes. VI, 11.
(4) I. Pet. V, 8, 9. Hic et alibi in scripturis sacris, sicut etiam in libris liturgicis inter spiritus malus praecavendos ab hominibus nominatur tantum diabolus: nomine autem diaboli intelligitur omnis spiritus malus, intelligiuntur omnia daemonia.
(5) I. Quaest. CXI per totum.

mutationis spirituum et humorum, quae fit in corpore hominis (1). Hinc sequitur quod possit angelus immutare etiam sensum hominis, et sicut potest angelus bonus in bonum, ita angelus malus in malum: et hac potestate utitur diabolus in tentationibus quibus incitat homines ad peccata.

110. Contra potestatem daemonum in homines et in res corporales Ecclesia utitur exorcismis, qui sunt sacramentalia quaedam ordinata ad retundendam eorum nequitiam, et removendum eorum insidias et aggressus, sive in damnum spirituale hominum, sive in damnum corporale. Ante baptismum, docet S. Thomas, expelluntur daemones per exorcismos ne salutem hominis impediant (2); exorcizantur etiam res corporales, ut liberentur a potestate diaboli, vel ut ab ipsis removeatur eius actio nociva.

111. Quod autem maiori consideratione dignum est, actio malefica quam diabolus exercet in obsessis, seu energumenis. Inter ordines minores recensetur exorcistatus, cuius officium est manus imponere super obsessos, et per exorcismos ab ipsis expellere daemones. In rituali romano traditur forma exorcizandi obsessos a daemone, qua uti debet qui facultatem habet exorcizandi pubblice: quae facultas tamen non datur omnibus, etiam sacerdotibus; privatim autem, idest absque ulla solemnitate, omnes possunt exorcizare, seu adiurare daemones, invocando Dei auxilium, et intercessionem angelorum sanctorum, praesertim Sancti Michaelis archangeli. Ad rem facit sequens oratio a Leone XIII indicta post Missas privatas: « *Sancte Michael archangele, defende nos in praelio: ontra nequitiam et insidias diaboli esto praesidium: imperet illi Deus; tuque, princeps militiae coelestis, satanam, aliosque spiritus malignos, qui ad perditionem animarum pervagantur in mundo, divina virtute in infernum detrude* ».

(Continuabitur).

(1) Ib. art. III.
(2) III. Quaest. LXXI, art. II.

PROPRIETAS LITERARIA

IMPRIMATUR
Fr. ALBERTUS LEPIDI O. P., S. P. A. Magister.
IMPRIMATUR
† IOSEPH CEPPETELLI, Patr. Constantinop., *Vicesgerens.*

AUGUSTUS ZUCCONI, Director Domus editricis Desclée et Soc., Romae, *Sponsor.*

Ex Officina Polygraphica Latiali, Fratrum Tempesta, Via Boccaccio, 7 - Roma

S. CONGREGATIO RITUUM

DECRETUM

Quum in aliquibus locis et Dioecesibus dubium exortum sit: Utrum preces, in fine Missae a Summo Pontifice Leone XIII praescriptae, adhuc sint recitandae, Sacra Rituum Congregatio respondendum censuit: Affirmative, servatis decretis et normis ab ipsa Sacra Congregatione traditis.

Atque ita rescripsit, declaravit et, approbante Sanctissimo Domino nostro Benedicto XV, servari mandavit.

Die 24 novembris 1915.

A. CARD. VICO, *S. R. C. Pro-Praefectus*

L. ✠ S.

Alexander Verde, *Secretarius*.

SUPREMA S. CONGR. S. OFFICII

(SECTIO DE INDULGENTIIS)

DECRETUM

Conceditur facultas applicandi Crucifixis indulgentias Viae Crucis in favorem militum, durante bello.

Die 11 novembris 1915.

Ss.mus D. N. D. Benedictus div. prov. Pp. XV, in audientia R. P. D. Adsessori S. Officii impertita,

benigne concedere dignatus est, ut Sacerdotes omnes, qui militibus terra marive, hac perseverante belli vastitate, spiritualibus exhibendis subsidiis, assistunt, valeant Crucifixos ex metallo aliave solida materia confectos, unico signo Crucis benedicere, eisque indulgentias applicare Pii Exercitii, a S. Via Crucis nuncupati, ab iis militibus, durante eodem bello, lucrandas, qui aliquem ex praedictis Crucifixis manu gerentes, quinquies *Pater*, *Ave* et *Gloria* devote recitaverint, ni viginti, alias praescribi solitas, eiusmodi preces recitare potuerint.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

R. Card. Merry del Val, *Secretarius*.

L. ✠ S.

† Donatus, Archiep. Ephesin., *Adsessor S. O.*

S. CONG. PRO NEG. ECCL. EXTRAORDINARIIS.

De invocatione addenda postremo loco in Litaniis Lauretanis.

Ex Audientia SS.mi: die 16 novembris 1915.

Episcopi complures, nomine etiam cleri populique sui, supplices Apostolicae Sedi preces adhibuerunt, ut decernere vellet, in Litaniis Lauretanis, post invocationem *Regina Sacratissimi Rosarii, ora pro nobis,* hanc adiici: *Regina Pacis, ora pro nobis,* quo facilius christianus populus, interposita sic Beatissimae Virginis deprecatione, optatissima pacis munera impetraret. Cum hac de re ad SS. D. N. Benedictum divina providentia Papam XV infrascriptus S. Congregationis a Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis Se-

cretarius pro officio retulerit, Beatissimus Pater, eorundem Antistitum populique iis commissi votis obsecundare cupiens, omnibus Ordinariis potestatem benigne facit, ex qua, pro sua quisque dioecesi, permittere possint, ut in Litaniis Lauretanis recitandis, quoad praesens hoc bellum duraverit, postremae « Reginae Sacratissimi Rosarii » invocationi ea, quae sequitur, subiiciatur: *Regina Pacis, ora pro nobis.*

Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die, mense et anno praedictis.

L. ✠ S.

Eugenius Pacelli, *Secretarius.*

DECRETUM

In LUCIONEN. 12 aug. 1854.

(Continuatio. Vide num. 10 curr. anni, pag. 579-587).

Art. 11. — *De Exequiis.*

58. Sacerdos qui, iuxta Rituale, superpelliceo et stola indutus, praefuit elationi corporis defuncti, potest retinere stolam dum praeest Matutino et Laudibus, quae immediate sequuntur: multo magis si in hac functione utatur Pluviali.

59. Responsorium *Subvenite*, in quo duo sunt asterisci, in exequiis dici non debet, quoad repetitiones, ad normam *Libera me, Domine,* sed dicendum est ut in Rituale, titulo *de Expiratione.*

60. Quando officium fit pro pluribus defunctis, vel pro femina variari debet numerus vel genus in oratione, excepta oratione, *Non intres.*

61. In officio defunctorum in fine Laudum, alius Sacerdos, si adest, potest concludere Laudes ipsas dum Celebrans paratur in sacristia: Si vero unicus sit Presbyter, Celebrans, debet concludere Laudes, et postea sacristiam petere ut se vestiat pro Missa.

Commentarium.

Ad 58. Licet sit lex pluries a S. R. C. declarata quae prohibet quominus Sacerdos Officians, in choro, adhibeat stolam sub pluviale, nihilominus in casu optime potest stolam retinere quam iam sumpsit pro elatione corporis defuncti a domo ad Ecclesiam. Aliud enim est sumere quod non sit praescriptum nec necessarium, aliud deponere, quod iam habetur, et in similibus non prohibetur. Siquidem, sicut Officians in vesperis bene potest assumere stolam sub pluviale, si post vesperas benedictio cum Ss.mo Sacramento impertiri debeat, ita eam retinere in casu. Aliis verbis per se Officians in choro adhibere non debet stolam, quod si aliqua functio, quae stolam exigat, et habeat relationem cum officio, sive ante sive post ipsum fiat, tum Officians bene ea uti potest. Huiusmodi sententia nostra, non tantum comprobatur ex hac responsione 58, sed etiam et clarius ex alio S. R. C. decreto, 12 aug. 1854, n. 3029 ad 4, 5, 8 et 9.

Ad 59. Dubium ortum habet ex eo, quod in prolixo Responsorio *Libera me, Domine*, duae partes, per asteriscum divisae, non repetuntur simul, sed prima tantum in prima repetitione, et secunda in altera; in Responsorio autem *Subvenite* tam in titulo de expiratione, quam in principio exequiarum, prima et secunda pars simul repetuntur, prima vice, et secunda vice repetitur tantum secunda pars ut videre est in Ritualis Romani editione typica.

Primus modus concordat cum repetitione trium partium Responsorii *Aspiciens* in Dominica 1 Adventus, itemque cum aliis Responsoriis plures repetitiones seu asteriscos

habentibus. Regula igitur pro Responsorio *Subvenite* singularis est, sed observanda prout traditur in Rituali.

Ad 60. Optima declaratio haec est S. Congregationis Rituum, nonnulli enim scriptores, plus aequo litterae legis adhaerentes, tenent nil variari posse in orationibus quae inveniuntur in libris liturgicis, ideoque nec numerus, nec genus, nec nomen defuncti addi, ubi desit littera *N.* Cum autem leges liturgicae rationabiles esse debeant, imponere nequeunt ut pro pluribus defunctis dicatur oratio in numero singulari, vel pro muliere non varietur genus, si orationis verba sint in genere masculino. Plura habentur exempla huiusmodi variationum, in Rituali praesertim, in quo tum in administratione baptismatis, tum in visitatione infirmorum et similibus, rubrica aperte iubet variationes tum numeri, tum generis.

Quod autem attinet ad nomen defuncti addendum in oratione, animadvertendum est, quod in oratione *Inclina* pro uno defuncto, et in oratione *Quaesumus, Domine,* pro una defuncta, desit littera *N* in Missali, sed non desit nec in Rituali nec in Breviario typico, ergo bene addi potest nomen etiam in Missa.

Ad 61. Responsio huiusmodi per se patet, cum enim Sacerdos sit verus praeses in divinis officiis, iuxta illud Pontificalis Romani (*Ordin. Presbyt.*): *Sacerdotem oportet offerre, benedicere, praeesse, praedicare et baptizare,* si in choro unus tantum Presbyter existat, ipse concludere debet Laudes cum oratione sua seu collecta. Quia vero Rituale Romanum (*Exeq. Ordo,* tit. VI, c. 3, n. 6) dicit: *Dum in Officio dicuntur Laudes, Sacerdos cum Ministris paratur ad celebrandum Missam;* huiusmodi rubrica servari debet semper, nisi in casu, in hac responsione praeviso, quo alius Sacerdos in choro non existat.

Art. 12. — *Miscellanea.*

62. In administratione Baptismi interrogationes quibus respondere debet patrinus infantis, vel catechumenus baptizandus, fieri non possunt in lingua vulgari.

63. In versiculis, qui dicuntur in administratione Extremae unctionis, facienda est variatio generis, quando recitantur pro muliere, dicendo: *Salvam fac ancillam tuam etc.*, sicut generis variatio indicatur a Rituali in ritu Benedictionis apostolicae, et a Pontificali in Confirmatione unius.

64. Id similiter fieri debet in litaniis brevibus pro Commendatione animae, quando preces recitantur pro muliere vel pro pluribus.

65. Fieri debet inclinatio capitis quando nominatur nomen Iesu, vel simul expresse nominantur tres personae Ss. Trinitatis, ut in *Deo Patri sit gloria*, vel quum dicitur expresse Sancta Trinitas, in fine Hymnorum, non vero quando clerus est genuflexus; ex. gr. quando cantatur *Genitori Genitoque* in repositione Ss. Sacramenti. Ab inclinatione autem est cessandum, quum post nominatas expresse tres personas vel Sanctam Trinitatem, superest aliquis versiculus strophae: Non tamen facienda est inclinatio ad verba strophae nec glorificationem nec invocationem exprimentia v. g. ad *Iam sol recedit igneus:* quod si inclinatio facienda sit ad totam stropham, vel ad duos vel tres versiculos, clerus stans non debet se convertere ad altare, sed sufficit ut profunde inclinet caput ad altare semivertendo corpus, sicuti in inclinationibus quae fiunt ad unum vel duo verba.

66. Per novas Cruces, quarum benedictio est Episcopo reservata, intelligendae sunt Cruces coemeteriorum aliaeque publice exponendae, et simplex Sacerdos potest benedicere Cruces usui privato destinatas v. g. ut ponantur in domibus fidelium, et in hoc casu adhiberi potest formula benedictionis novae Crucis a Rituali tradita.

67. Pro declaratione an formula benedictionis Rosariorum, quae in nonnullis libris invenitur, sit authentica, remittitur solutio ad Congregationem Indulgentiarum.

68. In benedictionibus pro quibus Rituale non dat formulam, v. g. in benedictione seminum terrae mandandorum, producendum est signum Crucis super re benedicenda, cum formula: *In nomine Patris etc.* deinde res ipsa, absque cereo accenso, cum aqua benedicta est aspergenda.

69. Servari potest consuetudo qua clericus etiam superpelliceo non indutus, in Missa, lecto Offertorio a Celebrante, ascendit, accipit et plicat velum calicis.

70. Clericus, quando recedit a loco suo ut adeat ad credentiam ad accipiendas ampullas, in transitu tantum ante medium altare debet inclinationem facere, vel genuflectere si adest Ss. Sacramentum in tabernaculo.

71. Idem est faciendum quando clericus accedit ad cornu epistolae cum ampullis, si transire debeat ante medium Altaris.

Commentarium

Ad 62. Licet in nonnullis Ritualibus particularium ecclesiarum, a S. Sede admissis (praesertim in Germania et

in Polonia) habeantur interrogationes pro collatione Baptismi, in lingua nationali, nihilominus lex est omnino ubique servanda, nisi indultum ut supra obtineatur, quod interrogationes ipsae semper faciendae sint prout iacent in Rituali Romano lingua latina.

Notandum est, hic loqui responsionem tantummodo de interrogationibus, quia decreto n. 3535 ad 10 declaravit S. R. C. posse patrinos in baptismo, recitare in lingua vernacula *Pater* et *Credo* dum baptizans ea recitat latino sermone.

Ad 63 et 64 vide supra quae scripsimus ad 60.

Ad 65. Clara prorsus ac optime determinata est huiusmodi dispositio, quae locum tenet perspicuae Rubricae; nam in libris liturgicis, praesertim in Caeremoniali, regula traditur pro inclinationibus faciendis quando invocatur Nomen *Iesu* vel Ss.mae *Trinitatis*, aut b. Mariae V. vel Sanctorum — in hac tamen responsione nonnulla notatu digna declarantur, quae suboscure docentur quidem ab aliquo scriptore (1), in legibus tamen liturgicis omnino desiderantur — ideoque valde opportuna nobis videntur.

Inclinandum est caput dum exprimitur Ss.mum Nomen *Iesu*, sive solum, sive simul cum voce *Christi*. Item quando exprimuntur nomina Personarum Augustissimae *Trinitatis*, et datur exemplum:

Deo PATRI sit gloria — Eiusque soli FILIO — Cum SPIRITU Paraclito — In sempiterna saecula.

---

(1) Cl. Menghini « Manuale novissimo di ss. Ceremonie », edit. III, vol. I, pag. 51, perspicue docet: « ... quando si nominano *esplicitamente* e *glorificando*, le *Persone* della Ss.ma Trinità ». Simititer Martinucci-Menghini, « Manuale ss. Caeremoniarum », edit. III, vol. I, pag. 2 : « cum... *tres* simul divinae *Personae*, UTI *ad Gloria Patri*, et in ultima strophe plurium hymnorum » ; pag. 12, nn. 9, 10 : « ... quando in ea nominantur *distinctim* Personae SS.mae Trinitatis et *glorificantur* » ; pag. 266, n. 15 : « Sub hymni finem, ad *glorificationem trium Personarum* SS.mae Trinitatis », et similiter alibi passim.

Non est tamen inclinandum quando verba strophae *non exprimant glorificationem aut invocationem*, et exemplum traditur:

Iam sol recedit igneus — Tu lux perennis, UNITAS — Nostris beata TRINITAS — Infunde lumen cordibus; in qua non nominantur Personae; et licet exprimatur *Trinitas* et *Unitas*, nihilominus non sunt verba glorificationis.

Dicitur etiam quod cessandum sit ab inclinatione post nominatas expresse tres Personas, licet supersit aliquis versiculus eiusdem strophae; cessat enim in casu causa caput inclinandi. Dicitur tandem quod clerus, quando inclinat caput ad huiusmodi strophas hymnorum, non debet se convertere ad Altare, sed caput inclinandum est versus illud, et quidem profunde, scilicet profunda capitis inclinatio in casu fieri debet.

Ad 66. In Rituali Romano duae habentur benedictiones Crucis; una in corpore Ritualis (Tit. VIII, c. 24), inter benedictiones ab *Episcopis, vel aliis facultatem habentibus faciendas*, sub nomine *Benedictio novae Crucis*. Altera in Appendice, quae est prima inter benedictiones reservatas, *ab Episcopo vel Sacerdotibus facultatem habentibus faciendas*, sub titulo: *Benedictio solemnior novae Crucis*. Procul dubio de prima formula tantum agit huiusmodi responsio, propter duo: 1. quia anno quo exiit decretum istud in *Lucionen.* nondum habebatur secunda formula solemnioris benedictionis in Appendice Ritualis, 2. quia agitur in quaesito de privata benedictione.

Alias S. R. C. (decr. 12 iul. 1704, n. 2143) declaraverat quod simplex Sacerdos potest benedicere privatim et non solemniter Cruces Altarium et Processionum, de quo vide quae nos ipsi egimus in *Ephemer. Liturg.* (an. 1893, Vol. VII, p. 409), in nostro *Manuali pro visitandis ecclesiis*. Si ergo Sacerdos, absque speciali delegatione, benedicere potest *privatim Cruces* Altarium in quibus necessario imago Ss. Crucifixi inesse oportet, eo vel magis poterit privatim benedicere Cruces (cum imagine vel sine) quae in domibus fide-

lium ponuntur, pro qua benedictione, Sacerdos uti potest, prima formula Ritualis, ut expresse tradit huiusmodi responsio ad 66.

Animadvertendum autem est ad istiusmet responsionis verba, quae dicunt: *Per novas Cruces, quarum benedictio est Episcopo reservata, intelligendae sunt Cruces coemeteriorum aliaeque publice exponendae.* Ex quibus videtur quod, pro benedictione Crucis in medio Coemeterii collocanda, adhibenda sit, ab Episcopo vel a Sacerdote delegato, formula *benedictionis novae Crucis*, in Rituali posita. Cum autem, etiam in ultima typica editione Ritualis, nil dicatur de huiusmodi Crucis benedictione in *Ritu benedicendi novum coemeterium* (Tit. VIII, c. 29), salvo meliori iudicio arbitramur, quod in praxi non sit deducenda responsio ista, quoad benedictionem Crucis Coemeterii, ideoque, *per novas Cruces quarum benedictio est Episcopo reservata intelligendae non sunt Cruces coemeteriorum,* sed tantummodo aliae Cruces *publice exponendae* (1).

Ad. 67. Datum non fuit responsum a S. R. C. quia agitur de indulgentiis, ad quarum Congregationem remittitur.

Ad 68. Quia, ut supra (ad 61) vidimus *oportet Sacerdotem..... benedicere,* decet quod Sacerdos, praesertim parochus, facilem se exibeat, quandocumque fideles benedictionem eius exposcunt etiam pro rebus materialibus quibus ipsi uti debeant. Rituale Romanum plures benedictiones habet, aliasque permultas in eius Appendice, quod si pro aliqua re speciali deficiat formula benedictionis, tum adhibeat *benedictionem ad omnia*, vel simplici signo crucis, dicens: *In nomine Patris* etc., rem benedicat.

---

(1) Vel potius intelligi ita debet : Si Crux coemeterii benedici velit, qua de re nulla est obligatio, benedictio ipsa, quatenus publice habeatur, ab Episcopo vel Sacerdote ab eo delegato, facienda est. Vel etiam hoc referri potest ad Cruces, quae in coemeteriis ad caput singulorum defunctorum apponuntur, quae si publice benedicantur, oportet ut benedicens sit Episcopus, vel Sacerdos facultate praeditus.

Ad 69. Licet Rubrica Missalis (VII, 2) dicat tantummodo: *Dicto Offertorio* (celebrans) *discooperit Calicem*, nihilominus ipsemet velum plicat, ut fert usus fere universalis; ubi vero consuetudo invaluerit, quod clericus illud accipiat et plicet, bene servari potest, prout in ecclesiis Urbis Romae generaliter praestatur (Cf. Martinucci *Manuale ss. Caeremon.* I, xj, 13).

Ad 70 et 71. Responsio ista, cohaeret cum sententia quorumdam scriptorum, quos citat Meratus (p. 2, tit. 2, n. 9) ac etiam cum doctrina Martinucci (lib. 1, c. 11, n. 6 et 11), qui docent ministrum Missae privatae debere inclinationem facere ad Crucem, non vero genuflexionem, nisi in Altari adsit Ss. Sacramentum. Iam suo tempore Meratus hanc sententiam reprobavit (l. c.): « quia Ministri sacri solemni Missae inservientes iubentur a Rubrica Missalis, medio Altaris, in quo sit sola Crux, semper genuflectere, qui procul dubio sunt privato ministro et simplici clerico multo digniores », Pariter *Ephemerides Liturg.* (an. 1897, p. 726, et 1899, p. 115) optime Merato adhaerendo docuerunt genuflexionem esse faciendam a ministro in Missa privata, quarum sententia demum adprobata fuit a S. R. C. suo decreto 16 nov. 1906, n. 4193, in quo edicitur: I. *Minister inserviens Missae in altari ubi Ss. Eucharistiae Sacramentum non asservatur, unico genuflectere debet accedens ad altare, et quoties ante medium altiaris transibit, aut ab eo recedet.*

Hinc, non tantum cl. De Amicis (*Caerem. Parochor.* I, ij, c. 1, n. 85, 2) sed et P. ab Appeltern (*S. Lit. Promptuar.* I, viij, 5) sententiam mutavit, et cl. Menghini in III editione Manualis Martinucci, huius Auctoris opinionem emendavit, citatum decretum adducens (Cf. *Manual. Sacr. Caerem.* Martinucci-Menghini, I, p. 336).

Ergo responsiones ad 70 et 71, non amplius sunt attendendae.

(Continuabitur)

P. Piacenza.

Archaeologia Liturgica.

Quaedam monumenta osculum pedis Romani Pontificis plenius illustrantia.

(Continuatio. V. n. 11 curr. an., pagg. 683-689).

§ 3.

De Actis Sanctorum Martyrum, in quibus osculum pedis B. Pontifici exhibitum, memoratur.

Lux et robur argumento accedunt etiam ex quibusdam SS. Martyrum actis, in quibus osculum pedis Summo Pontifici exhibitum refertur, et obsequii continuationem erga Petri successores ostendunt.

Stephanus Valentini, inter actus venerationis Martyribus exhibitos, recenset quoque osculum pedis; de hoc ita generatim scribit: « Martyres, qui benedictam sui corporis hostiam Deo offerebant, pedum osculatione culti fuerunt, et narrat Victor Uticensis in libris de persecutione vandalica. Ad Saturii enim martyris pedes uxor proiicitur, ipsius genua ulnis complexa. Ad visendos et colendos matyres in exilium missos, populi concurrerunt gestantes cereos manibus, suosque filios ad illorum vestigia proiicientes. Lectores cum vi a Martyrum consociatione divellebantur, constringebant manibus illorum amplexa genua » (1).

Ad particularia descendendo, sequentia ex Martyrum actibus recolere possumus, quae a Scriptoribus potissimum indicari solent (2).

(1) VALENTINI, *De osculatione pedum R. Pontificis,* pag. 64.

(2) Cfr. MARTIGNY, in suo « *Dictionnaire des Antiquités Chrétiennes* » ad verbum « *Pieds du Souverain Pontife* (*Baissement des*). Edit. III, Paris 1889, pag. 642. — ROCCABERTI *Bibliotheca Maxima Pontificia* T. IV. pag. 337-338.

a) *Acta S. Alexandri*, hoc nomine primi Pontificis, Eventii et Theoduli presbyterorum. In his de S. Quirino M. narratur quod propter miracula quae a S. Alexandro patrari viderat, ad fidem conversus est, et, ut credidit « statim tollens omnia vincula ab eo (erat enim Quirinus Tribunus, et Alexandrum, Imperatoris iussu, tenebat in carcere) et osculari coepit pedes Alexandri (1). Qui venerationis actus fuit etiam prima illius fidei expressio, cuius postea extitit Martyr gloriosus. Ponitur hoc Martyrium accidisse anno salutis 132.

b) *Acta SS. Hippolyti et sociorum Martyrum* in quibus frequens est mentio de obsequio, quod praestatur cum inclinatione ad pedes Romani Pontificis. De ipso Hippolyto dicitur quod « veniebat frequenter ad pedes Stephani Episcopi ». Idem, audita exhortatione, ut instante persecutione baptizarentur, si qui essent iam instructi et parati; tunc Hippolytus misit se ad pedes beati Stephani Episcopi, dicens: Pater bone, rogo te » etc. De Adria et Paulina ad fidem conversis dicitur quod « corde compuncti sternentes se, petierunt et ipsi se baptizari » (2). Baronius horum Martyrum passionem evenisse putat anno 259.

c) *Acta S. Susannae V. et M.* cum qua alii quoque passi sunt. In iis narratur de Praepedigna cuiusdam Claudii uxore. quae cum audisset virum suum catholicam fidem amplecti velle, ipsa quoque ad Caium Episcopum sola intravit. Eam Caius Episcopus videns, gratias egit Deo, illa autem submisit se ad pedes eius, eosque tenens et exosculans cum lacrimis, ait: « Salva famulum et famulam tuam et filios meos » (3). Quae postea cum viro suo et filiis baptismum accepit. Haec Baronius ad annum 294 habet.

d) Huc aliquo modo ea etiam spectant quae in pas-

---

(1) ACTA SS., Mense maio, die tertio. T. I, pag. 371.

(2) SURIUS, *Vitae Sanctorum*, decemb. die 2. In edit. Taurin. 1880, Vol. XII, pag. 63-14 — BARONIUS A. 259. n. VIII.

(3) Acta SS., Mense augusto, T. II, pag. 624. — SURIUS, Mense augusto ad diem 11, in editione Taurin. 1877, pag. 246. — BARONIUS, a. 294, n. 8.

sione S. Quirini Episcopi enarrantur. In eius Actis legitur: « Media autem nocte apparuit splendor magnus in carcere, quem cum vidisset Marcellus custos personarum, aperuit carcerem et prostravit se ad pedes beati Quirini Episcopi » (1).

Ex quibus omnibus deducitur hoc, quoque, de quo loquimur, obsequium illis primis saeculis adhibitum fuisse.

Contra Acta SS. Martyrum allata, exceptis iis quae de S. Quirino sunt, excipi potest quod sint dubiae authenticitatis, ac proinde non sint attendenda. Nolumus et nos eorum omnimodam sinceritatem asserere, sed si eorumdem Scriptores non sunt martyrum aetati coaevi, et revera tales esse non videntur, quaedam tamen antiquitas est eis recognoscenda, et veluti suorum temporum testes habendi sunt. Id maxime in Actis S. Susannae et sociorum fieri putamus. Narratio enim, uti a Baronio refertur, potius ad tempus Scriptoris Actorum, quam ad tempus martyrii assignanda videtur.

Quae monumenta ceteris coniuncta, procul dubio morem osculandi pedem R. Pontifici et antiqunm et venerabilem demonstrant.

§ 4.

De formulis « ad pedum osculum provolutus », « cum osculo pedum », etc. in epistolis ad R. Pontificem directis.

Attentione nostra dignae quoque sunt illae usitatissimae formulae, quae in orbe catholico iam a pluribus saeculis invaluerunt, ad salutationem R. Pontifici in epistolis exhibendam. Non intendimus de his accuratam contexere historiam, sed ea tantum innuere, quae argumentum nostrum illustrant et confirmant.

Usque ad saeculum decimum circiter peculiaris et communis salutationis formula in epistolis ad R. Pontificem directis extitisse non videtur; non tamen quidam honoris et officii tituli omittebantur (2).

---

(1) RUINART, *Acta Martyrum sincera.* Ratisbonae, 1859, pag. 523.

(2) Cf. Epistolae Marciani Imperatoris ad S. Leonem M. missae.

Quaedam salutationis formulae, quae, quoad sensum parum inter se differunt, iam occurrunt in epistolis S. Petri Damiani, S. Anselmi, S. Bernardi et aliorum virorum eiusdem temporis, hanc tamen explicitam mentionem de osculo pedum non continent. En quaedam huiusmodi formularum exempla :

S. Petrus Damianus hac fere semper utitur formula: « Domino Gregorio Sanctissimo Papae, Petrus peccator monachus *debitae servitutis obsequium*, vel *devotissimae servitutis obsequium*, vel *simpliciter servitutem* » (1).

S. Anselmus non dissimili utitur formula: « Domino reverendo, et Patri diligendo, Paschali Summo Pontifici, Anselmus... *debitam subiectionem et orationum fidelitatem* » (2).

S. Bernardus in suis epistolis ad R. Pontificem non semper salutationis formulam praemittit; maxime cum scribit ad Eugenium III; quod familiaritati est adscribendum, qua cum eo fruebatur, utpote qui fuerat eius discipulus.

In epistola ad Hadrianum IV hac utitur salutationis formula: « Amantissimo Patri et Domino Hadriano.... *sincerae caritatis obsequia et pia orationum suffragia* » (3).

Alia epistola S. Bernardo adscripta, et ad Alexandrum III missa, inchoatur: « Amantissimo Patri et Domino Alexandro... *sincerae caritatis obsequium et debitam cum omni subiectione reverentiam* (4).

Antiquiore etiam tempore, adhibita quidem reperiuntur verba, quae explicite osculum pedum significant, sed non ad salutationem exprimendam, ordinata fuerunt, bene vero

---

Migne, P.L. LIV, 903 et ss.— Huc faciunt etiam, quae praescripsit Leo IV Imperator C. P., cognomento *philosophus*, de modo servando a Patriarcha C. P. in scribendo ad Papam, et ad alios Patriarchas et Episcopos. In hac ordinatione tituli adhibendi indicantur. Migne P. G. CVII, 403 et quoad R. Pontificem col. 415.

(1) S. Petrus Dam. *Epist.* Migne, CXLIV, 205 et ss.

(2) S. Anselmus, *Epist.* Migne, CLIX, 201.

(3) S. Bernardus, *Epist.* 493, Migne P. L. CLXXXII, 713.

(4) L. c., 727.

ad robur et vim supplicationi addendam. Pro cuius intelligentia, quaedam suppeditantur exempla: S. Agatho Pontifex ad Constantinum IV Imperatorem Ç. P. scribens, dicit: « Tamquam praesentialiter prostratus et vestris vestigiis provolutus, quaeso ». S. Sabba ad Imperatorem Anastasium dicit: « Vestrae pietatis vestigia adoraturus veni ». Sed prae omnibus quidam Eustathius Regniorum Metropolita ad Marcianum Imperatorem: « Oro ad vestrorum pedum vestigia provolutus » (1).

Ad Alexandrum III scribens quidam Odo, Prior Conventus Cantuariensis, epistolam his verbis claudit: « Qui pedes vestros nequimus ut volumus (subintellige: lacrimis rigare) lacrimis rigabimus genas nostras, nec erit eis requies, quoad usque eas, Deo miserante, abstergat, dextera clementiae vestrae » (2).

Primas epistolas explicitam formulam salutationis exhibentes, « Cum osculo pedum » vel quid simile, inter eas reperimus, quae ad Innocentium III directae fuerunt. Duae tantum ex eis nobis occurrerunt et ambse Constantinopoli missae. Prior scripta perhibetur a Balduino Imperatore Constantinopolitano anno 1204. Salutatio, quam exhibet, haec est: « Sanctissimo in Christo Patri et Domino Innocentio.... *cum devota semper voluntate, oscula pedum* » (3). Altera est Henrici eiusdem Imperatoris Fratris, et sequenti anno 1205 scripta, estque huius tenoris: « Sanctissimo Patri et Domino Innocentio.... *cum debita reverentia humili et devota, pedum oscula* » (4).

Si quaeratur quomodo explicari potest quod talis formula a Graecis ortum duxerit, cum ipsi non tantum formulam sed et sensum et rem ipsam primi reliquerint; explicandum id esse putamus ex eo quod apud Graecos et maxime Con-

(1) Apud CHRIST. LUPUM. *Synodorum Generalium ac Provincialium Decreta et Canones,* Venetiis, 1723, T. V, pag. 197.

(2) Migne, P. L., CC, 1378.

(3) Ib., P. L., CCXV, 447. Cf. RAYNALDI *Annales* ad a. 1204, n.

(4) Ib., P. L., CCXVII, 292.

stantinopoli osculum pedis frequentissime adhibebatur in salutatione praestanda tum Imperatori, tum Patriarchae, et etiam Dominis (1).

Aliam epistolam cum tali salutationis formula reperire non potuimus, nisi ad annum 1222, quae ad Honorium III missa fuit a Conrado Episcopo Portuensi eiusdem Pontificis Legato apud Narbonensem Ecclesiam. In qua epistola salutationis verba ita se habent: « Sanctissimo in Christo Patri et Domino amantissimo Honorio.... *devotà sanctorum pedum et manuum oscula, cum salute* » (2).

Postea hae salutationis formulae, frequentissimae evadunt in epistolis ab Occidentalibus Regibus, Archiepiscopis, Episcopis, etc. ad R. Pontificem (3), dum e converso rarissimae fiunt et quasi evanescunt, in iis, quae ab Orientalibus mittuntur. Ipse Michael Palaeologus ad Beatum Gregorium X scribens, quamvis verbis veneratione plenis utatur, explicitam tamen salutationis formulam de qua loquimur, non adhibet (4).

Huius rei rationem reddere non praesumimus, ast si eventus, qui subsecuti sunt, attente perpenduntur, a veritate aberrare non videtur, qui asserit iam in Graecorum animo altas radices egisse illam exitiosam contra R. Pontificem aversionem, quae non multo post, Ecclesiam Graecam ad schisma faciendum a Romana perduxit. Inter plures alios huiusmodi defectionis prodromos indices, hanc quoque omissionem esse recensendam putamus.

Id non asserimus simplici inductioni innixi, sed ex facto, quod Graeci Patriarchae et Episcopi, hoc obsequium in Con-

---

(1) Cf. *De Caeremoniis*, seu *Caeremoniale Aulae Byzantinae*. Migne P. G. CXII, 1886 et 762, cum respectivis notis. Item CHRIST. LUPUS *Synodorum*, etc. l. c. pag. 197.

(2) MANSI *Collectio Conciliorum*, Venetiis 1778, T. 22, p. 1195.

(3) Epistolae quaedam cum tali formula extant in Actis Canonizationis S. Raymundi de Penafort a Francisco Penia collectae, Romae, 1601, pagg. 183-243.

(4) MANSI L. c. Tom. 24, pag. 67.

cilio Florentino, Ferrariae incepto, Summo Pontifici Eugenio IV, praestare recusarunt.

Christianus Lupus late huius denegationis historiam enarrat (1). Patriarcha C. P. minaverat, se nec ad terram appulsurum, nisi ab osculo pedum R. Pontifici praestando exolveretur. Ita Pontificis Legato respondit: « Nisi Papa remiserit mihi, meisque Archiepiscopis et Crucigeris Proceribus, hanc usitatam exosculandi consuetudinem, immotum mihi haerebit, numquam ex hac Scapha, in terram descendere ». Quibus permotus Eugenius, Patriarchae omnem addixit honorem, eique permisit, *ut quo voluisset modo, ad ipsum accederet.* Rogavit tamen in clauso palatio coram solis id fieri Cardinalibus, ne ob talem papalis honoris spontaneam remissionem latinus orbis offenderetur. Occursus inter R. Pontificem et Graecorum Patriarcham hoc modo describitur: « In palatium Papae ascendimus et Patriarcha quidem, stantis Papae genam osculatus est, etc. (2). Optime Eugenius Pontifex, amore uniendarum Ecclesiarum, suo cessit honori. Sed ex hac indulgentia animus Graecorum non est sanatus, et Ecclesiarum unio in Concilio solemniter quidem conclamata fuit, sed brevi iterum disrupta.

Id indicasse sufficiat ut magis magisque comprobatum habeamus parvam caeremoniam, et brevissimam in epistolis salutationis formulam altum magnique momenti sensum continere.

Fr. IOSEPHUS ANT. O. M. Cap.

---

(1) CHRIST. LUPUS. *Synodorum Generalium ac Provincialium Decreta et Canones,* Venetiis, 1725, T. V, pag. 201 et ss.

(2) Videsis apud LUPUM l. c. reliquas controversiae circumstantias. Merito notatur quod Ioannes II Palaeologus Imperator C. P. cum ad Eugenium accessit, voluit in genua procumbere, non id permisit Papa, sed eum complexus porrectaque dextera osculatus est, etc. Se suo Patriarcha et Episcopis humilior ostendit.

CENSURA LITURGICA

De adsistentia clericorum in missa simpliciter cantata, et ministrorum « in sacris » in missa solemni coram ss. Sacramento exposito.

Quaer. Utrum instructiones quae habentur in recenti libello liturgico « *Il Nuovo Baldeschi* » quoad missam cantatam cum simplici clericorum adsistentia, necnon quoad missam solemnem coram ss. Sacramento, rubricis decretisque sint conformes an non?

Resp. Fatemur notitiam nos habuisse de laudato libello liturgico eminentis confratris nostri rubricistae Iosephi Baldeschi, cui titulus « *Esposizione delle sacre cerimonie della messa privata, delle messe e de' vesperi solenni, e delle principali funzioni dell'anno, anche nelle chiese parrocchiali minori* », non autem de praefato recenti libello, manu aliena elaborato: quapropter, ut ad allatas consultationes aliquod responsum dare possimus, memoratum libellum « *Il Nuovo Baldeschi* » aliquantulum perlustravimus. Gradum ergo ad singulas quaestiones facimus.

Et quoad primam, nempe quoad missam cum simplici clericorum adsistentia cantatam, opus est ante omnia decretum a S. R. C. die 10 martii 1906 edito, n. 4181 prae oculis habere, in quo satis exposita sunt principia quibus clerici assistentes in missa simpliciter cantata nituntur. Ipsi clerici vel sunt in minoribus ordinibus, vel simpliciter tonsurati, vel autem *in sacris* constituti.

Si in minoribus ordinibus vel simpliciter tonsurati:

a) Calix super altari praecedenter ante missam paratur.

b) Offertorio lecto, pallam clericus non amovet, neque patenam celebranti offert, sed statim ad credentiam descen-

dit pro ampullis. Celebrans calicem ex se purificat, eique clericus suo tempore ampullas vini et aquae offert.

Si vero adsistentes sint « in sacris » constituti, sequentes caeremonias servare debent:

a) Offertorio a celebrante lecto, clericus calicem discooperit, pallam aufert, et patena cum osculis celebranti oblata, ad credentiam statim accedit pro ampullis. Purificat deinde calicem, vinumque in eo infundit et aquam, et celebranti cum osculis tradit, postea suo tempore calicem palla cooperit.

b) Pro elevatione omnia facit velut diaconus in missa solemni. Calicem palla cooperit et discooperit.

c) Ad verba *Per quem haec omnia,* genuflectit, et ad dexteram transit, ubi calicem suo tempore discooperit, et ad verba *dimitte nobis* dominicae orationis, patenam purificat, eamque cum osculis celebranti offert.

d) Missali in cornu epistolae translato, in cornu redit evangelii pro purificatione calicis, quem vestit et ad credentiam reportat.

Sed contra est quod in libello « *Il Nuovo Baldeschi* » docetur. Satius est referre *Observationem* quae in capite IX prostat (pag. 161 edit. 3[a]): « *Trattandosi di messa cantata, cioè senza diacono e suddiacono, in essa, giusta il decreto 3377 al 1, è permesso che un ministro possa voltare al celebrante i fogli del messale, scoprire e coprire il calice, purificarlo, infondervi il vino e l'acqua, astergerlo in fine ecc. Onde è chiaro che il ministro è come equiparato ad un ministro superiore, perciò che riguarda l'ufficio a compiersi; non è per conseguenza un semplice inserviente, ma qualcosa dippiù* ». Paullo post subiungit: « *Se adunque in detta messa cantata il ministro può fare quanto sopra fu detto, se invece di uno possono aversene due, è del tutto logico inferirne che anche questi due ministri potranno assistere il celebrante, come a un dipresso fanno i ministri superiori nella messa solenne. Del resto, cotesto modo di condursi nella messa cantata da parte de' due ministri, è conveniente, rispondendo alla natura dell'atto il quale a ragione del canto non può non inchiudere una particolare solennità* ».

Ubi isti solertes elaboratores *Novi Baldeschi* hanc doctrinam didicerunt? Ubi erant dum S. R. C. decreta edidit in quibus mentem suam abundanter ad rem explanaret? Fatemur in allato decreto n. 3377 d. 25 sept. 1875 declarari, ministrum in missa cantata, hoc est sine ministris sacris, posse inter alia calicem tergere post communionem, ipsumque suis ornamentis instruere. Sed quid concludendum est? Pretium est operis huc rationes colligere quae in *Ephemeridibus* circa hanc quaestionem passim exposuimus. Sicuti proprium est sacerdotis panem et vinum consecrare atque in corpus et sanguinem Christi transubstantiare, ita et ipsi de iure licet vasa sacra, rem sacram continentia, intus contrectare. Diaconorum est autem vasa sacra tangere ac deferre, etiam si rem sacram contineant. Subdiaconorum vero est vasa sacra intense tergere, dummodo rem sacram non contineant. Hoc de iure et vi ordinis. Quibus positis, patet, eum qui subdiaconatus ordine non insignitur, nullo modo intus contrectare posse; immo nec per se externe tangere posset, quamvis hac super re aliquantulum Ecclesiae disciplina rigorem suum remiserit. Ergo, re in se spectata, etsi clericus fungi ex necessitate permittatur subdiaconali munere in missa solemni, calicem tangere, consequenter abstergere non potest, etsi rem sacram continere desierit.

Nunc ad legem decretorum.—Die 25 sept. 1875 magister caeremoniarum Baionensis ecclesiae, quaerebat a S. R. C. « An celebrans missam cum cantu sine ministris adhibere possit... *ministrum* qui folia vertat, et calicem... tergat post communionem, suisque ornamentis instruat; vel celebrare debeat ut in missis sine cantu, omnia super enunciata a semetipso peragendo, et non ope ministri? » S. R. C. respondit: « Affirmative ad primam partem: Negative ad secundam ».

Quaeri iam potest, de quo ministro hic loquatur caeremoniarum magister, de quocumque ministro, etiam clerico, seu qui talari veste utatur, uti vulgo dicitur, vel de clerico proprie dicto, qui tonsura saltem initiatus sit, vel tantum

de ministro in sacris constituto? Neque id explicatur in dubio neque in responso. Quomodo ergo intelligendum? Fortasse, decreto in se inspecto, sic ratiocinari quis posset (et sic ingenue ratiocinati sunt reformatores cl.mi Baldeschi): Lex de ministro, ulla sine distinctione, agit; atqui clericus quicumque sub tali nomine intelligi potest, ergo pro dicto ministro quivis clericus, qui ad summum sit prima tonsura ornatus, potest intelligi. Aliunde quare distinctio tibi facienda est, cum noluerit lex ipsa distinguere? Arroges, decreta nn. 2965[4], 3525[1] et 3832[4], clericum permittere in missa solemni, posita necessitate, dummodo manipulum non ferat.

Suffragatur et cl. De Herdt, qui loquens de missa cantata sine ministris, scribit: « Haec missa cantari potest cum uno acolytho, et tunc hic... potest... calicem tergere post communionem, suisque ornamentis instruere » ad supercitatum decretum relatumque 3377[4] alludens (Prax. Liturg. tom. 1, n. 300, II).

Contra hanc interpretationem nil hucusque, severe loquendo, dici potuit, cum enim incerta lex esset, iure concludere licuit, unumquemque potuisse sequi suam videndi rationem. Res nihilominus impraesenti mutata est, adeo ut praefati auctoris sententiam, nec non correctorum clari Baldeschi amplius sequi non liceat. Eoque magis, quia decretum 3377 ne verbum quidem fecerat aut facit de *acolytho,* sed de *ministro;* et *acolythum* posuit cl. De Herdt aliis decretis suffultus, quae inter se fortasse contulerat.

Nos autem haec pro praxi certo usque ad ann. 1906 tenebamus, scripsimus enim:

a) Folia vertere, calicem tangere exterius, pallaque eum cooperire ac discooperire, deferre, atque in reliquis celebranti, sive in missa cantata sive in solemni, ministrare, proprium quidem subdiaconi munus constituunt. At calicem interius contrectare ad ipsum abstergendum, est quid ceterorum maximum, quod subdiacono competit, et quidem praecise vi ordinis sacri, quo initiatus est;

b) Decreta quae permittunt in necessitate, ut clericus

ministret pro subdiacono in solemniori missa, non includunt necessario calicis abstersionem. Quod adeo verum est, ut in pluribus ecclesiis clericum munere subdiaconi fungentem viderimus, calicem tamen ipsum non abstergentem, sed diaconum, licet ille reliqua subdiaconi munia ageret;

c) To *ministrum*, de quo decretum 3377[4], ambiguitate laborat, et per decretum 14 martii 1901 declaratur: adeo ut, vel significat ministrum in sacris, et tunc abstergere calicem de more possit, vel simplicem clericum, tonsura initiatum, et tunc non possit abstergere calicem, quamvis reliqua subdiaconi munia agendi sit illi indulta potestas;

d) Calicis abstersio afficit munus subdiaconi maximum, quod non convenit exerceri ab alio ex reverentia erga vas sacrum, peculiariter quod rem sacram mox continuerit. Ex illa proinde conditione tantum posita, scilicet non deferendi manipulum, non potest argui permisisse S. R. Tribunal, ut clericus posset hoc praecipuum sacrumque subdiaconi officium sibi sumere; sed dici hoc tantum potest, legem fuisse incertam, quae impraesentiarum certa facta est.

Conclusio ergo nostra haec fuit: Clericum subdiaconi munus in missa solemni agentem, vel celebranti assistentem, in missa cantata sine ministris, calicem non posset abstergere, uti subdiaconus vi ordinis sui potest; sed id diaconus, aut in altero casu celebrans per seipsum agere tenetur. Consequenter ad propositum dubium reponimus: *Negative*.

Ad expositam thesim confirmandam tulimus decr. sub die 6 decemb. 1901 (cfr. Ephem. liturg. tom. XIV, pag. 700), quod ita habet: « Rev.mus D.nus Episcopus Plocensis Sacrorum Rituum Congregationi sequens dubium, pro opportuna solutione, humillime proposuit, super ministro, qui iuxta decretum 3377, *Baionen.* in missis cum cantu sine ministris folia vertit, calicem discooperit, ipsumque mundat, vinum et aquam infundit, eumdemque calicem infra actionem palla cooperit et discooperit, iuxta opportunitatem, nec non ipsum tergit post communionem suisque ornamentis instruit, nimirum: Utrum iste minister debeat esse

in sacris constitutus? Sacra eadem Congregatio rescribendum censuit: *Affirmative,* si debeat etiam calicem abstergere ». Hoc decretum non fuit alligatum in VI volumine decretorum, quia videbatur superfluum, cum decretum valde esplicitum sub die 14 martii insertum fuit, ad quod gradum facimus, commentarium cl. nostri collaboratis doct. Petri Piacenza summatim perstringentes.

Opportune, ait praelaudatus liturgista, prodit hoc S. R. C. grave decretum; cum enim coherentes non essent sentiendi rationes inter liturgistas, et alicubi privilegia oretenus concessa dicerentur, quibus quique, sola talari veste cottaque induto, ad altare inservire fas esset, regulae clarissimae ad rem in eo traduntur, in casu quo aliquis inferior clericus loco subdiaconi, vel cappellani in missa episcopali deservire debeat, aut laicus clerici vices tenere,

Ad I. Ut loco subdiaconi in missa solemni deputari possit alius clericus, duo nunc sunt rigorose observanda, 1° *ut adsit rationabilis causa;* 2° ut clericus sit *in minoribus ordinibus* aut saltem sacra *tonsura initiatus.*

S. R. C. iam ab anno 1698, suo decreto n. 2002, et postea aliis decretis nn. 2525^1, 2965^4, 3525^2 et 3832^7, declaraverat, subdiacono deficienti pro missa solemni, *extra casum absolutae necessitatis et praecipuae necessitatis,* clericum non esse substituendum. Nihilominus, data *vera necessitate* et *rationabili causa,* permittit Ecclesia clerico, loco subdiaconi, deservire, cauto tamen ne *omnibus muneribus subdiaconi* fungatur, sed eius vices gerat in aliquibus tantum, quae ad ordinem subdiaconatus praecise non attinent.

Ad II. Clericus pro subdiacono inserviens omnibus vestibus indui debet, excepto manipulo, quod et in citatis S. R. C. decretis pluries definitum fuerat. Quoniam vero non unus ex liturgistis docuit, omnia posse a clerico deputato exerceri, quae a rubricis subdiacono tribuuntur, ea ratione motus, quia S. R. C. exceptionem unicam posuit, deserviendi absque manipulo, pluries, multisque in locis, visi sunt clerici, omnibus muneribus perfungi a rubrica praescriptis, quasi

veri essent subdiaconi. Ad abusus igitur tollendos, et ut in posterum res clarius pateret, S. R. C. declarat in praesenti decreto, quod clericus, in casu, non tantum absque manipulo ministret, sed delato calice, more solito, ad altare, nil aliud super eum, vel in eo agere possit, ideoque neque eum abstergere, neque aquam in eo infundere, etc.

Docet Benedictus XIV (*Instit. 34, § 4, n. 18*): « Certum est sacerdotibus tantum ac diaconis potestatem fieri ut sacra vasa contingant, in quibus Christi Corpus et Sanguis habeatur, subdiaconis tribuitur, dum altari ministrant, calicem et patenam tangere ubi Christi Corpus et Sanguis non fuerit. Acolythis *autem extra altaris ministerium* eadem facultas traditur, cum vasa sacra ad sacrificium necessaria praeparare ipsi debeant. Tandem diuturna consuetudine factum est, ut ordinati omnes, et qui sola tonsura praediti sunt, si aliqua causa intercedat, vasa sacra, dum vacua sunt, *extra altaris ministerium* contingant ». Quam sententiam tenent cum Suarez, Pasqualigo, Quarti, La Croix et s. Alfonsus (*Theol. mor., l. 6, n. 382*).

Missalis rubricae sacerdoti celebranti praescribunt, ut calicem ad altare afferat, eum abstergat, vinum et aquam in eo infundat, infra actionem cooperiat ac discooperiat, post ablutionem abstergat, componat et ad sacristiam deferat, licet eius inserviens esset acolythus. Ideoque convenientissime haec omnia clerico, loco subdiaconi ministranti, S. R. C. prohibuit; illi tantum permittens ut calicem velatum afferat, et in fine, iam a celebrante abstersum, more solito componat et ad abacum portet. Haec enim minora sunt et rigorose loquendo ad sacrum ministerium exclusive non attinere videntur.

Post haec, quaerimus: Ubinam isti elaboratores *Novi Baldeschi,* hanc doctrinam peregrinam didicerunt? Miramur quomodo hoc opus, nuper editum, ann. 1912, sicque interpolatum, inter tirones etiam maiorum seminariorum diffuse divulgetur.

Sed tempus est ut ad secundum quaesitum transitum

faciamus, nempe num instructio *Novi Baldeschi* quoad solemnem missam coram ss. Sacramento rubricis decretisque sit conformis.

Ante omnia videtur principium esse tenendum pro ministris occasione missae solemnis (vesperarum necnon cuiusque alius functionis, si forte agenda foret), nulla facta distinctione, an ss. Sacramentum super altaris mensam inveniatur, an etiam in throno, genuflexionem faciendam esse tantum:

a) Si stetur super suppedaneum: 1° in accessu ad medium ab alterutro latere et in recessu; 2° in transitu *immediato* ante medium; 3° in transitu ministrorum post celebrantem, hinc et inde. Excepto subdiacono, qui reversus ab incensatione Sacramenti ad elevationem in missa solemni de requie, genuflectere debet in medio tantum (S. R. C. 9 iun. 1899, n. 4027 ad 2).

b) Si ex plano presbyterii accedatur ad altare, in infimo gradu per ministros paratos, in plano per ceteros, sive a latere, sive in medio, iuxta casuum diversitatem.

Hinc est quod, decreto docente in *Parisien.*, sub die 14 ian. 1898, n. 3975 ad 1, minister missae privatae non genuflectit semper in suppedaneo antequam transferat missale et postquam ad aliud latus pervenerit, sed in medio, quia de plano venit, et genuflectit antequam a latere ascendat et postquam descenderit (Decr. cit. 3975 ad 2): dum subdiaconus et diaconus genuflexionem faciunt priusquam missale accipiant et postquam deposuerint, quia super suppedaneum inveniuntur.

Hisce praemissis, instructio *Novi Baldeschi* quoad missam coram ss. Sacramentum expositum, principiis nuper expositis non omnino concordat. Et sane: Num. 5, pag. 148, ait: « Il turiferario, dato al diacono il turibolo, genuflette, e scende *in plano* », contra decretum 3975 ad 2: observare debebat: Thuriferarius tam ante ascensionem ad altare, quam post descensionem de eodem, in plano genuflexionem facere debet; idemque dicendum de aliis clericis in similibus casibus.

Num. sequenti, habetur: « Il celebrante sceso nel secondo gradino coi ministri, incensa genuflesso con tre tiri

il Sacramento, fatta la riverenza prima e dopo ». Allata expositio non videtur satis pro tironibus sufficiens, pro quibus non pauca adhuc ignorarentur. Laudabiliter dicere debebat: Post impositionem et benedictionem thuris, celebrans cum ministris, sine genuflexione, in supremum gradum descendunt, ita ut terga ss. Sacramento non vertant, et genuflectunt in ora suppedanei. Celebrans a diacono thuribulum accipit, et, sacris ministris posteriorem hinc inde partem planetae elevantibus, Sanctissimum triplici ducto et bino ictu, cum profunda capitis inclinatione ante et post incensationem (D. n. 3086), adolet.

Num. 11, legitur: « Dopo (il vangelo) il suddiacono porta il messale al celebrante senza alcuna genuflessione, ma genufletterà sceso in plano, prima di rendere il messale al cerimoniere ». Vi cuius legis subdiaconus genuflectere debet reddito caeremoniario missali?

Num. 13, sequens doctrina habetur: « Il diacono porta la borsa all'altare, facendo inchino solamente al celebrante e le due genuflessioni, una sull'infimo gradino e l'altra sulla predella ». Quid velint istae duo genuflexiones in infimo gradu et super pradellam? Nonne satis, iuxta decretum allatum sub n. 4027 ad 3, genuflexio in infimo gradu? Nonne sibi ipsi contradicit dicens paulo ante in num. 10: « Il diacono porterà il libro all'altare *per longiorem* facendo una sola genuflessione sull'infimo gradino? ».

Num. 14, legitur: « Si farà tutto al solito; il suddiacono però, presa la patena, genufletterà sulla predella e in piano ». Etiam haec secunda genuflexio in plano (rectius super infimum gradum) contradicit decreto n. 4194 ad 6. Ad dubium: *Utrum in missa solemni coram ss. Sacramento exposito subdiaconus, qui accepta patena post oblationem calicis, genuflectit in suppedaneo ad dexteram diaconi, debtene iterum genuflectere cum venerit ante infimum gradum?* Et S. R. C. respondit: *Negative, iuxta rubricas missalis « Ritus servandus in celebratione missae », tit. X, n. 8, et iuxta decretum n. 4027, « Plurium dioecesium », 9 iunii 1899, ad II.*

Num. 16 invenimus: « Il diacono incensa more solito il clero e il suddiacono, il quale genuflette prima e dopo l'incensazione. Reso il turibolo al turiferario, il diacono riceve l'incensazione al solito, genuflettendo prima e dopo la medesima ». Rectene docetur genuflectendum esse a diacono et a subdiacono ante et post incensationem? Clari liturgistae, scribit Pater Schober (art. 4, c. 2, ad not. 4), Ianssens, Laboranti, Carpo et Martinucci postulant ut celebrans ante et post impositionem incensi in turibulo genuflectat; sed his recte contradicunt Meratus, Bongiovanni, Gardellini in Instruct. Clement. § 30 n. 10, *quia,* ut ipse Gardellini notat, *revera celebrans impositurus thus, non discedit ab altaris medio, sed tantillum se retrahit, conversis humeris ad latus evangelii, ministrante diacono e cornu epistolae, ita ut thuribulum in medio sit; quia igitur cessat ratio accessus et recessus vel transitus, iam patet, iure omittendas esse genuflexiones.* Huic sententiae quoque adhaerent Caerem. R.no-Seraph. Capuc., Vict. ab Appeltern, Menghini et alii recentiores, et confirmatur decreto S. R. C. 23 nov. 1906 ad 5, n. 4194. Ad dubium: Utrum in missa solemni coram ss. Sacramento exposito, celebrans, postquam dixit in initio *Oramus te,* et ad offertorium *Veni, sanctificator,* debeat cum ministris rursus genuflectere, antequam aliquantulum se retrahat versus cornu evangelii, in thuris impositione? Respondit *Negative.* Simili modo dicendum quoad incensationem subdiaconi et diaconi stantes in medio ante altare; quia et ipsi non recedunt e medio, genuflectere non debent.

Ad num. 17 nota una a Martinucci accepta apponitur, quae prorsus supervacanea videtur: *Post « Sanctus » usque ad communionem perfectam, ministri genuflexiones peragent a lateribus celebrantis, praeterquam ad illa verba* « Dimitte nobis debita nostra ». Quid novi dicere vult haec nota? Nonne regula observanda, ante et post *Sanctus,* simillima est? Martinucci tamen non admittit easdem genuflexiones esse faciendas quando Sacramentum non est super altari, sed in throno, quamvis admmittat pro Subdiacono transferente ca-

licem ad credentiam, quod notatur a curatore III^{ae} editionis (Martinucci-Menghini, vol. II, pag. 84, nota ad n. 376).

Ad num. 19 legitur: « ...il celebrante va per la sua sinistra a dire l'ultimo evangelo (segna sè, ma non l'altare) ». Plurimi auctores autumant, altare ad initium s. evangelii non esse signandum, sed tantum tabellam vel librum quia id praescribit rubrica missalis feria V in coena Domini. Martinucci merito dicit altare ipsum signari posse « quia cum ss. Sacramentum non in mensa, sed extra ipsam expositum est, nempe in throno, non videtur in tali circumstantia habere locum id, quod praescribit rubrica missalis et caeremonialis episcoporum pro feria V in coena Domini ».

Hisce adnotatis, nil aliud nobis restat nisi consilium unum bibliopolis commendare. Cum opus aliquod in commercium emittere cupiunt, primum iudicium rectum prudentiusque a peritis expetant, ne in errorem simplices inducantur falsis cum commendationibus, sicut et in citato libello *Il Nuovo Baldeschi*, in quo legitur: *Terza edizione corretta a norma delle ultime disposizioni della S. C. de' Riti* (!).

Consuetudines in functionibus liturgicis

(Continuatio, V. n. 11 curr. anni, pagg. 655-673).

Quaer. Possuntne fideles in processione Corporis Christi postquam clerus liturgico idiomate hymnos et psalmos cantaverit, laudes Sacramenti lingua vernacula canere?

Resp. Affirmative. Ratio est, quia si in actibus liturgicis maioris gravitatis, uti ex. gr. in missa privata, et etiam coram Sacramento pro benedictione solemniter exposito, preces vernaculo idiomate, atque cantus populo permittuntur (Cfr. decr. 3975 ad 5), ratio non est, ob quam eadem dicenda sint eidem populo prohibita in processione Corporis Christi. Clerus enim suo munere fungitur, legemque adimplet linguam liturgicam adhibens in iis omnibus, quae rituale praescribit. Est autem praeter legem, si populus vulgari sua lingua utatur, per quam laetiori corde, quippe qui quod canit intelligit, almum Sacramentum orat et laudat. Nulla namque, quantum scimus, lex, nullumque S. R. Congregationis decretum id prohibet, saltem ita explicite ut eiusmodi preces et cantus vetiti sint dicendi, quos consuetudo ipsa cohonestat. Ut verum nihilominus fateamur cl. De Herdt ad rem habet: « Prohibitum etiam est cantare laudes, cantilenas, cantiones vel alia in lingua vulgari... exposito ss. Sacramento, aut in in eiusdem processione » (*Praxis liturgica*). Dicta autem comprobat decretis pluribus, quae ad calcem paginae citat *pars 1, n. 112* editio nona. Verumtamen omnia ac singula citata decreta quaesivimus, legimus, consideravimus; et vidimus, ne unum quidem ex iis, saltem explicite, preces et cantus,

vulgari idiomate, prohibere fidelibus in processione Corporis Christi. Ultimum solum ex dictis decretis in nona editione contentis ad rem generaliter faceret, ait enim: « Cantica in vernaculo idiomate in functionibus et officiis liturgicis non esse toleranda, sed omnino prohibenda » (*Praefecturae Apost. de Madagascar,* 21 iun. 1879, ad 1). Cum nihilominus post Ordinationem pro musica sacra, anno 1894 edita, n. 3830, et praesertim post Motu proprio Pii Pp. X, anno 1903, n. 4121, merito revocata fuerint omnia decreta praecedentia aliquid in oppositum disponentia, decreto allegato nec non aliis posterioribus sub numeris 3827[1] et 3830, VII, 1, 7, in editione decima contentis, impraesenti abstrahere licet, non enim amplius obligationem pariunt. Opponi fortasse posset, Ordinationem pro musica sacra perspicue cantus in lingua vulgari prohibere in functionibus stricte liturgicis solemnioribus, inter quas videtur adnumeranda processio Corporis Christi. Sed respondemus, pro dictis functionibus nonnisi missam in cantu intelligi, et solemnes vesperas in casu. In his ergo unum permittitur idioma, ritus proprium, quod liturgicum est, seu latinum, et sapienter. Nom enim fas est linguam aliam liturgicae miscere, cum non tantum liturgica est functio, sed etiam solemniter persolvitur. Praeterea eiusmodi actus proprios possident latinos textus, ut nec iis alii extranei suffici, nec iisdem commisceri debeant. Hinc patet cantus vulgari lingua non esse, si severe loquamur, prohibitos tantummodo in solemnibus functionibus liturgicis vi Ordinationis pro musica sacra, sed etiam ex natura rei; quia scilicet, missa cantanda est ad normam iuris. Quodnam autem ius? Ins s. Pii V in sua constitutione *Quo primum* missali praemissa: « Mandantes ac districte... praecipientes... ut ceteris omnibus rationibus et ritibus... penitus omissis ac plane reiectis, missam iuxta *ritum, modum ac normam,* quae per missale hoc a nobis traditur, decantent et legant ». His autem verbis, saltem quod missam cantatam attinet, eadem semper hucusque, seu ex bullis pontificiis, seu ex decretis S. R. Congregationis in-

terpretatio data est: ut videlicet alia praeter latinam linguam pro cantu liturgico non sit permissa.

Ordinatio de qua supra, a Leone Pp. XIII, n. 3830, edita pro musica sacra videtur respicere tantum Italiam pro qua peculiariter lata erat; sed quod attinet septimum octavumque articulum eiusdem, et Motu proprium Pii Pp. X nemo non videt quod respicit et universas ecclesias, quae ad legem tenentur in bulla s. Pii V contentas in aliisque pontificiis constitutionibus, imo, quasi addere velimus, in ipsa natura functionis liturgicae solemnioris, qualis est missa solemnis vel cum cantu. Et profecto ulla sine difficultate, ecclesiae omnes grato accipiunt animo dispositionem articuli octavi, quae explicite permittit in missis lectis aliam linguam in cantu fidelium, illique se conformat. Sed ad quaesitum nostrum revertamur. Propositum fuit S. R. Cong. in una *Parisien.*, num in festo Corporis Christi ante et post processionem ss. Sacramenti et dum sacra communio distribuitur per notabile tempus liceat aliquid canere lingua vernacula; et responsum fuit: *Negative* ad utrumque (die 14 ian. 1898, n. 3975 ad V). Ergo videtur in processione Sacramenti lingua vernacula canere non licere. Profecto rituale romanum explicite notat, quae in dicta processione canenda sunt, uti *Sacris solemniis*; *Salutis humanae sator*; *Te Deum; Benedictus,* aliosque hymnos vel cantica (*Tit. IX, cap. 5, n. 4*), qui in eo inscribuntur. Hos autem fini processionis, laudi, nempe almi Sacramenti, vel maxime respondere latere neminem potest. Non satis autem intelligeretur, qua de causa a praescriptis modulandis recedi possit, ut alia concinantur ad cleri libitum. Servandum ergo est in casu rituale romanum nec non decretum *Parisien.* illius dispositionem confirmans.

Verum inquiri hic potest: Clerum ne tantum afficit decreti lex, ut ritualis, an etiam fideles qui Sacramentum in processione comitantur? Quantum videmus, clerum tantum non vero populum. Namque arbitramur, decretum inhaerere voluisse rituali romano: hoc autem clerum praecipue respi

cit, non vero fideles, nisi cum aliqua latitudine. Revera codex ait: « *Omnes praecedunt* (de choro intellige, quia populus de more sequitur) *nudo capite, accensos cereos gestantes* (fideles non gestant de more cereos) *et sequentes hymnos... concinentes* » (*Loco cit.*). Ecquis ceterum posset fideles obligare ad praefatos concinendos hymnos, quos, vix aliquibus exceptis, prorsus nesciunt? Iam nunc putasne teneri fideles tamquam mutos se gerere in dicta processione? Admittere id quis posset? Poterunt ergo aliquas recitare preces, aliqua etiam cantica, si probe sciant, lingua vernacula recitare vel cantare sub directione tamen cleri et cum dependentia ab illo, seu quod attinet cantiones modulandas, seu quod modum tempusque spectat. Haec quoque praxis devoti populi, quam in nostra peninsula pluries conspeximus, ut clerus praescriptos hymnos concinat, populus devote respondeat aliqua intermiscendo vernacula lingua, puta recitans: *Sia lodato e ringraziato ogni momento il ss.mo e divinissimo Sacramento,* vel: *Vi adoro ogni momento, o vivo pan del ciel, gran Sacramento,* vel quid aliud simile. Cum itaque legi haec praxis non adversetur, devotionem aliunde populi foveat, et laudabili consuetudine sit firmata, iure credimus, fideles posse aliquid recitare in processione Sacramenti vel cantare, dummodo a clero in omnibus dependeant.

Quid ergo dicendum de aliis liturgicis processionibus, idem ne licebit? Indubie reponimus, et a fortiori, ob eadem superallata momenta, quae pro casu magis magisque militant, ut patet. Vix nihilominus innuendum, preces et cantica, quae in ore fidelium esse possunt in omnibus, recognoscenda examinanda et probanda esse a locorum Ordinariis, uti de more est. Aliter permitti non debent, quia etiam in nova constitutione de prohibitione et censura librorum inclusi apparent: « Libros aut libellos precum, devotionis vel doctrinae, institutionisque religiosae, moralis, asceticae, mysticae, aliosque huiusmodi, quamvis ad fovendam populi christiani pietatem conducere videantur, nemo praeter legitimae auctoritatis licentiam publicet: secus prohibiti habeantur » (*Officiorum ac*

munerum VIII calend. febr. 1897). Id quidem, nisi iam a S. R. Congregatione approbationem habuerint.

Quaer. Cum quidam episcopus in usum revocaverit tertium cereum in missa, iuxta rubricam missalis (*Rubr. gen. Tit. XX*), docent aliqui, illum esse adhibendum non solum in missis, in quibus duae de more candelae accenduntur, sed etiam in aliis, in quibus quacumque de ratione accenduntur plures. Imo nec solemniorem missam excipiunt, in qua etiam eundem tertium cereum adhibendum esse contendunt, quod alii probare non valent. Quid de tertii cerei accensione iudicandum, ut in casu?

Resp. Iuvet in primis missalis rubricam hoc super negotio referre, quae sequens est: « Ab eadem parte epistolae paretur cereus ad elevationem Sacramenti accendendus » (*Rubr. gen. Tit. XX*), quem paulo ante elevationem a ministro missae accendendum, et post sumptionem Sanguinis extinguendum, alia rubrica declarat (Rit. celebr. missae Tit. VIII, n. 6).

Nunc autem refert casus, episcopum in usum revocasse tertium cereum; quod supponit, rubricam hanc in desuetudinem abiisse. Cl. De Herdt asserit: « Ut communiter dicitur, nulla huius (*cerei*) est obligatio, et haec rubrica non est praeceptiva, sed directiva tantum » (*Prax. Liturg. pars 1, n. 185, not.*). Super quo animadvertimus, primam propositionem esse veritati conformem; et impraesenti dicti cerei accendendi non dari obligationem. At falsitate laborans dicenda est altera propositio de hac rubrica directiva tantum, non praeceptiva. Si enim etiam rubricae modum adhibentes imperativum dici directivae possent, de omnibus rubricis actum esset; et praeceptivum non a lege ipsa, et a voluntate legislatoris dependeret, sed unice ab hominum placito, quod admitti nec potest, nec debet. Id quidem, abstractione facta a quaestione de praeceptivis et directivis, seu nulla ratione obligantibus *per se* rubricis. Haec ergo lex non obligat impraesenti, sicut leges aliae obligationem amplius non inducunt, quae per consuetudinem contrariam abrogatae sunt, quamvis

per se praeceptivae sint. Quare S. R. C. ad dubium: « Utrum servari possit consuetudo non accendendi tertium cereum in missis lectis a consecratione ad consummationem? » Respondit « Affirmative » (9 iun. 1899, n. 4029[2]). Consequenter obligatio cerei huius accendendi cessavit, non vi rubricae, quatenus directivae, sed vi consuetudinis contrariae, quae auctoritate vidente et silente inducta est. Nisi clarus auctor dicere voluerit, eiusmodi rubricam quamvis per se praeceptivam, veluti directivam nunc considerari posse, quatenus obligationem non inducit, quod concedi potest. Ex quo sequitur, resumpta iterum consuetudine accendendi cerei, sicuti ceterae, ita et haec rubrica servanda est, per se enim praeceptiva est. Et sane, S. R. C. ad dubium: « Num Ordinarius praecipere possit ut sacerdotes, tam saeculares quam regulares, in missis lectis tertium cereum accendant in Canone apud eam dioecesim, ubi sicuti in universa regione mos illum accendendi in oblivionem ac desuetudinem iamdudum abierit? ». Respondit: « Affirmative, ex rubrica generalis missalis, tit. XX, et accedente auctoritate Ordinarii, non obstat decretum n. 4029, resolutionis dubiorum, 9 iunii 1899, ad II » (D. 4141[6]).

Sed nonnulli docent, ait quaestiuncula, hunc cereum semper in missa privata accendendum, etsi alia lumina, praeter duo consueta, adhibeantur; imo etiam in missis cum cantu et solemnioribus, illum accendendum esse.

Ad primum quod attinet, ancipites haeremus. Primo, quia rubrica missalis non supponit necessario duo tantum in missa privata lumina, cum dicat tantum, non minus esse accendenda quam duo. Possent ergo (vi tantum rubricae) plura lumina accendi, praeter duo; et nihilominus alium cereum rubrica exigit ad elevationem accendendum. Quamvis ergo plures candelae in missa privata accendantur, servanda quoque videtur rubrica de hoc alio cereo. Insuper, si audiamus Quarti (*Pars 1, tit. XX, Explic. litt., n. tert.*), cereus iste ad elevationem accendendus est, *ut detur circumstantibus signum adorationis*. Quod ab omnibus confirmatur optimae notae

auctoribus, quales sunt, Gavantus, Catalanus, Bissus, Bauldry, etc. Imo alius non videtur esse posse finis ipsius legis. Cum ergo, sive duo, sive plura adhibeantur lumina in missa privata, finis rubricae huius non obtineatur, nisi cum alio cereo; semper in omnibus missis privatis videtur accendendus. At ex opposito, ecclesiae, in quibus semper consuetudo viguit huius cerei accendendi, ita se gesserunt, ut numquam illum accenderint quando alia, praeter duo, in missa privata lumina adhibeantur. Praeterea huiusmodi cereus non solum significat adesse Sacramentum in altari, sed accenditur etiam in eiusdem Sacramenti honorem. Quid ergo censendum? Respondemus, cum de rubrica agatur quae impraesenti non obligat, aliunde qui eam observarunt, ita semper intellexerunt, ut tunc tantum hunc cereum accenderint, cum duo lumina adhibebant, laude dignos iudicabimus, qui semper eum indiscriminatim accenderent, sed censura notare eos profecto non audebimus, qui laudabilem hucusque servatam retinent consuetudinem cereum accendendi in solis missis privatis cum duobus luminibus, et eos pariter, qui eidem consuetudini se conformant. Haec quidem, usquedum S. R. Tribunali aliquid in contrarium decernere placuerit.

Ad alterum quod attinet, reponimus, hunc cereum in missis cum cantu et a fortiori in solemnibus, nullo pacto accendendum. Illi enim cereo in missis solemnibus rubrica duo intorticia subrogat, ait enim: « Ad finem praefationis accenduntur duo saltem intorticia ab acolythis, quae extinguuntur post elevationem calicis, nisi aliqui sint communicandi, et hunc extinguuntur post communionem » (*Rit. celebr. Miss. tit. VIII, n. 8*). Habetur ergo per haec intorticia adorationis signum: plura quoque quam duo habentur lumina, cum de missa solemni agatur; ergo tacente lege, in missis solemnibus locum habere non debet alius cereus.

Quaer. Benedictione cum ss. Sacramento impertita, celebrans velum humerale deponerene debet stans in suppedaneo, vel postquam redierit in planum? (1).

(1) Aliquae ex hisce propositis quaestionibus in nostris Ephemeridibus alias pertractatae fuerunt; nobis autem quum ipsis aliqua

Resp. Fatendum, consuetudinem circa hunc ritum non esse in omnibus ecclesiis, etiam Urbis, uniformem, et hoc propter non explicitam Missalis declarationem, nec non Caeremonialis episcoporum, Ritualis Romani et instructionis XL horarum. Nobis tamen videtur deponendum esse omnino velum humerale non in suppedaneo, sed potius cum celebrans revertitur in planum; et perspicue probatur 1) ex Memoriali Rituum, ab ipsa Sacra Rituum Congregatione iussu Benedicti XIII edito; 2) ex commentariis ad instructionem Clementis XI pro expositione ss. Sacramenti in forma XL horarum; 3) ex auctoritate omnium fere auctorum antiquorum recentiorumque.

Ex Memoriali Rituum. Feria V in coena Domini, cum de processione ad sacellum loquitur, legitur: « Celebrans ascendit altare; genuflectit, descendit primum gradum, et genuflexus in suppedaneo deponit velum humerale, et surgens imponit iterum thus in thuribulo etc. ». Ex quibus verbis liquido patet, velum deponendum esse post descensionem. Nihil autem refert, in casu, quod verba Memorialis de descensione super primum non vero infimum gradum loquantur, quia attendendum est ad specialem huiusmodi functionem structuram seu processum, in quibus celebrans non auxilio sacrorum ministrorum, sed a semetipso omnibus fungi tenetur.

Similiter, feria VI in parasceve, celebrans regressus ad altare cum ss. Sacramento, iuxta Memoriale « ascendit altare et calicem ponit super corporali; deinde genuflectit, surgit, et descendit primum gradum altaris, deponit velum, et stans imponit incensum ».

Ex Commentariis ad Instructionem Clementinam (in IV volumine decretorum authenticorum contentis). Pagina 86, habetur ex Catalano: « Adorato tantisper Sacramento epi-

---

mutatio, correctio aut additamentum sufficere visum fuerit, denuo super easdem manus ponere non dubitavimus, praesertim ut novorum subscriptorum desiderio satis faceremus.

scopus, deposito velo, genuflectet super pulvino in infimo gradu altaris; idest, descendet e supremo gradu ad infimum eius gradum; et remoto ab eo velo humerali per caeremoniarium, genuflectet super pulvino in infimo gradu altaris ». — Pagina sequenti refertur sententia P. Merati, ex parte IV, tit. 12, n. 27 desumpta, quae ita se habet: « Celebrans, adorato ss. Sacramento, ut supra, descendit ad infimum altaris gradum cum subdiacono; et remoto ab eo velo humerali per caeremoniarium, genuflectit in eodem infimo gradu ». — Similiter pagina 114 n. 13, legitur: « Celebrans, data benedictione, ita collocat super corporale Sacramentum, ut crucifixi imago populum respiciat; et deinde, facta prius genuflexione, descendit cum subdiacono ad infimum altaris gradum, ubi genuflexi ambo manent, amoto interim velo a celebrantis humeris a subdiacono, vel, ut alii malunt, a caeremoniario ».

Ex auctoribus, qui de hac re fusius conscripserunt. Clarissimus Martinucci (*Manuale Sacr. Caerem.* lib. II, c. VI, articul. XXIII, n. 99): « Quum descenderint ante altare, genuflectent in infimo gradu, Subdiaconus expediet velum humerale ac detrahet ex humeris celebrantis ». Cl. De Herdt (*Prax. Pontif.* lib. 2, n. 234): « Benedictione data, ipsemet episcopus ostensorium super altare deponit, genuflectit unico genu, descendit, velum deponit et genuflectit ». — Et alibi (n. 243): « Quo facto, ipsemet ostensorium super altare deponit, genuflectit, descendit, genuflectit et velum deponit ». Non aliter cl. Van der Stappen loquitur (*Sacr. Liturg.* tom. IV, q. 184): « Data benedictione, celebrans, conversus ad altare deponit ostensorium super corporale, genuflectit, descendit, et genuflexus in infimo gradu, deponit velum humerale ». — Et alibi: « Data benedictione celebrans, conversus ad altare, deponit ostensorium super corporale et genuflectit; cum eo assurgit subdiaconus, et ambo descendunt manibus iunctis, recedentes paulum a parte evangelii; genuflexi in infimo gradu, celebrans deponit velum humerale. — Non dissimilis est cl. De Carpo sententia (*Caerem. par.* III, c. VII, n. 88)

« Celebrans calicem in medio altaris super corporale collocat, facta deinceps genuflexione, in planum descendit, et in infimo gradu genuflexus, velum humerale exuit ». Et (cap. XIV, n. 192): « Celebrans, impertita benedictione, ostensorium super altare collocat uti prius, et facta genuflexione, descendit cum sacris ministris ante infimum altaris gradum, super quem genuflectit cum eis, et ab eius humeris velum amovetur oblongum ». Et (n. 197): « Interim celebrans una cum subdiacono in planum descendit (si ante supremum gradum conscenderit), et flexis genibus in infimo altaris gradu velum humerale deponit ». Similiter cl. Piller (*Manuale Liturgiae Romanae*): « Celebrans ostensorium accipit illudque, data benedictione, super altare deponit, et facta genuflexione, descendit in planum, et super infimum gradum genuflexus, velum dimittit ». Et ipse in nota: « Deinde, dum officians descendit ad infimum gradum altaris, et velum reddit ». In Caeremoniali Romano-Seraphico, edito cum S. R. C. nis approbatione 12 aug. 1908: « Celebrans cum subdiacono aliquantulum per latus evangelii, diaconus autem parum per latus epistolae in planum descendunt, et in infimo gradu iterum genuflectunt, quin caput inclinent, et celebrans velum humerale dimittit ».

(Continuabitur).

Quaestiones Liturgicae.

An ad Offertorium in Missa solemni Diaconus Calicem accipere debeat de manu Subdiaconi, postquam hic eum deposuerit supra Altare in cornu epistolae.

Resp. In meo opere, cui titulus « *S. Liturgiae Promptuarium* », P. I, Cap. XI, n. 290, 5, p. 331, sequentia habentur: « Ministri sacri sub *Dominus vobiscum* stant a tergo Celebrantis, et cantato ab eodem *Oremus,* mox Diaconus sine genuflexione ad dexteram eiusdem ascendit, removet Calicem e medio Altaris, si iam esset super eo, vel si Subdiaconus illum afferat (quod melius est), ab illo removet partem veli humeralis Subdiaconi, *postquam hic Calicem in cornu Epistolae deposuerit* ». Fontes pro hac sententia ibi allatae, sunt sequentes: « Cf. Rubr. Missal. P. 2, tit. 7, n. 9, Caeremon. Episc. l. 2, c. 8, n. 60, et Schober *Caeremon. Missar. Solemn. et pontifical.*, c. 11, n. 2, adn. 10 ».

Cl. Dr. Th. Van Openraaij, in periodico Neerlandico « *De Katholicke Stemmen* » anni currentis, opinatur meam opinionem esse erroneam, utpote contra Rubricam Missalis (loc. cit.) et praetendit a Diacono Calicem accipiendum esse de manu Subdiaconi, antequam hic calix supra Altare sit positus.

Ut haec quaestio magis dilucidetur, veritatis causa eam hic penitius examinare non inopportunum iudicavi.

Porro Rubrica Missalis (P. II, tit. VII, n. 9) haec habet: « In Missa solemni dicto *Oremus,* Diaconus et Subdiaconus accendunt ad Altare in cornu Epistolae; Diaconus amovet Calicem, si est in Altari, vel si est in credentia, ut magis decet, accipit eum de manu Subdiaconi, qui illum cum Pa-

tena et hostia coopertum palla, et velo sibi pendente manu sinistra tenens, et alteram manum superponens velo, ne aliquid decidat, de credentia detulit... ».

Uti patet, dicta Rubrica etiam in eo sensu intelligi potest, quod Diaconus Calicem accipere debeat de manu Subdiaconi, postquam hic eum super Altare in cornu Epistolae deposuerit. In eodem sensu accipienda est Rubrica Caeremonialis Episc., lib. I, cap. 10, n. 5, quae ita se habet:

« Postquam vero Episcopus lavit manus post Offertorium, ipse (*Subdiaconus*) accedit ad abacum, et extenso sibi, adiuvantibus Acolythis, circa humeros velo serico, quo Calix, Patena, et alia super dicta mensa cooperiebantur, ita ut a latere dextero longius pendeat, accipit manu sinistra Calicem cum Patena et hostiis palla tectis, eaque omnia longiori illa parte veli cooperit, altera manu super ea apposita, caute advertens, ne aliquid forte decidat, et accedit ad cornu Epistolae Altaris, eodem tempore quo Episcopus illuc pervenerit; eaque omnia, remoto velo, dat in manibus Diaconi...».

Quod autem praefatae Rubricae in hoc sensu (nimirum *quod Diaconus Calicem accipere debeat de manu Subdiaconi, postquam hic eum super Altare in cornu Epistolae deposuerit*) accipiendae sint, hoc clare patet ex altera Rubrica Caeremonialis Episc. (lib. II, cap. 8, n. 60), ubi dicitur: « Subdiaconus... accedit ad abacum, ubi velum illud sericeum, quo Calix, Patena et alia super ipsa mensa cooperiebantur, circumcirca super humeros accipit, adiuvantibus Acolythis, ita ut longius pendeat a parte dextera: deinde capit manu sinistra Calicem cum Patena... ac dictam partem longiorem veli super ea extendat, dexteramque super ipsum velum et Calicem leviter apponit, ne aliquid decidat, et sic ad Altare procedit..., *ubi Subdiaconus Calicem cum Patena ponit in cornu Epistolae*, remoto velo ».

Ergo iuxta hanc Rubricam Subdiaconus, et non Diaconus, ponit Calicem super Altare in cornu Epistolae, et consequenter ibi Diaconus Calicem accipit de manu Subdiaconi.

Videamus nunc, quomodo Rubricistae melioris notae dictam Rubricam tum Missalis tum Caeremonialis Episc. interpretati fuerint.

a) Primo examinemus, quid cl. G. Schober (quem ego quoque allegavi in supra memorato loco operis mei) circa eas Rubricas dicat. Hic egregius Rubricista in opere suo « *Caeremoniae Missar. solemn. et pontific.* », edit. 2, Art. I, Cap. XI, n. 2, ad n. 10, sequentia habet: « Iuxta Rubricam Missalis P. II, tit. 7, n. 9 et Caerem. Episc. lib. I, cap. 10, n. 5, Diaconus Calicem accipere debet de manibus Subdiaconi, dum Caeremoniale Episc. lib. II, cap. 8, n. 60, praescribit, ut Subdiaconus Calicem cum Patena ponat in cornu Epistolae. Sed utraque Rubrica inter se bene coniungi potest; nam, postquam Subdiaconus Calicem in cornu Epistolae deposuerit, Diaconus eumdem ex manibus Subdiaconi accipere debet. Hoc modo periculum quoque evitatur ut aliquid decidat, dum ratio timendi non abest, si e manibus Subdiaconi Calicem in aëre tenentis Diaconus eumdem accipiat. Quare etiam Meratus l. c. (scil. P. II, tit. 7, n. 9), n. 52 (1) et Martinucci lib. I, cap. 13, n. 60 (2), volunt, ut Subdiaconus Calicem prius super Altare deponat ».

b) Item Ios. Catalanus (in suo Comment. super Caeremon. Episc., lib. II, cap. VIII, § LX, n. 1) sequentia dicit: « Advertere autem Subdiaconus et ipse Acolythus debent, « ut eodem tempore cum Episcopo ad Altare perveniant: *ubi Subdiaconus Calicem cum Patena ponit in cornu Epistolae*, remoto velo »; nempe omnia illa remoto velo dat in manibus Diaconi, uti loco citato lib. I editur... ».

c) Similiter Ill.mus et R.mus Dom. I. F. Van der Stappen, Tom. V, *Caeremoniale*, edit. 2, *de Officio Subdiaconi,*

(1) In hoc loco Meratus dicit: « Subdiaconus cum pervenerit ad Altare, deponit super illud Calicem; tum Diaconus stans in eodem cornu Epistolae, removet a Calice partem longiorem veli pendentis ab humeris ipsius Subdiaconi ».

(2) In III[a] editione (lib. I, tit. II, cap. I, art. VII, n. 66) Martinucci sequentia habet: « Quum Subdiaconus afferens Calicem venerit ad Altare, et eum porriget super Altari ipso, Diaconus Calicem deteget veli humeralis extremitate, qua erit contectus, et acceptum super mensam deponet ».

n. 25, p. 110, haec habet: « Deinde Subdiaconus directe tendit a credentia ad Altare, ascendens a latere Epistolae. Quo cum advenit, consistit in suppedaneo ad dexteram Diaconi, *et Calicem super Altare deponit,* postquam Diaconus amovit e Calice extremitatem veli ».

d) Eodem modo loquuntur sequentes cl. Rubricistae: D. Petrus Maria De Amicis (in suo opere *Il Ceremoniale completo,* vol. II, P. IV, cap. II, art. V, n. 21, ediz. 1903); Ios. Baldeschi (*Cérémonial,* traduit de l'Italien par M. l'Abbé Favrel, édit. 1852, P. II, tit. II, chap. VI, n. 24), et D. Ios. Erker (*Enchiridion Liturgicum,* edit. 2, sect. III, Tract. I. cap. III, n. 86, 1); aliique.

Ex omnibus praedictis abunde liquet opinionem a me in supra citato opere admissam esse revera optime fundatam, eique contrariam, utpote nullo solido fundamento nixam, uti erroneam esse tenendam.

P. Victorius ab Appeltern, O. M. Cap.

Consultationes.

Pro Derthona. — In fasciculo februarii 1914, *Ephemerides Liturgicae,* fol. 126, VI, de octavis duplicium 2, cl. ad 5[um], an addi debeat in Missa octavae *Credo,* responsum fuit *affirmative,* si festum *Credo* gaudeat: in fasciculo novembris, fol. 684-85, de eadem re: *negative;* in fasciculo octobris 1915, pag. 624, de eadem re, iterum: *negative.* Quid ad rem?

Resp. Repetere cogimur, quod pluries iam diximus: *Ephemerides* solvunt quaestiones, non auctoritative, sed ex argumentis; hinc, tantum valent responsa, quantum adductae rationes; si vero rationes non adducuntur, erit mera opinio solutoris. In casu ergo, cum argumentum, primo citato loco *Ephemeridum,* sit: addendum est *Credo,* dummodo symbolum non sit contra naturam Missae, videatur utrum bene applicetur casui de die octava simplici. Solutori eius temporis visum est symbolum non esse contra naturam simplicis; nobis autem, loco secundo citato, visum est esse contra naturam simplicis, et confortavimus argumentum ex Missa simplicis S. Mariae in Sabbato, in qua non additur *Credo.* Similiter quaestionem solvimus mense octobri, confortantes argumentum ex decreto 4192. Iudicent nunc Lectores.

BREVIORA RESPONSA

Pro conventu S. P. — I. Quaeritur an legi conformes sint sequentes normae, et quatenus negative qua ratione immutandae?

1° Die 25 aprilis, F. 3 Paschae, etc. — Post Nonam (aut ante Primam ob commoditatem populi et Religiosorum), non omissa post Tertiam Missa Convent. in qua non fit com. Rogat., fit Processio Litaniarum etc. Et sic diebus 29, 30, 31 maii. — Cum

ad caput viarum determinatum pervenitur, interceptis Litaniis, ter a Celebrante cantatur ℣. *A fulgure etc.*, deinde Evang., ℣℣. et Oratt. consuetae etc.

2° Die 2 iunii, Infra Oct. Ascensionis. — *Alb.* F. 6. *B. Baptistae Varani V.* 2 O. *d.* II. 1 n. F., 2 pr., 3 de 1 l., 9 l. Ss. Marcellini, Petri atque Erasmi Mm., com. Oct. et Ss. Mm. - In Ms. *Dilexisti*, om. Coll. per Oct., Cr. etc. - *Loco Vot. Solemn. et priv. S. C. I. dici potest Ms. de Oct. Ascens. ut in festo cum* Gl. *2 Or. festi, 3 Ss. Mm.*, Cr., *etc.*

Resp. 1° Servari potest consuetudo, iuxta decretum S. R. C., n. 2424, II, quo declaratur, in Rogationum processionibus in ecclesiis, quas illae per vias ingrediuntur, fieri posse commemorationes pro defunctis in adimplementum legatorum, et a fortiori, in casu nostro, quo non agitur de precibus pro privatis personis.

2° Hanc sententiam alias et nos manifestavimus, innixi decreto S. R. C., *Lauretana*, 17 maii 1912 (v. Menghini, Collect. decretor. S. R. C. post an. 1911, pag. 45), imo, cum Missa de die in casu suppleat votivam adinstar solemnis, etiamsi tantum legatur, omnes characteres illius induere debet; ita ut cum unica oratione Missa de Ascensione sit dicenda. — Ne aequivocatio oriatur, non videtur opportuna locutio: « solemnis et privatae », quia una est Missa quae permittitur, et quidem ad instar solemnis, etiamsi dicatur lecta.

II. Quaeritur an legitima sit hac interpretatio: Missae pro externa solemnitate videntur posse celebrari: 1° si Rubrica novissima, Tit. X, n. 3: « Si alicubi aliquod festum impeditum a Dominica minore », ita intelligatur, ut vox *impeditum* significet *accidentaliter*, vel *perpetuo*.

2° Si in decreto n. 142, II (Caerem. Romano-Seraph. pag. 304, nota 3), pro « Sancto in Martyrologio relato » intelligatur Sanctus canonizatus, de quo celebrantur etiam plura festa, inscriptus in Martyrologio etiamsi tantum pro aliquibus locis, quamvis hodie in novissimis editionibus haec appendix amplius non publicetur.

Resp. 1° Negative; quomodo enim fieri potest ut festum impediatur perpetuo a Dominica minore, data nova lege, qua nullum festum iam affigi Dominicae potest? Forsan ex decreto S. R. C. 16 aprilis 1912, V, quo festa ad instar simplicis redacta possunt ex voto del concursu populi recoli in Dominica minore cum omnibus Missis, una excepta? Sed dubitamus an post revisionem Kalendariorum et Propriorum apud S. R. C. aliqua festa sic redacta

adhuc permaneant. Si tamen hoc accidit, utatur quisque iure suo. Notetur demum, ex citato decreto, festa olim ita affixa, sed nunc abolita, nullo eiusmodi gaudere privilegio.

2° Inscripto in Martyrologio debet, ita generaliter accipi, ut, non materialiter, sed formaliter habeatur; id est oportet ut ecclesia, dioecesis, institutum legitime gaudeant iure Sanctum illum recolendi. Unde si agatur de festis abolitis vel numquam celebratis, nullum soffragatur ius, quoad solemnitatem hoc modo acceptam.

III. Quaeritur an quid videatur censura dignum in sequentibus adnotationibus:

1° Die 2 Nov. — Si tres Mss. celebrentur in Choro, Iª ut in Anniversario post Laudes (et terminari debet saltem apud nos hora 3,15), aut ante Primam; IIª ut in quotidianis post Primam; IIIª ut in Comm. Oo. Fidel. Deff. post Non., deinde fiunt Absolutiones de more.

2° Die 25 Dec. — Nativitas etc. — ... In Matutino solemni ... potest cantari etiam Invit., Hymn., ll. 3 Noct., *Te Deum* tant., cetera recto tono persolvi. Intonato *Te Deum*, ex consuetudine, discooperitur Imago divini Infantis super mensam Altaris posita, et processionaliter defertur ad Praesepe, ubi iterum incensatur. Reversa deinde Processione ad Altare, et finito *Te Deum*, Celebrans dicit *D.nus vobiscum... Oremus etc.*

Resp. 1. Missas tres huius diei Officio chorali interponere, proprio marte, licitum non putamus. Quod prima Missa terminetur hora 3,15, absque indulto fieri nequit, cum aurora, in Europa centrali tunc sit hora 5,45. Ante Primam Missam choralem dicere regulare non esset, quia choralis Missa debet subsequi, non tantummodo praecedere aliquam horam canonicam. Supposita liceitate Missas tres in choro habendi, nescimus cur ordo earum invertatur; si enim singulae tres Missae sunt chorales non est necesse ut post Nonam dicatur de primo loco. Quoad Absolutiones, notamus anormalitatem, sive consuetudinis, sive locutionis, dum Absolutio unica debet esse post Missam.

2. Nihil dicendum putamus contra praxes descriptas, quia, 1° rectus tomus est reipsa cantus, semper enim dicitur cantari v. gr. epistola vel orationes feriales, quae nimirum canuntur recto tono; 2° nihil contra rubricas, qui ita se gerit, molitur, sed praeter eas agit, quod in casu condemnandum non videtur.

BIBLIOGRAPHIA

Dr. Ioannes B. M. Menghini, ab apostolicis Caeremoniis – Ss. Rom. Congregationum Consultor et Officialis – Academiae Lit. Rom. Secretarius.

" ***Manuale SS. Caeremoniarum*** „ R. P. D. Pii Martinucci novo ordine digestum et auctum, 4 vol. in 8, L. 30.—

" ***Manuale Novissimo di SS. Ceremonie*** „ vol. I, « Il piccolo Ministro del Santuario », L. 2.—; vol. II, « Il sacro Ministro del Santuario », L. 2.50.

Ioanni Bapt. Menghini Caerem. pontif. Magistro

BENEDICTUS PP. XV. — Dilecte Fili, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Libenter abs te muneri accepimus tua de rebus liturgicis volumina quae proxime in lucem prodierunt. Atque est profecto cur tibi gratulemur; in primis quod Pii Martinucci « Manuale Caeremoniarum », opus merito quidem laudatum, retractaris diligenter et perfeceris. Non modo enim distributis novo ordine rebus perspicuitati servis, sed, bonis accessionibus, facis etiam, ut nihil hic desideretur, quod Sedes Apostolica recentius decreverit. Itaque cum probabilem peritis te posuisse operam, tum valde opportunam et clero perutilem putamus.

Neque minus probandi sunt libri, tuo proprio compositi ingenio; in quibus vel tradens « elementa iuris liturgici », vel « de cultu et adoratione SS. Sacramenti » tractans, vel sacrorum et ministros et alumnos in Ecclesiae Caeremoniis erudiens, vel Apostolica de sacris Ritibus Decreta interpretans, rectae doctrinae copiam dilucide planeque exponis. Quare sollertiam peritiamque tuam merita honestamus laude, bene precantes ut hi labores tui ad divini cultus prosint incrementum. Caelestium autem munerum auspicem ac benevolentiae Nostrae testem, Apostolicam Benedictionem, dilecte Fili, tibi amantissime impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die XXX novembris MCMXV, Pontificatus Nostri anno secundo.

Benedictus Pp. XV.

Index

Capitum et Articulorum cuiusque materiae huius XXVII Tomi

Decreta

SS. Romanarum Congregationum

E S. Rituum Congregatione.

Sagien. Dubia 3
De Collecta pro re gravi imperata 9
Romana. Dubia. 65
Verapolitana. Dubium . . 193
Decretum in *Lucionen*. . 263
Art. I. De commemorationibus in diebus Litaniarum sive in Missa de Rogationibus, sive in Missa de festo occurrente . . 265
Art. II. De commemorationibus in Missis votivis solemnibus de Epiphania et aliis, in Dominica infra octavam. 267
Dubium. De syllabis hypermetricis quoad cantum . 321
Decretum in *Lucionen*. Art. III. De commemoratione octavae in Missis privatis de festo occurrente aut de Dominica in supradictis diebus 324
Art. IV. De hora celebrandi Missas solemnes in Dominica infra octavam Epiphaniae 325
Art. V. De Titularibus Ecclesiarum 326
Decreta clerum militarem tempore belli respicientia 329
Decretum in *Lucionen*. Art. VI. De ritibus in Missa servandis 386
Art. VII. De Horis canonicis 392
Art. VIII. De Officio parvo B. M. V. 395
Dubia 514
Decretum de imaginibus Beatorum publicae venerationi expositis. . . . 515
Romana. De octava festi SS. Apostolorum Petri et Pauli 520
Decretum in *Lucionen*. Art. IX. De ritibus servandis in exponendo et reponendo SS. Sacramento et de veneratione ipsi exposito exhibenda 579
Art. X. De functionibus Pontificalibus 582
Decretum de precibus in fine Missae. 705
Decretum in *Lucionen*. Art. XI. De exequiis 707
Art. XII. Miscellanea . . 710

E S. Congregatione Concilii.

Papien. Circa Missam pro populo 22
Vercellen. Iuris funerandi . 523
Dubia circa trium Missarum celebrationem in die solemnis Commemorationis omnium fidelium defunctorum 641

E S. Congregatione Consistoriali.

Decretum. De vetilis nobilitatis familiaris titulis et signis in Episcoporum inscriptionibus et armis . 257
Decretum. De Ordinario Castrensi in Italia bello durante 335
Dubium. De competentia circa facultatem concedendi religiosis paroecias saeculares 521

E S. Congregatione S Officii.

Decretum. Solvuntur quaedam dubia circa facultates et privilegia secr tariorum Piorum Operu. Propagationis Fidei, S. Francisci Salesii et S. Infantiae 523
Solvuntur quaedam dubia circa indulgentias Apostolatus Orationis adnexas 524
Decretum quo confirmatur decretum S. C. Indulg. diei XII martii 1855 circa privilegii Altaris applicationem . . . . . , . 525
Conceditur facultas Sacerdotibus operam suam militibus impendentibus, benedicendi numismata S. Benedicti. 526
Conceduntur indulgentiae recitantibus orationes quasdam pro pace . . . 527
Invocatio ad B. V. a SS. Rosario centum dierum indulgentia ditatur . . . 578
Decretum quo conceditur facultas applicandi Crucifixis indulgentias Viae Crucis in favorem militum, durante bello . . . 705

E S. C. Neg. Eccl. Extr.

De invocatione *Regina Pacis* in Litaniis Lauretanis 706

E S. Congregatione de disciplina Sacramentorum.

Decretum de sacra Communione et celebratione Missae in Castris 129
Meliten. Dubiorum circa Ordinariorum facultatem permittendi celebrationem Missae per modum actus 198
Facultas adservandi SS. Eucharistiam in stativis castrorum valetudinariis ac in bellicis navibus . . . 522

Acta S. Sedis.

Constitutio Apostolica de Sacro ter peragendo in die solemnis Commemorationis omnium fidelium defunctorum 449
Motu proprio SS. D. N. Benedicti Pp. XV. Quaenam indulgentiarum concessiones S. Congregationi S. Officii sint exhibendae 577

Acta Academiae Liturgicae Romanae.

I. De actionibus quae in ecclesiis permitti possunt . 28
II. De Missis votivis in Sanctuariis. 72
III. De repositione festorum quae perpetuo impediuntur 130
IV. De loco mulieribus ac puellis in functionibus liturgicis assignando . . 201
V. De Communionis distributione in triduo mortis Domini 271
VI. De Missa applicanda in die Commemorationis omnium defunctorum . . 350
VII. De Missa pro populo in festis cum feriatione sublata 402

VIII. De inclinationibus faciendis a celebrante et ministris 465
IX. De Titulari ecclesiae noviter eligendo. . . . 588
Animadversiones aliquae ad solutionem quaestionis liturgicae habitam in Academia Liturgica Romana, die 7 iulii 1915, in *Ephemerides Liturgicae* editam 650

Archaeologia liturgica.

De osculo pedum Romani Pontifici. Dissertatio . . 36
Art. I. 1° De osculis in genere et de osculo R. Pontificis in specie. 2° De huius obsequii fundamento scripturali. 3° De adoratione R. Pontifici exhibita 37
Continuatio 146
Art. II. 1° De origine et primo in Ecclesia usu osculandi pedes. 2° De osculi pedum frequentia in excipiendis et honorandis viris dignitate ecclesiastica vel sanctitate insignibus 225
Continuatio 285
Art. III. De tribus praecipuis solemnibus actionibus in quibus Pontifici Maximo pedes osculari consueverunt 354
Continuatio 409
Continuatio 467
Quaedam monumenta osculum pedis Romani Pontificis plenius illustrantia . 683
§ 1. De osculo pedum Christo et Apostolo Petro exhibito, prout in monumentis archaeologicis repraesentatur . . . . ibi
§ 2. De osculo pedis aeneae statuae S. Petri in Basilica Vaticana expositae . 687
§ 3. De Actis Sanctorum Martyrum in quibus osculum pedis, B. Pontifici exhibitum, memoratur . 716
§ 4. De formulis cum osculo pedum, in epitsolis ad R. P. 718

Consuetudines in functionibus liturgicis.

Pagg. 483 - 538 - 594 - 655 - 734

Consultationes liturgicae.

Ex O. in Hollandia . . . 43
De Dedicatione ecclesiae in Dominicis Quadragesimae, vel in festo Annunciationis B. Mariae aut S. Ioseph peracta . . . 95
De reverentia praestanda Cruci altaris a Celebrante, tum in accessu ad altare, tum in recessu ab eo. 155
De nonnullis evitandis in translatione SS. Sacramenti ab uno ad aliud altare. 157
De nomine Episcopi Dioecesani exprimendo a Regularibus exemptis in Precibus ferialibus 160
An Canonicus titularis, qui antea honorarius fuerat, si canonicatui renuntiat ius habeat retinendi insignia Canonici honorarii. 166
De commemoratione SS. Sacramenti; utrum excludat tertiam orationem in Missa semiduplicis, vel secus collectas imperatas. . . 169
De colorum diversitate in sacris paramentis, pro Missis duplicibus maioribus et minoribus ac semiduplicibus, occurrenti-

bus in feriis propriam Missam habentibus. . . 171
Unde sumendae sint lectiones III noct. per octavam cuiusdam S. Patroni . . 172
De quadam speciali structura cerei paschalis . . 174
De Sancto Patrono Collegii parochorum, an queat solemniter celebrari, ubi sub ritu tantum simplici describitur 176
Utrum in Dominica II, III et IV Quadragesimae cantari possit Missa de Sancto Titulari vel Patrono transferendo iuxta Missalis rubricam VI. . 238
De diebus quibus recitari potest Officium mortuorum 241
De commemoratione duplicis vel semiduplicis simplificati 244
De reverentia praestanda Cruci Altaris a Celebrante tum in accessu ad altare, tum in recessu ab eo. . 287
De facultate celebrandi Missas votivas a Rubricis Missalis concessa . . . 296
De reverentia praestanda a Celebrante Cruci Altaris tum in accessu ad altare tum in recessu ab eo. . 360
Qualis Missa dicenda est in die infra Octavam Communem, in qua simul occurrat Vigilia alicuius Apostoli. 363
De translatione accidentali duorum Officiorum, quorum unum pertinet ad Provinciam alicuius instituti religiosi, et alterum ad quemdam Conventum eiusdem Provinciae . . 365
De inclinatione mediocri corporis et profunda capitis 369
Utrum privilegium Octavae SS. Petri et Pauli, pro Urbe Roma concessum a Leone XIII, adhuc vigeat: utrum etiam Regulares, proprium calendarium habentes, eodem privilegio uti valeant: et an Octava ipsa nunc sit elevata ad III ordinem . . 415
De Dominica resumenda . 418
Quid sit tenendum de omissione inclinationis a Celebrante, vel loco inclinationis de genuflexione a Ministro Cruci in transitu praestanda, si altare maius nimis distat . . . 420
De reverentia Cruci altaris praestanda a Ministris . 424
Ex archidioecesi Taurinensi 500
E Thuscia. 553
Ex eodem loco . . . . . . ibi
E dioecesi Patavina . . . 555
E « Corps (Isère) » in Gallia. 556
E Dola in Gallia 617
E Conventu V. in Liguria. 619
E Gravina in Apulia. . . 624
De praestantia inter festum Circumcisionis Domini et SS. Nomen Iesu. . . . 690
De praestantia inter diem octavam Titularis, Dominicam minorem et Dedicationem Basilicarum SS. Apostolorum Petri et Pauli 691
De natalitio et translatione S. Remigii in Gallia, quoad Regulares proprium Kalendarium habentes . . 693
E Derthona 748

Breviora responsa.

Pro Austria 44
Pro loco N. 50
Pro Conventu N. . . . . ibi
Pro Gallaecia 51

Pro regione Neapolitana . 53
Pro Lyciensi dioecesi . . 111
Pro dioecesi Tridentina. . ibi
Pro Arborea. . . . . . ibi
Pro Placentia 112
Pro Lambach in Austria . ibi
Pro Odvorco in Austria . 114
Pro archidioecesi Lucana . ibi
Pro dioecesi Lauden. . . 116
Pro Civitate P. 178
Pro Gallia 179
Pro Urbe 181
Pro N. N. 182
Pro Gratianopoli 184
Pro Gallia. 186
Pro Lucana archidioecesi. ibi
Pro Salisburgo 187
Pro Arborea . . . . . . ibi
Pro Abula in Hispania . . 188
Pro dioecesi Buscoducensi. 247
Pro Austria . . . . . . ibi
Pro loco N. 249
Pro Hollandia 250
Pro Austria 252
Pro Mosa Traiecti in dioecesi Ruraemundensi Hollandiae 253
Pro Hispania. 301
Pro Urbe 303
Pro Parisiis et aliis locis . 304
Pro loco B. 305
Pro loco N. N. . . . . . ibi
Pro dioecesi Cortonen. . 309
Pro Branky in Moravia. . ibi
Pro Lucana Civitate . . . 310
Pro dioecesi N. . . . . ibi
Pro variis locis. 311
Pro N. N. 314
Pro Hollandia 372
Pro variis locis. 374
Pro Gallia. 376
Pro variis locis. 377
Pro dioecesi Cephalodunen. 427
Pro Perusia 431
Pro Pace Augusta (Hispania). 432
Pro Rochester 435
Pro Perusia . . . . . . ibi
Pro Parma 439
Pro Conventu C. . . . . ibi
Pro Derthusa in Hispania . 440
Pro loco « Abriwick » in Anglia 441
Pro dioecesi Cremen. . . 442
Pro dioecesi Bergomen. . 503
Pro Gallaecia 504
Pro dioecesi A. 505
Pro dioecesi Lauden. . . 507
Pro Gallia. . . . . . . ibi
Pro Lucana archidioecesi. 562
Pro Urbe 569
Pro Gallia. 627
Pro Parisiis et aliis locis . ibi
Pro dioecesi Veronensi. . 628
Pro dioecesi Imolensi . . 629
Pro dioecesi Salutiarum . ibi
Pro Lucana archidioecesi . 630
Pro Gallia. 695
Pro Melita insula 697
Pro S. Francisco in Statibus foederatis Americae 699
Pro dioecesi Minoricen. in Hispania. 700
Pro Calagurris 701
Pro Conventu S. P. . . . 748

Expositio Rubricarum

De novissimis Rubricis Breviarii.

Assertae diminutionis cultus Sanctorum in propriis dioecesanis et maiori prolixitatis Officii quotidiani confutatio 209
I. De asserta diminutione cultus Sanctorum . . . ibi
II. Officium molestius clericis non evasit 220
III. Ultima reformatio Breviarii necessariane erat? Responsio 279
Continuatio 338
Continuatio 475
Continuatio 529
IV. Distributio et divisio psalmorum. 531

Quaestiones liturgicae.

De Missa pro defunctis non celebranda nisi pro ipsis applicetur 150
De usu quarumdam ecclesiarum circa sonitum campanulae, uti in Sabbato sancto, passim adhibitum ad *Gloria*, ad *Magnificat* et ad *Nunc dimittis* . . 570
De usu linteoli et disci in administratione SS. Eucharistiae 604
De discrimine inter rubricam Ritualis et Instructionis clementinae quoad operimentum ostensorii post communionem Celebrantis in Missa occasione processionis SS. Sacramenti; de tempore incedendi et usu umbellae . 674
An ad Offertorium in Missa solemni diaconus calicem accipere debeat de manu subdiaconi, postquam hic eum deposuerit supra altare in cornu epistolae. 744

Censura liturgica.

De adsistentia clericorum in Missa simpliciter cantata et ministrorum « in sacris » in Missa solemni coram SS. Sacramento exposito 723

Specimen calendarii universalis Ecclesiae pro anno Domini 1916.

Pagg. 80 - 137 - 230.

Theologia liturgica.

Prooemium 55

Pars Prima.

De instauratione universi ante adventum Christi.

Cap. I. De perfectione in qua conditus fuit mundus. 60
Cap. II. Finis ultimus: perfectio consummata universi 62
Cap. III. Creatura spiritualis sive angelica. . . . 119
Cap. IV. Primordia regni Dei in universo. . . . 122
Cap. V. Primordia Ecclesiae Dei. 125
Cap. VI. Continuatio praecedentis. De commercio spirituali in primordiis Ecclesiae Dei 191
Continuatio 255
Continuatio 317
Cap. VII. Primordia Ecclesiae militantis in terra . 318
Continuatio 380
Cap. VIII. Defectio regni Dei in universo. . . . 444
Art. 1. Defectio regni Dei in angelis, et ortus regni Satanae 445
Art. 2. De loco daemonum. 509
Art. 3. Regnum Satanae . 511
Continuatio 572
Cap. IX. Defectio regni Dei in homine . . . . .
Continuatio 633
§ 1. Amissio sanctitatis et iustitiae in qua homo constitutus fuerat . . . .
§ 2. Ira et indignatio Dei . 636
§ 3. Mors 637
§ 4. Captivitas sub potestate diaboli 632
Continuatio 709

Index alphabeticus

rerum notabilium quae in hoc XXIX Tomo continentur

(N.B. Numerus lectorem ad paginam remittit)

A.

Absolutio, V. *Crucifer.*

Actiones, *de actionibus* quae in ecclesiis permitti possunt, *quaestio Acad. Lit. Rom.*, 28. — quid vetus, quid hodierna Ecclesiae disciplina *statuant de locis Deo dicatis,* 29 — utrum *proiectiones cinematographicae* permitti possint *in ecclesiis,* et *actiones scenicae* in locis, *quae sub ecclesiis habentur libera,* 33 — utrum *academiae sacrae* et *praemiorum distributio* cum musicalibus instrumentis etc., ut in casu, *celebrari queant in ecclesiis,* quasi in aulas immutatis. 35.

Adsistentia clericorum in Missa simpliciter cantata, et ministrorum « in sacris » in Missa solemni coram SS. Sacramento exposito, 723.

Altare, de altari, 113 — V. *Reverentia.*

Altare privilegiatum, de *indulgentia,* altaris privilegiati, *decr. S. C. S. Off.*, 525.

Anniversarium Dedicationis ecclesiae, V. *Dedicatio ecclesiae.*

Anniversarium electionis Episcopi commemorari potest in Missis lectis *diebus infra octavas privilegiatas, S. R. C. decr.*, 514.

Annuntiatio B. M. V., V. *Dedicatio ecclesiae.*

Antonius (S.) Abbas, V. *Benedictio animalium.*

Apostolatus Orationis, solvuntur dubia *circa indulgentias Apostolatui Orationis adnexas, decr. S. C. S. Off.*, 524.

Applicatio Missae, V. *Missa.*

Approbatio, V. *Officia propriorum particularium.*

Arma Episcoporum, V. *Titulus nobilitatis.*

B.

Beati, V. *Imagines.*

Benedictio, V. *Campana, coemeterium.*

Benedictio animalium, V. *Stola.*

Benedictus (S.), V. *Numisma.*

Breviarium Romanum, V. *Reformatio Breviarii Romani.*

Breviarium typicum vaticanum, *commentarium in decretum approbationis* Breviari typici vaticani, 18.

C.

Caeremoniarius, *an debeat in Missa solemni conducere ac comitari diaconum,* dum defert evangeliorum librum et bursam ad altare, 598.

Calendaria particularia, de *reformatione* calendariorum particularium, 91.

Calendarium, de calendario *Ordinis Carmelitarum discalceatorum* in quadam ecclesia metropolitana, *S. R. C. decr.,* 193. — V. *S. Remigius.*

Calix, an ad Offertorium in Missa solemnj diaconus calicem accipere debeat de manu subdiaconi, postquam hic eum deposuerit supra altare in cornu epistolae, 744.

Campanula, de usu quarumdam ecclesiarum, *circa sonitum campanulae,* uti in Sabbato sancto, passim adhibitum ad *Gloria,* ad *Magnificat,* et ad *Nunc dimittis,* 570.

Canonicus, an Canonicus titularis, qui antea honorarius fuerat, si canonicatui renuntiat, *ius habeat retinendi insigna Canonici honorarii,* 166.

Cantus. V. *Processiones.*

Capitula et responsoria in Officio Dominicae anticipatae, ad horas minores *dicuntur de Sabbato, S. R. C. decr.,* ad III, 3.

Castrensis Ordinarius, V. *Ordinarius castrensis.*

Cereus, de tertio cereo in Missa, 738.

Cereus paschalis, de *quadam speciali structura* cerei paschalis, 174.

Circumcisio Domini, de *praestantia* inter festum *Circumcisionis Domini* et *SS. Nominis Iesu,* 690.

Clerici, de *distinctione primi et secundi clerici* in Missa, 538.

Clerus ad chorum processionaliter pergens *discooperto capite incedere debet,* 594.

Clerus militaris, Decreta militarem clerum *tempore belli respicientia,* iuxta Acta S. Sedis, 329.

Collecta, de *collecta pro re gravi imperata* necne dicenda in dupl. I cl. *S. R. C. decr.*, 9. de eadem collecta, 43, 115 ad IV, 116 — V. *Commemoratio SS. Sacramenti.*

Color paramentorum, de *colorum diversitate* in sacris paramentis, pro Missis in duplicibus maioribus et minoribus ac semiduplicibus occurrentibus *in feriis Missam propriam habentibus*, 171.

Commemorationes, de commemorationibus *duplicis vel semiduplicis simplificati*, 244 — de commemorationibus *in diebus Litaniarum* sive in Missa de Rogationibus, sive in Missa de festo occurrente, *S. R. C. decr.*, 265 — de commemorationibus *in Missis votivis solemnibus* de Epiphania et aliis, in Dominica infra octavam, *S. R. C. decr.*, 267 — de commemoratione octavae *in Missis privatis* de festo occurrente aut de Dominica in supradictis diebus, *S. R. C. decr.*, 334.

Commemoratio omnium fidelium defunctorum, V. *Missa.*

Commemoratio omnium SS. Apostolorum, de hac commemoratione in Officio SS. Petri et Pauli die 29 iunii, *S. R. C. decr. ad II*, 3.

Commemoratio omnium SS. Martyrum, de hac commemoratione *in Officio S. Stephani Protomartyris* die 26ª dec., *S. R. C. decr.*, 3.

Commemoratio SS. Sacramenti, *utrum excludat tertiam orationem* in Missa semiduplicis, vel secus *collectas imperatas*, 169.

Communio sacra, de sacra communione et celebratione Missae *in castris, S. C. de Sacramentis decr.*, 130 — de communionis distributione *in triduo mortis Domini, quaestio Acad. Lit. Rom.*, 271 — quid tradunt scriptores antiquitatum christianarum *circa Missam in ultimo triduo mortis Domini:* ut cur in Feria V et in Sabbato *una tantum Missa permittatur*, 272 — quibus in ecclesiis Missae solemnes et cetera officia *celebrari possint iisdem diebus* et *quibus caeremonis*, 275 — quid de consuetudine, de qua in casu, et *quo sensu sit accipiendum citatum decretum S. R. C.*, *ibid.* — laicis cuiuscumque sexus inter septa presbyterii communionem *distribuere non licet*, 663.

Competentia, V. *Facultas.*

Confessor (S.) Pontifex, si ad Laudes commemorari debeat S. Confessor Pontifex aut Ecclesiae Doctor *simplificatus ob occursum festi dupl. I cl.*, antiphona « *Euge, serve bone* » usurpari debet, *S. R. C. decr., ad I,* 3 — V. *Officium commem. SS. Conf. Pont.*

Conopaeum, sustinetur sententia *de necessitate conopaei* pro tabernaculo SS. Eucharistiae, 658.

Consecratio particularum, V. *Particulae.*

Cor Iesu (SS.), V. *Missa votiva SS. Cordis Iesu.*

« Credo », *iterum de Credo in Missa de die octava simplici,* 478.

Crucifer *ubi sistere debeat cum acolythis* ad absolutionem si Sacerdotis cadaver *moraliter tantum sit praesens,* 601.

Crux altaris, V. *Reverentia.*

Cultus Sanctorum, de *asserta diminutione cultus Sanctorum* in novissimis Rubricis Breviarii Romani, 208.

Cyrillus (S.) Hierosolymitanus, V. *Lectiones.*

D.

Dedicatio Basilicarum SS. Petri et Pauli, V. *Dies octava.*

Dedicatio ecclesiae, de ecclesiae Dedicatione *in Dominicis Quadragesimae* vel *in festo Annuntiationis B. M. V.* aut *S. Ioseph peracta,* 95 — *quae Missa celebrabitur* post ritum Dedicationis, ibid. — an debeant in casu *duae Missae celebrari,* una de die et altera de Dedicatione, 99 — an in casu Missa de Dedicatione *sit votiva,* 103 — *quo die celebrabitur* Officium ipsius Dedicationis, 105 — quo die Anniversarium eius, ibid. — an nihil prohibeat Episcopum *illos dies vel Dominicas seligere* pro consecratione ecclesiarum, 107.

Diaconus, *Praeconium paschale.*

Dies octava, de praestantia *inter diem octavam Titularis, Dominicam minorem* et *Dedicationem Basilicarum SS. Apostolorum Petri et Pauli,* 691.

Discus pro communionis distributione, V. *Linteolum pro communionis distributione.*

Distributio communionis, V. *Communio sacra.*

Doctor (S.), V. *S. Confessor.*

Dominica, dc Dominica *resumenda,* 418.

Dominica anticipata, V. *Capitula.*

Dominica infra octavam, *Commemorationes.*

Dominica minor, V. *Dies octava.*

Dominica Quadragesimae, V. *Patronus.*
Duplex, V. *Commemorationes.*

E.

Electio Episcopi, V. *Anniversarium Electionis Episcopi.*
Episcopus, V. *Nomen Episcopi.*
Epistolae S. Pauli Ap., V. *Initia epistolarum S. Pauli Ap.*
Eucharistia, facultas adservandi SS. Eucharistiam *in stativis castrorum valetudinariis* ac *in bellicis navibus, decr. S. C. de disciplina Sacramentorum,* 522.
Exequiae, 601.

F.

Facultas, de *competentia* circa facultatem concedendi Regularibus *paroecias saeculares, S. C. Consist. decr.*, 521 — V, *Eucharistia, Ordinarius.*
Festum, de *regulis in celebratione festorum* quoad solemnitaexteriorem tantum translatorum, 500 — V. *Occurrentia, Repositio festorum.*
« **Fidelium** », V. *Oratio* « *Fidelium* ».
Functiones liturgicae, *de loco mulieribus ac puellis in functionibus liturgicis assignando, quaestio Acad. Lit. Rom.*, 201 — *quid tradunt sacri Canones et Congregationum Romanum decreta* circa locum mulierum et puellarum *in ecclesiis et processionibus, ibid.* — quid dicendum *de vexillis* quae in processionibus adhibentur, *qua forma esse debeant, quibusque ornamentis depicta,* 204 — utrum aliqua nova lex permittat *quod mulieres aut puellae in presbyterio aliquando maneant,* et quid dicendum in casu, 205.
Functiones pontificales, de functionibus pontificalibus, *S. R. C. decr.,* 582.
Funus, V. *Ius funerandi.*

G.

Genuflexiones, de genuflexionibus *post osculum pacis a ministris faciendis,* 493 — V. *Pluvialistae.*

H.

Horae canonicae, de horis canonicis, 392.

I.

Iesus, V. *SS. Nomen Iesu.*
Imago, de imaginibus Beatorum *publicae venerationi expositis, S. R. C. decr.,* 515.

Incensum, de incensi administratione occasione Missae solemnis *a Celebrante parato in secretario facta ante accessum ad altare,* 596.

Inclinatio, de *mediocri inclinatione corporis* et *profunda capitis,* 369 — de inclinationibus faciendis *a Celebrante et ministris, quaestio Acad. Lit. Rom.,* 465 — quid docent Rubricae et eorum commentatores, uti Gavantus cum Merato, nec non S. R. C. decreta *circa reverentias ad Crucem altaris faciendas, ibid.* — de ultima inclinatione a Sacerdote *in fine Missae* facienda, *antequam ab altari descendat,* 466 — quid sit tenendum *circa omittendam inclinationem ad Crucem,* si altare maius nimis distat, ac *circa inclinationem, loco genuflexionis,* facienda a ministro in casu, *ibid.* — de *capitis inclinatione* pro ministris tam Missae privatae quam solemnis in dicendo « *Suscipiat* » post monitionem « *Orate, fratres* », 492 — capitis inclinatio *facienda non est ad verba Corporis et Sanguinis tui* in oratione Sacramenti « *Deus, qui nobis* », 655 — V. *Reverentia.*

Indulgentiae conceduntur recitantibus *orationes quasdam pro pace, decr. S. C. S. Off.,* 527 — quaenam indulgentiarum concessiones *S. C. S. Officii sint exhibendae,* Motu-proprio Benedicti Pp. XV, 577 — indulgentia *centum dierum* conceditur recitantibus invocationem « *Regina sacratissimi Rosarii, ora pro nobis* » *S. C. S. Off. decr.,* 578 — facultas applicandi Crucifixis indulgentias Viae Crucis in favorem militum, durante bello, 706. — V. *Apostolatus orationis.*

Initia epistolarum S. Pauli *non omnia quotannis* sunt legenda, *S. R. C. decr. ad IV, 4.*

Ioseph (S), V. *Dedicatio ecclesiae.*

Ius funerandi, *decr. S. C. Conc.,* 523.

L.

Lectiones, de lectionibus *pro festis* universalis Ecclesiae *commemoratis,* 116 — *unde sumendae* lectiones III noct. *per octavam cuiusdam S. Patroni,* 172 — de lectionibus I nocturni *in festo S. Cyrilli Hierosolymitani,* 553.

Linteolum pro communionis distributione, *de usu linteoli et disci* in administratione SS. Eucharistiae, 604.

Litaniae maiores, *de interpolatione Litaniarum,* 748.

Locus, V. *Functiones liturgicae.*

M.

Margarita (S.) a Cortona, de *eius festo anticipando* pro quodam loco, 553.

Matrimonium, pro matrimonio ministrando *requiritur superpelliceum cum stola,* 112.

Militares Sacerdotes, V. *Clerus militaris*

Minister altaris vel Sacrificii Missae, pro tali ministro in Rituali et aliis S. R. C. documentis, in ordine communionis distribuendae *intelligitur quilibet clericus vel laicus Missae inserviens, S. R. C. decr. ad II,* 65.

Missa, V. *Patronus.*

Missa in Commem. omnium fid. defunctorum, de Missa applicanda *in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum, quaestio Acad. Lit. Rom.,* 350 — utrum parochi debeant applicare Missam pro omnibus defunctis, cum die 2 novembris *Officium cum populo decantant,* 351 — an in casu quo ipsa die occurrat depositio alicuius defuncti *liceat pro eo Officium decantare et Missam celebrare:* et quid ad rem disposuerit S. R. C., 352 — quid faciendum *si una tantum Missa habeatur eo die* in ecclesia parochiali, 353. — *de Missa ter peragenda in hac die,* Constitutio Apostolica, 449 — *S. R. C. decreta* circa praedictas tres Missas, 451 — ex tribus his Missis *liberum est Sacerdotibus unam quamcumque ad mentem suam applicare, decr. S. C. Conc. ad I,* 641 — pro dicta Missa Sacerdotes *nequeunt maiorem eleemosynam exigere,* ad II, 642 — neque aliquid exigere possunt pro aliis duabus Missis *ratione laboris seu incommodi extrinseci,* ad III, *ibid.* — *immutari nequit dies* pro applicatione aliarum duarum Missarum, ad IV, ibid.

Missa de festo, V. *Commemorationes.*

Missa pro externa solemnitate, qua ratione accipienda, 749.

Missa pro defunctis, de Missa pro defunctis non celebranda *nisi pro ipsis applicetur,* 151 — *de tribus Missis die 2 novembris in choro,* 750.

Missa pro populo, de Missa pro populo *post inductas immutationes in celebratione festorum, decr. S. C. Concilii* cum commentario, 22, 118 — de Missa pro populo *in festis cum feriatione sublata,* 402 — *qua lege teneantur parochi* ad applicandum Missam pro populo diebus festis; *quid de Oeconomo,* tempore vacationis paroeciae, 403 — *quibus diebus mansit huiusmodi obligatio parochorum,* et quare diebus festis *etiam suppressis,* 405 — quid dicendum de festis ut in casu, 406 — V. *Adsistentia.*

Missa Rogationum, V. *Commemorationes.*

Missa solemnis, de *hora celebrandi Missae solemnis,* in Dominica infra octavam Epiphaniae, ut in casu, *S. R. C. decr.,* 325 — V. *Adsistentia.*

Missa votiva, de Missis votivis *in Sanctuariis, quaestio Acad. Lit. Rom.,* 72 — *quando invectus est usus celebrandi Missas votivas,* et *quibus diebus* celebrari ipsae poterant, iuxta rubricas S. Pii V, 73 — quibus diebus, *iuxta novissimas rubricas,* celebrari nunc possint *Missae votivae privatae et in cantu,* 76 — quid de facultatibus prout in casu, 78 —

de facultate celebrandi Missas votivas a Rubricis Missalis concessa, 296 — quaedam Missae votivae *durante praesenti bello* permittuntur, *S. R. C. decr. ad IX,* 334 — commentarium, 322.

Missa votiva solemnis, V. *Commemorationes.*

Missa votiva SS. Cordis Iesu, de hac Missa *si prima feria VI mensis infra octavam Ascensionis cadat,* 116 — iterum de eadem Missa, 749.

Mulieres, V. *Functiones liturgicae.*

N.

Nativitas Domini, de quibusdam consuetudinibus in Officio noctis huius, 750.

Nobilitas, V. *Titulus nobilitatis.*

Nomen Episcopi, de nomine Episcopi dioecesani *exprimendo a Regularibus exemptis in precibus ferialibus,* 100.

Nomen (SS.) Iesu, de solemnitate externa festi SS. Nominis Iesu, 112. — V. *Circumcisio Domini.*

Numisma, facultas numismata S. Benedicti benedicendi *pro Sacerdotibus operam suam militibus impendentibus, decr. S. C. S. Off.,* 526.

O.

Occurrentia, de occurrentia et translatione festorum, 90.

Octava, de lectionibus II et III Noct. *singulis diebus per Octavas,* 87.

Octava communis, V. *Missa.*

Octava dies, V. *Dies octava.*

Octava SS. Petri et Pauli, de *privilegio huic octavae* a Leone XIII pro Urbe Rome *concesso,* 415 — de dicta octava, *S. R. C. decr.,* 520.

Officia communia *plurium Confessorum Pontificum et non Pontificum* et *plurium Virginum et non Virginum* recitari nequeunt *in festis Ecclesiae universalis,* uti SS. Cyrilli et Methodii etc., *S. R. C. decr.,* ad VII, 4.

Officia perpetuo impedita, V. *Repositio festorum.*

Officia Propriorum particularium, de *vi approbationis* Officiorum, quae *in Propriis particularibus* inscribuntur, commentarium, 16.

Officium iuxta novas Rubricas *molestius* clericis non evasit, 221 – continuatio, 279 — V. *Translatio Officii.*

Officium defunctorum, de diebus quibus recitari potest hoc Officium, 241.

Officium parvum B. M. V., de tali Officio, 395.

Oratio, V. *Apostolatus orationis.*

Oratio « Fidelium » recitari debet, *quoties a Rubricis praescribitur*, in Missa *feriali* coram SS. Sacramento, *S. R. C. decr., ad V*, 4.

Oratio tertia in Missa de *infra oct. Circumcisionis Domini* Titularis ecclesiae *tertia oratio erit de Spiritu Sancto, S. R. C. decr., ad I*, 65.

Orationes, orationi SS. Sacramenti « *Deus, qui nobis* » alia adiici non potest in benedictione cum SS. Sacramento, sed dicitur ante, *si aliae preces speciales praemissae sint*, 656.

Ordinarius, dubia *circa Ordinariorum facultatem* permittendi celebrationem Missae *domi quocumque die* per modum actus *decr. S. C. de Sacramentis*, 198.

Ordinarius castrensis, de Ordinario castrensi in Italia tempore belli, S. C. Consist. decr., 335.

Osculum pedis Romani Pontificis, de osculo pedis Romani Pontificis *dissertatio*, 37 — continuatio, 146-224-284-354-409-467-683-746.

Ostensorium, de *ostensorii operimento* post communionem Celebrantis in Missa, occasione processionis SS. Sacramenti, *de tempore incedendi*, 678 — de usu *umbellae*, 679.

P.

Paramenta, V. *Color paramentorum*.

Paroeciae, V. *Facultas*.

Particulae pro communione quomodo conservandae *in defectu pyxidis sufficientis*, 111.

Paschale praeconium, V. *Praeconium paschale*.

Patronus, de Sancto Patrono Collegii parochorum, an queat solemniter celebrari, *ubi sub ritu tantum simplici describitur*, 176 — utrum in Dominicis II, III et IV Quadragesimae *cantari possit Missa de S. Patrono vel Titulari* transferendo iuxta Missalis Rubricam VI, 238 — V. *Lectiones*.

Pedes Romani Pontificis, V. *Osculum pedis Romani Pontificis*.

Petrus (SS.) et Paulus, V. *Dies octava, Octava*.

Pluvialistae in Vesperis *utrum genuflectere debeant altari*, in quo non asservatur SS. Sacramentum, 498.

Pontificales functiones, V. *Functiones Pontificales*.

Praeconium paschale data necessitate *ab alio diacono cantari potest*, qui non sit diaconus Missae, 671.

Praestantia festorum, V. *Circumcisio Domini, Dies octava, S. Remigius*.

Presbyter assistens, dum diaconus bursam ad altare defert in Missa solemni, *assurgere non tenetur*, 497.

Processiones, an possint fideles in processione Corporis Christi, postquam clerus liturgico idiomate hymnos et psalmos cantaverit, laudes Sacramenti lingua vernacula canere, 734.

Proprium particulare, V. *Officia propriorum particularium.*

Puellae, V. *Functiones liturgicae.*

Q.

Quadragesima, V. *Dedicatio ecclesiae, Patronus.*

R.

Reformatio Breviarii Romani necessaria erat, 338 — continuatio, 397-475-529.

Reformatio calendariorum particularium, V. *Calendaria particularia.*

Regulares, V. *Facultas, Nomen Episcopi, S. Remigius.*

Religiosi, V. *Regulares.*

Remigius (S.), de *natalitio et translatione* S. Remigii in Gallia, quoad Regulares proprium Calendarium habentibus, 693.

Repositio festorum, de repositione festorum, *quae perpetuo impediuntur, quaestio Acad. Lit. Rom.,* 130 — quid sit *translatio,* vel *repositio,* vel *mutatio festorum,* iuxta Rubricas et earum commentatores, 131 — *quid tradebant Rubricae Breviarii* circa translationem vel repositionem festorum usque nunc, et *quid hodie agendum* de Officiis *perpetuo impeditis,* 134 — quid dicendum in casu, 135.

Responsoria de tempore, de Responsoriis de tempore, 88 — V. *Capitula et Responsoria.*

Reverentia, quaenam reverentia praestanda Cruci altaris a Celebrante *tam in accessu ad altare, quam in recessu ab eo,* 108 — de *variis inclinationibus,* 154 — continuatio, 360 — de *reverentia Cruci altaris maioris,* in quo non asservatur SS. Sacramentum, 420 — de reverentia Cruci altaris *a ministris praestanda,* 424 — de reverentia *ministrorum et clericorum inservientium in Missis solemnibus,* 484 — de reverentia a diacono *ante et post incensationem cantus evangelii,* 485.

Ritus, de ritibus in Missa servandis, *S. R. C. decr.,* 386 — V. *SS. Sacramentum.*

S.

Sabbatum Sanctum, V. *Campanula.*

Sacerdotes militares, V. *Clerus militaris.*

Sacramentum SS., de *nonnullis evitandis* in translatione SS. Sacramenti *ab uno ad aliud altare,* 157 — de ritibus servandis *in exponendo et reponendo SS. Sacramento,* et *de veneratione* ipsi exposito exhibendo, *S. R. C. decr.,* 579 — V. *Ostensorium.*

Semiduplex, V. *Commemorationes.*

Signum nobilitatis, V. *Titulus nobilitatis.*

Stola albi coloris adhiberi debet *in benedictione animalium* in festo S. Antonii Abb., 115 — V. *Matrimonium.*

Superpelliceum, V. *Matrimonium.*

Syllabae hypermetricae, de his syllabis *quoad cantum, S. R. C. decr.,* 321.

T.

Tertia Oratio, V. *Oratio tertia.*

Titularis, de Titulari ecclesiarum, *S. R. C. decr.,* 326 — V. *Patronus.*

Titulus nobilitatis, de vetitis nobilitatis familiaris titulis et signis *in episcoporum inscriptionibus et armis, S. C. Consist. decr.,* 257.

Translatio festorum, V. *Occurrentia Repositio festorum.*

Translatio Officii, de *accidentali quadam translatione* duorum Officiorum, 365 — de Titulari ecclesiae *noviter eligendo, quaestio Acad. Lit. Rom.,* 588 — *ad quem spectat* novae ecclesiae *Titularem eligere,* et utrum in casu *licitum sit descrere antiquum Titularem et novum eligere, ibid.* — an *plures possint esse Titulares* eiusdem ecclesiae, et in casu affirmativo *quo ritu celebrari debeant,* 591 — quid consulendum in casu, 593 — *animadversiones aliquae* in solutionem praepositae quaestionis, 650.

Triduum mortis Domini, V. *Communio sacra.*

U.

Umbella, V. *SS. Sacramentum, Ostensorium.*

V.

Velum humerale, benedictione cum SS. Sacramento impartita celebrans *velum humerale deponere debet postquam redierit in planum,* 740.

Vigilia, V. *Missa.*

Virgines, V. *Officia communia.*

Visitatio pastoralis, utrum *stando vel genibus flexis* a Parocho cantari debet ℣. *Protector noster* etc. et *Confiteor,*

PROPRIETAS LITERARIA

IMPRIMATUR

Fr. ALBERTUS LEPIDI O. P., S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

† IOSEPH CEPPETELLI, Patr. Constantinop., *Vicesgerens.*

AUGUSTUS ZUCCONI, Director Domus editricis Desclée et Soc., Romae, *Sponsor.*

Ex Officina Polygraphica Latiali, Fratrum Tempesta, Via Boccaccio, 7 - Roma